PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGOR!

DE

ECCLESIAE SACRAMENTIS

COMMENTARIUS IN TERTIAM PARTEM

S. THOMAE

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.

TOMUS PRIOR

COMPLECTENS QUAESTIONES DE SACRAMENTIS IN COMMUNI
DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA

EDITIO SEPTIMA
aucta et emendata

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
IN PIAZZA DELLA PILOTTA

M. DCCCC. XXXI

PATAVII – TYPIS SEMINARII

PROOEMIUM

Post considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis, quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent, et ab eodem, curandis originalis et actualis peccati vulneribus fuerunt instituta.

De qua re notissima exstat Evangelii (Luc. X, 30-35) parabola, ubi homo quidam descendebat ab Jerusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt semivivo relicto. Hac enim similitudine originalem lapsum describi omnino indubium est. Et nota in primis accuratam in omnibus dicendi rationem. Homo iste est Adam, totius humani generis pater et caput, in quo omnes peccaverunt. Civitas Ierusalem est primitivus innocentiae status, a cuius beatitudine delapsi in hanc mortalem miseramque vitam devenimus, quam bene etiam sub *lunae* vocabulo urbs Iericho designat, variis videlicet defectuum laboribus vicissitudinibusque semper incertam. Latrones quoque, dia

bolus et angeli eius sunt intelligence, in quos incidit homo, cum descendebat et quia descendebat ; nisi enim a Deo per consensum intus recessisset, nihil nocuisset tentatio quae foris agebatur. Denique spoliatio illa et crudelium impositio plagarum, amissionem originalis iustitiae sub oculis ponit. Quod statim intelliget quisquis considerabit, magnum illud innocentiae donum duo contulisse. Primo quidem elevabat hominem ad finem transcendentem omnes naturae vires, deinde continebat partem inferiorem sub perfecto rationis imperio, et sic impediebat concupiscentiae defectum qui alias ex naturae principiis sponte exoritur. Privatio ergo gratiae originalis, spoliationis rationem habuit, secundum quod abstulit ordinem ad finem supernaturalis beatitudinis, sed habuit rationem vulneris, secundum quod originali innocentia subtracta, ipso facto sublatum est id quo natura in suo etiam ordine perficiebatur: inde enim secuta est maxima illa infirmitas quam ad naturalis legis observationem experimur, dicente Apostolo: « Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato ». Et iterum : 4 Video aliam legem in membris ‹ meis repugnantem legi mentis meae et captivantem « me in lege peccati quae est in membris meis. Infelix ‹ ego homo ! Quis me liberabit de corpore mortis « huius ? » 0). Quare theologi ex praesenti parabola modum loquendi desumentes consueverunt dicere, hominem fuisse per culpam originalem spoliatum gratuitis et vulneratum in naturalibus (z); quod aliis etiam verbis Tridentinum Concilium expressit docens, liberum arbitrium

(1) Rom. VII, 14-24.
(2) Cf. Suarez, de peccatis. Disp. 9, Sect. 5, n. 7.

in homine minimi
tu›n *et inclinatum* (l). Et circa genus humanum r - quidam sic agebatur.

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo, praeterivit. Similiter et levita. cum esset secus locum, et videret eum, pertranslit. Sacerd··, et levita qui, viso saucio, praetereunt, nihil aliud sunt quam sacerdotium et ministerium antiqui illius Testamenti, per cuius caeremonias et praecepta, languentimundi vulnera monstrari potuerunt, curari vero non potuerunt, quandoquidem «impossibile est sanguine tauro«rum et hircorum auferri peccata». Et certe, advenerat Lex, advenerant et Prophetae, nec usque modo inventae fuerant *unctiones sanitatis* (ℓi)) « Erant in lege figurae unctiones, ait Bonaventura in prooemio commentarii super « IV Sententiarum, sed non erant sanativae, quia morbus «erat lethalis, et unctio erat superficialis. Unde Aposto«lus dicit, Heb. IX, quod non poterant sacramenta legalia *«iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solum«modo in cibis et potibus et iustificationibus carnis.* Quia « ergo ungebant carnem, et vulnus lethale erat in mente, «ideo non poterant curare. Ideo clamabat Isaias et di« cebat: *l7ulnus et Uvor et plaga tumens non est circum« ligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Ad hoc « ergo quod aliquis faceret unguenta sanitatis, necessa«rium erat quod afferret unctionem spiritualem et vir« tutem vitalem; hic autem fuit Christus Dominus. Dum «enim mortalitatem nostram univit vitae, et ille qui vita

(i) Sess. 6, cap. i (Denzinger, 793).
(») Eccli. XXXVIII-7.

« erat mortuus est, facta est confectio in qua et per quam « mortuus reviviscitur, et ex morte ipsius sacramenta * habent vivificandi efficaciam». Pulchre autem in fine evangelicae parabolae hic modus nostrae redemptionis atque sanationis describitur.

Abeuntibus enim sacerdote et levita ludaico, ecce tandem venit secus vulneratum Samaritanus ille alienigena, qui cum in forma Dei esset, et minime rapinam arbitraretur esse se aequalem Deo, propter nos homines et propter nostram salutem descendens de caelis, vitae praesentis iter arripuit. Venit, inquam, secus eum, et videns eum misericordia motus est, quando formam servi accipiens et |habitu inventus ut homo, « compassionis no- « strae susceptione finitimus, et misericordiae factus est « consolatione vicinus » il). Ast, nequaquam sterili quodam miserationis affectu contentus esse poterat. Unde, appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum, et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit. Iumentum eius est caro in qua ad nos venire dignatus est, et in hoc iumento saucium imposuit, cum peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super [lignum. Alligamenta quoque vulnerum, infuso oleo et vino, sacramentorum remedia significant, quae contra peccati plagas Deus incarnatus instituit. Denique stabulum est Ecclesia praesens, quam idem ipse fundavit in terris, ut in ea reficerentur viatores de peregrinatione hac in aeternam patriam redeuntes.

Cum autem non vacaret Samaritano huic diu degere in terris, sed illuc ei redeundum esset unde descenderat.

(›) Beda, I. 3 in Lucam, c. 10 (P. L. 92, 469).

ideo altera die, qu
nem suam, ad Patrem iamiam ascensurus, hominum quem ineffabili charitate a morte eripuerat, fidelibus curatoribus commendare non omisit. Et protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi Stabularius hierarchia est apostolica quam super Ecclesiae stabulum Redemptor discessurus constituebat Duo item denarii ad omnem usum reddendae et consummandae sanitatis sufficientes, doctrina sunt Evangelii et Novae Legis sacramenta dispensanda, de quibus Matth. XXVIII-19: « Euntes... *docete... baptizantes...* in nomine Fa« tris, et Filii, et Spiritus Sancti » : omnium enim sacramentorum ianua et initiatio est baptismus. Ac demum, supremis hisce commendationibus factis, caelestis Samaritanus disparuit; nam, « videntibus illis, elevatus est et nubes «suscepit eum ab oculis eorum» i1). Proficiscens tamen pollicebatur se certo certius reversurum : ego, inquit, cum rediero. Imo vero, ipso instanti quo caelorum penetrabat sublimia, dum adhuc discipuli oculos tenerent in altum defixos, pollicitationem suam ore angelico iterum iterumque confirmatam volebat per haec verba : « Viri «Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus «qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemad«modum vidistis eum euntem in caelum». Utique sic veniet, ut completa curatione, redemptos suos accipiat ad seipsum ; ut ubi est ipse, et nos simus cum eo, beatitudinis eius participes. Ideo Ambrosius, l. 7 in Lucam : «Quando reverteris, Domine, nisi in iudicii die? Nam

(1) Act. 1-9.

‹ licet ubique sis semper, et stans in medio nostrum non ‹ cernaris a nobis, erit tamen tempus quo universa caro « te aspiciat revertentem. Reddes ergo quod debes. Beati «quibus es debitori Utinam nos simus idonei debitores; « utinam quod accepimus, possimus exsolvere, nec nos «aut sacerdotii aut ministerii munus extollat! Quomodo reddes, Domine Iesu?... Reddes... cum dicis: Euge serve « bone, quoniam super pauca fidelis fuisti, super multa «te čonstituam (P. L. 15, 1720).

Sic igitur sacramenta Novae Legis a Verbo incarnato efficaciam habentia, et a ministris eius in stabulo Ecclesiae dispensanda, quaedam sunt medicamenta quae curationi hominis adhibentur, donec in fine mundi caelestis Samaritanus iterum veniat. De quibus nunc dicere propositum nostrae intentionis est, ut eorum veritas, necessitas, virtus atque intimae rationes perspectae fiant, ac per hoc, inanes falsi nominis scientiae oppositiones pro posse nostro excludamus. Irrident enim sacramenta nostra rationalistae increduli, quasi Deo et homine indigna; irrident fidem qua credimus divinam virtutem sub tegumentis rerum tam vilium secretius operari salutem. Quos suo iam tempore, hisce verbis multa consideratione dignis carpebat Tertullianus: «Nihil adeo est quod tam « obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum « operum quae in actu videtur, et magnificentia quae « in effectu repromittitur; ut hic quoque, quoniam tanta « simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, de- « nique sine sumptu homo in aquam demissus, et inter « pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior re- «surgit, eo incredibilis existimetur consecutio aeternita- -« tis... Proh misera incredulitas, quae denegas Deo pro-

«prietates suas, simplicitatem et potestatem! Quid rgo? «Nonne mirandum et lavacro dilui «magis credendum, si quia mirandum '-st, idcirco n< n «creditur. Qualia enim decet esse opera divina ni «super omnem admirationem ? Nos quoque ipsi mi- «ramur, sed quia credimus. Caeterum incredulitas nn « ratur, non credit; miratur enim simplicia quasi vana, « magnifica quasi impossibilia» (1). Et hos oportebit r< darguere.

Non tamen in sola confutatione adversariorum fidei stat huius summa doctrinae; imo vero, altior praefigitur scopus, et fructus promittitur praestantior: ut scilicet in rerum divinarum cognitione semper magis magisque proficientes, sciamus « quae sit spes vocationis eius, et quae «divitiae gloriae haereditatis eius in sanctis, et quae sit «supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credi « mus, secundum operationem potentiae virtutis eius, *quam operatus est in Christo, suscitans illum a mor- * tuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus, * supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, «et dominationem, et omne nomen quod nominatur non «solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro» (2). Nunc enim declaranda veniet ratio altissima secundum quam adhibetur nobis medicina redemptionis. Nunc apparebit praestantia sacerdotii Christi, qui semel iureiurando Dei constitutus, usque in finem manet per operis sui vicarios sacra administrans. Nunc in eodem Christo evidentius elucebit capitis dignitas super omnem Ecclesiam inde ab

(i) Tertull. de baptismo, c. a (P. L. i, iaoi).

(') Eph. I, 18-21.

initio mundi, dum diversus exponetur modus quo in genere humano fuit principium gratiae : quoad nos scilicet, et quoad antiquos qui eius adventum praecesserunt. Nunc in conspectu erit Ecclesia Novi Testamenti per sacramentales characteres in varios distincta ordines, procedens contra diabolum terribilis ut castrorum acies ordinata. Nunc demum plenior acquiretur notio ipsiusmet verae Christi Ecclesiae cui Romanus praesidet episcopus, quatenus innotescet qualiter principia illa sanctitatis quae sacramenta dicuntur, ei soli sunt propria, etsi possint etiam foris valide ministrari ; in quo quidem praefigurata noscuntur per fluvios qui egrediebantur e loco voluptatis ad irrigandum paradisum, et semper erant paradisi, quamvis extra eius fines egressi ad terras circumvicinas pervenirent (Genes. II, 10-14).

Caeterum, *prima nostra consideratio* erit de Sacramentis in communi ; *altera,* de unoquoque sacramentorum in speciali.

DISPUTATIO PRAEVIA

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI

DE SACRAMENTIS IN COMMENI

Quaest. LX-LXV.

Circa sacramenta in communi, quinque sunt consideranda. Primo, quid sit sacramentum, (Quaest. 60). Secundo, de necessitate sacramentorum, (Quaest. 61). Tertio, de eorum effectibus, (Quaest. 62-63). Quarto, de causis eorumdem. (Quaes?. 64). Quinto, de numero, (Quaest. 65).

Quaest. LX.

QUID SIT SACRAMENTUM.

Praemittenda est integrae disputationi notio sacramenti, scilicet definitio nominalis, ut sciatur *quid nominis.* Et quia hoc nomen *sacramentum* multiplices habet acceptiones, primum omnium determinandum est, de quo genere sacramentorum nunc sit sermo.

Si enim Scripturae et Patrum usum attendas, non uno sensu adhibitam vocem invenies : nec simpliciter univoce, nec omnino aequivoce, sed magis *analogice,* analogia illa quam *attributionis* vocant. Dicitur autem attributionis, quando datur unum analogum princeps in quo solo forma per nomen significata intrinsece inext. sed propter ordinem quem alia habent ad ipsum, attribuitur eis eadem denominatio; sicut a sanitate quae est in animali denominatur sanum, non solum animal quod est sanitatis sub-

iectum, sed dicitur medicina sana in quantum est sanitatis effectiva, diaeta vero in quantum est conservativa eiusdem, atque ita porro. Eodem igitur pacto quo *sanum* dicitur analogice de multis, sic et *sacramentum,* cui nomini respondet apud Graecos vox *mysterium.*

Scilicet, impositum est hoc nomen *mysterium* a voce pew, ad significandum aliquid occultum in divinis quod superat naturale lumen rationis : sive illud sit in ipso Deo, ut Trinitas personarum, sive sit in creatura prout cum Deo arcana quadam et supernaturali unione coniuncta, puta unione personali quae consideratur in Christo, vel unione gratiae et gloriae quae consideratur in sanctis. Haec est propria ratio nominis, sicut cum Matth. XIII-11 dicit Christus discipulis: *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum:* vel cum Eph. III-9, de incarnatione loquens Apostolus ait : *Illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti* (του μυστηριου) *absconditi a saeculis in Deo;* et iterum i Tim. III-16: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum* (μυστήριον) *quod manifestatum est in carne, apparuit angelis, praedicatum est Gentibus,* etc. — Nunc autem ex consequenti, mysterii nomen attribuitur tanquam analogis minoribus, iis rebus quae ad divina arcana habent aliquem ordinem, vel signi, vel causae, vel quamcumque aliam habitudinem. Mysterium enim dicitur de figuris, parabolis, et similitudinibus sub quibus in Sacra Scriptura res divinae nobis revelantur (Dan. II-18, Apocal. I-20). Dicitur maxime de caeremoniis seu signis ad cultum Dei institutis quibus homo Deo consecratur et supernaturalem quamdam cum eo consequitur unionem. Quo sensu legimus in i Cor. IV-1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Quo etiam sensu frequens est apud profanos scriptores, mysteriorum mentio. Cum enim de mysteriis Dianae vel Cereris vel Bacchi loquebantur, intelligebant profecto signa quaedam seu caeremonias initiatorias per quas, ut ipsi opinabantur, arcanam cum numine unionem contrahebant (!).

(·) Cf. Tertull. de praescript. c. 40 (P. L. 2, 54-55).

porro ιη\
agud Latinos. Sacrani
quod est sacrum. n ab eo quod est occultum ; et
cum res sat rat
maxime secreta, non mirum si utrimque vocabulum in eamdem conveniat significat ", praeter alias acceptiones vocis *sacramentum,* eminent ill ›..... " m sterii vocabulo proprias esse diximus. Invenitur enim dictum, tam de re quae in se continet aliquid impervium rationi, quam de quolibet signo symbolico arcanorum divinorum, specialiter vero, de eo quod significando divina, hominem sanctificat, eumque initiat ad actiones sacras in quibus consistit cultus Dei (l).

In praesenti autem disputatione sumitur sacramentum iuxta hanc ultimam acceptionem, pro aliquo *signo* sanctificationis (2); cui quae notae conveniant, enucleatius nunc est declarandum (;l).

(") «Sacramentum duobus modis dicitur. Aliquando enim sacra-
«mentum dicitur sacrae rei signum, velut in baptismo exterior ablutio,
«quae interiorem significat emundationem. Aliquando dicitur sacramen-
«tum, quasi sacrum secretum, velut sacramentum incarnationis, et huius
«modi ». Hugo a S. Victore, de Offic. eccles. l. i, c. 12 (P. L. 177, 388 l.

(') Signa, inquit Augustinus, epist. 138, n. 7, «cum ad res divi-
«nas pertinent, sacramenta appellantur › (P. L. 33, 527)· Et ia serni. 272 (P. L. 38, 1247): «Ista (sacramenta corporis et sanguinis Christi) «ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur ·. Et contra Faustum, l. 19, n. 16 (P. L. 42, 356): «Quid enim sunt aliud «quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, «sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia ?›.

¶ Notandum quod in praesenti, nihil aliud quaeritur quam notio seu *definitio nominalis* sacramenti : quid nimirum per hoc nomen *sacramentum,* cum de sacramentis seu veteris seu novae legis sermo est, intelligatur. Neque enim praesentis quaestionis scopus est demonstrare, esse revera sacramenta quibus conveniant omnes notae mox enumerandae, utputa, sacramenta vere a Deo instituta, vere sanctificantia, vere conferentia gratiam aut aliam consecrationem qua arcano mod·· Deo coniungimur. Sed hoc est obiectum posteriorum demonstrationum, quae non in his quae nunc dicuntur, suum fundamentum habebunt.

Et simile est, cum in theodicea initium sumitur a nominali notione Dei, id est, causae incausatae a mundo distinctae, a qua pendet rerum universitas. Non ibi basis est super quam superstruuntur posteriores

' cramenta sunt quaedam signa caeremonialia, practica, sanctificationis humanae.

Cum sacramenta *de quibus mine loquimur,* signa sanctifi- W· nis dicimus, oportet *in primis* subintelligere tres conditiones.

Trima est ut sint signa significantia, non qualicumque modo, sed *per similitudines rerum sensibilium,* nam, ut dicit Augustinus, epist. 98 ad Bonif. n. 9 (P. L. 33, 364): «Si enim sacramenta, 'ᵪ quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, ·ᵪ non haberent, omnino sacramenta non essent».Et ideo, id postulatur in sacramentis, ut sanctificationem quam significant, quasi sub oculis ponant in quodam symbolo externo atque visibili. — Altera quoque conditio est *legis institutio,* a qua sacramentale signum habere debet ut ad publicum Dei cultum pertineat. Etenim de iis sacramentis nunc nobis sermo est, quorum celebratio vel susceptio est actus latriae, et exercita protestatio submissionis ad Deum secundum specialem ritum alicuius religionis (1). — Tertia demum conditio est significatio *practica* sanctificationis cuiusdam *arcanae,* qua homo Deo fini supernatural! aliquo modo coniungatur. Quod enim ad sacramenti rationem prout nunc de sacramentis loquimur, non sufficiat significatio mere speculativa, ex communi omnium intellectu satis superque constat. Nam quisquis cogitat sacramenta religionis constitutiva, eo ipso intelligit signa quaedam sacrantia et sanctificantia, id est figurantia

demonstrationes de eo quod vere exsistat Deus, sed est tantum explicatio nominis, ut sciatur quid sit illud de quo procedit disputatio, et esse debet argumentorum conclusio. Simile, inquam, est in praesenti, nisi quod definitio nominalis Dei simplici notione constat, at non ita definitio sacramenti : tum quia sacramentum est ens artificiale in quo plura inveniuntur per accidens coniuncta, tum quia pluribus modis dicitur, ut supra praemissum est, et ideo magis obscurum est, quidnam importetur per nomen sacramenti, *prout nunc de sacramentis loquimur.*

(») S. Thom. 2-2, q. 89 in prooem.

sanctitatem ut qu ‹
per ipsummet conferri. Rursus, nemini dubium ··▮ ▮|',',n
sanctificatio ista it
quod nudum natui te ord
sanctitas in praesent
ipsum sacramenti nomen ,r'
canas, quae naturali rationi minime sunt perviae.

Sed nunc ulteriu
ctiticatio in actuali ordine providentia
scilicet de sanctifii il
gem, vel de sanctificatione externa et figurativa quae fuit pr
Veteri Testamento. — Sanctificationem interiorem dico eam, quae cum habeatur formaliter per gratiam habitualem et infusas virtutes, ordinat hominem ad vitam aeternam, capacem eum efficiendo communicandi cum Deo in Dei beatitudine. Et hanc nobis Christus Redemptor attulit, iuxta illud Ioan. I-17: «Quia « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Chri- « stum facta est». — Sanctificationem vero legalem dico illam quae ad praecedentem referebatur ut figura ad figuratum, quam vocat Apostolus ad Heb. IX-io, *iustitias carnis usque ad tempus correctionis impositas.* Cum autem asseritur antiqui foederis propria, non sic est intelligendum quasi non fuisset vel ab initio facta potestas hominibus filios Dei fieri; nam et in veteri lege interiorem gratiam ex Christi meritis concessam luculenter ostendit idem Apostolus ad Heb. XI. Verum etsi Patres V. T. fuerint intus in anima participes gratiae sicut et nos, externe tamen et legaliter ad statum illum pertinebant in quo non erant nisi umbrae et figurae propheticae futurorum bonorum. De qua re aptum forsitan exemplum invenies in uxoribus morganaticis regum, quae cum in conscientia vere et proprie uxores sint, in foro nihilominus externo quoad effectus civiles uxores non censentur. Et hoc ideo luit a Deo provisum, ut innotesceret Christus tanquam auctor et principium totius gratiae post Adae praevaricationem; itemque ut servaretur ordinis pulchritudo in reductione humani genens ad ultimum supernaturalis beatitudinis finem, dum primo praecessit umbra in Lege, postea secuta est veritas in Evangelio.

veniat plena fruitio in resurrectione mortuorum. Quare hJibus duplex est respectus distinguendus, prout 1'iii'H. vel ut incorporati sub hierarchia V. T., et hoc 'o ru.n erant in regno Christi, sed in vestibulo et praepar.itione eius, propheticis figuris inhaerentes; vel ut evocati ad rna invisibiliaque bona, ex venturo Christo in quem credendo et sperando tendebant, supernaturalem gratiam recipientes, et hoc modo in regno Christi erant, pertinebantque ad eius Ecclesiam. Unde tandem sanctificatio propria antiquorum fuit sanctificatio *mere figuratis ex* ***vi Legis,*** cui tamen concomitanter aderat, uti infra suo loco explicabitur, sanctificatio gratiae (*).

Sumendo itaque sanctificationem sensu largissimo, prout abstrahit a quacumque determinatione sanctitatis internae vel iigurativae, sic de ratione omnis sacramenti est ut *practice* sanctificationem significet. Nam et sacramenta vetera virtute sua conferebant quamdam sanctitatem legalem, puta aggregationem ad populum electum Dei, mancipationem ad aliqua sacra ministeria, purgationem a variis irregularitatibus divino iure introductis, aliaque his similia per quae vera sanctitas a Christo Redemptore afferenda praefigurabatur. Ideoque in primis statuendum est, sacramentum in communi esse quoddam *signum*

(*) Haec prae oculis habenda sunt, ut omnino satisfiat difficultati rationalistarum obiicientium nihil in Veteri Testamento de futura vita et beatitudine caelesti, ac spe resurrectionis inveniri. Nam certe, nequaquam hoc concedendum est nisi quoad libros proprie legales qui continentur in Pentateucho; praeter quos aderat populo Judaeorum antiqua traditio maiorum, et ministerium propheticum, et spiritualis intellectus Legis quem certo certius Doctores et Magistri assequebantur. Quod autem in legalibus libris nihil litteraliter de futura beatitudine traditum sit, ratio est quia homines non ordinabantur ad futura bona *in vi veteris legis.* Verumtamen, «quamvis lex vetus non sufficeret ad salvan«dum homines, tamen aderat aliud auxilium *simul cum lege,* per quod « salvari poterant, scilicet fides Mediatoris». Porro, quicumque in statu veteris Testamenti, habentes charitatem et gratiam, principaliter exspectabant promissiones spirituales et aeternas, *secundum hoc perlinebat ad legem novam.* Ita S. Thom. 1-2, q, 98, a. 2, ad 4'"'", et infra, q. 107, a. i, ad 2um.

caeremonia/e, ùracticum, sanctificationis hominum, km in huius notionis gen ile convenire possunt Mm antiqua quam nova sacramenta. Verum notanda sunt diligenter singula. — Nam per hoc quod sacramentum dicitur signum *caeremoniale,* distinguitur ab omnibus sigrrs return divinarum, quae vel non sunt in seipsis sacra, uti v. g. ··;»';.<··; creaturae sensibiles invisibilia Dei repraesentantes; vel non ant ritus symboli. ; a legislatore instituti, sicut imagines erucis et Christi et Sanctorum m ecclesiis assi ; vai le ; permanenter tanquam ad publicum cultum pertinentia, sicut linguae igneae quae in die Pentecostes apparuerunt, et alia huiusmodi. — Item, per hoc quod dicitur signum *practicum.* distinguitur tum a praedictis, tum ab omnibus caeremoniis mere speculative res divinas significantibus, quales illae sunt quae ad hoc duntaxat adhibentur, ut declaretur occulta vis mysteriorum, vel manifestentur sensus religionis erga Deum, quemadmodum videre est in caeremoniis apud nos usitatis in solemni sacramentorum administratione et celebratione sacrificii. — Per hoc denique quod dicitur signum *sanctificationis hominum,* distinguitur potissimum a sacrificio, quia sacrificium in quantum huiusmodi non est signum sanctificationis hominis prout per ipsam actionem symbolicam conferendae, sed est signum interioris affectus quo homo se devovet Deo tanquam primo sui esse principio, in cuius honorem dignum est ut omnis vita consumatur. Et ideo sacrificium pertinet ad divinum cultum per modum ipsius actionis, non autem per modum consecrationis et sanctificationis cultorum Dei.

Sic igitur declaratum habes in praemissis id quod in sacramentis est *maxime distinctivum ;* nondum tamen tenetur completa atque adaequata notio sacramentorum in genere.

§ 2.

Quod significatio sacramentorum non restringitur ad id quod significando efficiunt, et quo sensu sit maxime probanda definitio S. Thomae^): «Signum rei sacrae in * quantum est sanctificans homines ».

Etenim commune fuit omnibus sacramentis in hoc ordine providentiae, ut significarent universalem causam sanctificationis nostrae, quae est redemptio Christi : imo ut non essent sanctificantia nisi propter quamdam repraesentationem principalis illius mysterii, a quo omnis salus nostra processit. Quare nondum exhibuit completam atque adaequatam notionem sacramentorum in genere, quisquis illa esse dixerit *signa practica sanctificationis.* Sic enim attenditur quidem *res contenta,* id est, signatum sacramenti quod in eo continetur ut effectus in sua causa : sed nulla mentio fit satis explicita *rei non contentae,* quam scilicet significat et non causât sacramentum.

Altius igitur veritatem attigit S. Thomas, cum art. 3 huius quaestionis, quaerens utrum sacramentum sit signum unius rei tantum, respondet quod « sacramentum proprie dicitur id quod < ordinatur ad significandam nostram sanctificationem ; in qua * tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis « nostrae, quae est passio Christi ; et forma nostrae sanctifica- « tionis, quae consistit in gratia et virtutibus ; et ultimus finis « sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna : *et haec omnia fier « sacramenta significantur* ». Sane vero, istud in primis perspicuum est quoad principale Novae Legis sacramentum, in quo quidem « recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia. «et futurae gloriae nobis pignus datur». Sed et in Baptismo, praeter gratiam quae est semen et principium gloriae, significatur Christi Domini mors, sepultura, et resurrectio, ut cui baptizari *complantantur,* testante Apostolo ad Rom. VJ, 3-6. Per

(») S. Thomas, hic, q. 60, art. 2, in corp.

Confirmationem etiam,
in quantum est Judaeis scand ›· Per Poenitentiam et Extremam Unctionem significatur inexhausta redemptionis virtus, prout ad homin · reparationem sufficiens est, non semel tantum, sed et quoties post baptismum in peccatum retabimur, in O
Christi ; in Matrimonio demum, coniunctio eius cum Ecclesia, — Neque in hoc antiqua sacramenta a novis dissonabant, prout apparet in circumcisione quae fuit ianua caeterorum. Nam cir cumcisio significavit in primis nostrae satatis causam, id est. adventum Christi in carne de progenie et semine Ahrahae. promissiones a Deo factas. Significavit etiam formam nostrae sanctificationis, quae est gratia reprimens et ligans concupiscen tiam, seu vitia circumcidens : et ideo, Rom. II, 28-29, considerat Apostolus eos qui in abscondito Judaei sunt, corde scilicet et spiritu circumcisi. Significavit demum omnimodam illam incorruptionem quae habebitur in beata immortalitate, quand·· omnino destruetur corpus peccati ; unde praescribebat Lex ut fieret circumcisio octavo die, qui est dies gloriosae resurrectionis Christi et symbolum aeternitatis, ut Patres notaverunt.

Quin imo, ex significatione *rei non contentae* accipienda est radicalis ratio totius differentiae inter nova et vetera sacramenta. Quia enim sacramenta antiqua mysterium Christi significabant ut futurum, nondum ex eo trahebant virtutem interius iustificandi : sed sicut praenuntiativa erant respectu principalis causae nostrae sanctificationis, sic etiam vi sua propria non conferebant nisi praenuntiativam sanctitatem, id est, umbratilem et figuralem. Sacramenta autem nova repraesentant redemptionem ut iam completam et perfectam, et hac de causa, practica eorum signi ficatio se extendit ad aliquid nobilius. Nam cum rememorativa sint passionis Christi, ad quam simul comparantur ut instrumenta applicationis, ideo exsistunt demonstrativa eius quod virtute eorum in nobis efficitur per Christi passionem, et ex consequenti prognosticam id quod manet nos in futuro, videlicet gloriam aeternam quam per sacramentalem gratiam consequimur.

‹ · cum ita sint, omnino probanda est ut magis adae-
‹. ntio sive descriptio quam de sacramentis ponit
i nquiens : « Proprie dicitur sacramentum, secundum
: ‹·«. nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei
«sacrae in quantum est sanctificans homines». Et nota
. . , i , descriptionem hanc nihil a praecedenti differre, quod
;inet ad rationem veluti genericam sacramenti. Semper enim
exhibetur sacramentum ut in genere signi exsistens. Signi, in-
quam, non qualiscumque, sed caeremonialis, quod est signum
symbolice significans (1), signum etiam sacrum tam ex parte rei
figuratae quam ex parte ritus figurantis (2), signum denique a
lege rite institutum (3), iuxta declarationes in superioribus tra-
ditas. — Sed differt definitio ista ex parte rei cuius signum est
sacramentum, pro quanto amplitudine sua comprehendit id omne
ad quod sacramentalis significatio sese extendit, scilicet tam *rem
contentam* quam *rem non contentam*. Res enim sacra in quan-
tum est homines sanctificans, importat primo principalem cau-
sam sanctificationis quae est redemptio, tum deinde ipsam for-
mam sanctificationis quae consistit in gratia et virtutibus, denique
finem sive ultimam sanctificationis consummationem quae in gloria
habebitur. Cuius ratio est quia sacramentum, in hoc quod signi-
ficat rem sanctificantem, oportet quod « significet effectum qui
* intelligitur in causa sanctificante, prout est sanctifiqans › (4).

(') « Divina traduntur in Scripturis, non solum per similitudines « verbo expressas, sicut patet in metaphoricis locutionibus, sed etiam « per similitudines rerum quae visui proponuntur, quod pertinet ad «praecepta *caeremonialia*». S. Thom. 1-2, q. 99, a. 3, ad 3nm.

(■) « Nomen caeremoniae introductum est ad significandum cultum «divinum apud Latinos, a quodam oppido iuxta Romam, quod Caere « vocabatur, eo quod, Roma capta a Gallis, illic *sacra* Romanorum «oblata sunt, et reverentissime habita». Ibid, in corp.

(f « Illa praecepta quae *in lege* pertinent ad cultum Dei, specia- « liter caeremonialia dicuntur». Ibid.

(f) S. Thom. hic. art. 3 ad 2um. Quare, cum dicitur: *res sacra in quantum esi sanctificans,* intelligendum est: Sanctificans in actu exercito, id est, secundum quod medio sacramento, exercet sanctificandi munus, quacumque demum sanctificatione.

Sed respectu horum trium, sacramenta vetera erunt I diter prognostica, tametsi ut di· "im est, sua virtute <<>nfen mt de praesenti quamdam praefigurati nem interioris gratiae. Sacramenta vero nostra sunt i . m primi, demonstrativa simul et efficat ia respectu tertii (l).

Hactenus notio sacrament», pr ut nunc de sacramentis loquimur. De quibus rigoro^a definiti · non potuit, quia sa cramenta sunt entia artificiali t, non sit per se una et in indivis ! - I un leti nitionis quam descriptionis nomin p nus. SupeHBBf autem ut quaecumque manent adhuc magis particulariter deter minanda, in sequentibus propositionibus declarentur.

THESIS I.

(Ar t . 4-6)

Sacramenta semper aliqua re sensibili constant. Sed ad perfectionem sacramentorum Novae Legis pertinet, quod duabus partibus essentialibus componantur, rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma.

Sacramenta, ut iam dictum est, sunt in genere signi. Signum autem definitur id quod per formam quam sensibus vel intellectui imprimit, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Non est autem indifferens, quale sit illud quod assumitur ad

(*) «Dicendum, inquit S. Thom, in IV, D. 1, q. 1, a. i, q. 1, « ad 4mu , quod sacramenta Novae Legis tria significant : scilicet causam primam sanctificantem, sicut baptismus mortem Christi, et qunn- «tum ad hoc sunt signa *rememorativa.* Item signant efiectum sanctificationis quam faciunt, et haec significatio est eis principalis, et sic «sunt signa *demonstrativa* ; nec obstat, si aliquis sanctitatem non recipit, «quia non est ex defectu sacramenti, quod quantum in se est. natum « est gratiam conferre. Item significant finem sanctificationis, scilicet « aeternam gloriam, et quantum ad hoc sunt signa *prognostica.* Sacra- « menta vero veteris legis erant *totaliter signa prognostica* ».

i, quia secundum quod diversificantur res signifi-
er iticatur etiam modus significandi. Et ideo, ut plene
-e-ur *quid sit sacramentum,* oportet explicare cuiusmodi
quae in significatione sacramentorum requiruntur.

Supponitur ut satis evidens ex dictis hactenus, sacramenta esse semper aliquid sensibile. Sunt enim primo et per se signa; talia autem oportet esse sensibilia, ut clare ostendit S. Thomas in praesenti (1). Sed in sensibilibus, quaedam sunt quae significant ut *verba,* quaedam vero ut *res.* Prae primis igitur definire oportet, quae sit tam in *verbis* quam in *rebus* propria significandi ratio. — Porro verba sunt signa intellectuum sive conceptuum, ait Aristoteles, et conceptus sunt rerum similitudines ; et sic patet quod verba non referuntur ad res significandas, nisi mediante conceptione intellectus (2). Hinc verborum significatio, tota quanta est, provenit ex institutione positiva hominum, quibus naturalis facultas inest componendi voces ad suas conceptiones exterius manifestandas. Hinc etiam, vis significativa in verbis est *pure ad placitum;* nam certe, illud quod vocamus lapidem, potuisset vocari asinus, et vice versa, ut constat. — At nunc considerandum est, aliam omnino esse conditionem rerum in ordine ad significandum. Etenim res (8) non

(x) « Unumquodque praecipue denominatur et definitur secundum « id quod convenit ei primo et per se, non autem secundum id quod « convenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis per se habet quod « ducat in cognitionem alterius, quasi primo et per se homini innote- < scens, quia omnis nostra cognitio a sensu oritur... Et inde est quod « primo et principaliter dicuntur signa, quae sensibus offeruntur... Effe- « ctus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum « quod sunt manifestati per alia signa. Et per hunc etiam modum, « quaedam quae non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, « in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra age- tur». Quaest. 60, a 4, ad iu,".

f·) S. Thom. i, q. 13, a. 1.

(·) Res in praesenti intelliguntur, non solum elementa naturalia, ut aqua, oleum, etc., sed etiam actiones sensibiles, puta ablutio, inunctio, circumcisio, et alia huiusmodi, quia, ut habetur art. 6, ad 2lim,in his eadem est ratio significandi, quae in rebus.

significant immediate ipsam conceptionem intellectus, et hac mediante, obiectum quod in conceptione menti intenti nai.ter representatur; sed habetur in rebus significantibus ñmm liatus ordo significationis ad res significata ·, n· · iam *pure* arbitraria est significatio ipsa. Fun-'.i, r quippe significatio rerum, vel certe aptitudo et congruentia quam habent ad dymficandum. super quamdam naturalem) onv<-nj< nt.am, puta similitudinis cum re significata; ex quo fit ut quidlibet non pos.dt assumi ad significandum quodlibet. Verumtamen animadverte, duple ; esse genus similitudinis. Una est quae consideratur secundum communicationem in eadem qualitate, puta in eadem figura, cuiusmodi est similitudo intercedens inter Caesarem et statuam eius. Alia est quae consistit solummodo in quadam analogia proportionum, quatenus, exempli gratia, sicut aqua abluit corpus ab immunditiis, ita gratia, quae confertur in baptismo abluit animam a peccatis; et sicut panis cuius species manent in sacramento corporis Christi, reficit hominem exteriorem, ita gratia quae confertur in Eucharistia, pascit ac sustentat hominem interiorem, etc. Et talis est similitudo quae sola attenditur in proposito, quia illa sola est quae potest esse corporalium ad spiritualia.

Dico igitur, res sensibiles requiri in quibuslibet sacramentinullo facto discrimine inter veterem et novam Legem ; perfectorum autem sacramentorum Novi Testamenti proprium esse, quod in eis verba adiungantur rebus, tanquam *forma materiae*. Circa quod adverte, non fuisse in usu voces materiae et formae in re sacramentaria ante saeculum XIII, sed a Gulielmo Antissidoriensi primum usurpatas, ac deinceps usu ecclesiastico consecratas. Dicuntur autem de sacramentis, non sensu illo proprio quo sumuntur in physicis, sed improprie dumtaxat secundum quamdam proportionem. Proportio autem est in hoc, quod sicut essentiae corporeae intrinsece constant duobus principiis realiter distinctis, quorum unum est potentia, alterum actus, unum determinabile (id est materia), alterum determinans (id est forma·, ita sacramenta N. L. intrinsecus constituuntur duobus elementis in unum coeuntibus, quorum primum utpote magis indetermi

j t : . debet per secundum in ratione signi, et per il- ı. -no determinant1). — His praemissis:

' aretur dicendum quod Sacramenta non semper rebus it. Nam Poenitentia et Matrimonium in nova Lege sunt -, · .unent.!, tametsi in eis non inveniantur res, sed tantum verba.

Praeterea, in decreto pro Armenis dicuntur sacramenta nostra *tribus perfici;* rebus, verbis, et persona ministri conferentis -aeramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Non ergo duabus tantum partibus essentialibus constituuntur.

Praeterea, si sacramentum est in genere signi, forma eius videtur esse ipsa significatio quae tam rebus quam verbis inest. Non ergo sunt assignanda verba in ratione formae.

Sed contra est communis doctrina theologorum, saltem a temporibus Concilii Florentini, ex cuius auctoritate prodiit instructio ad Armenos, in qua dicuntur sacramenta Novae Legis perfici *rebus tanquam materia,* et *verbis tanquam forma,* iuxta

(') Hic nota quomodo extravagantur ii qui in praesenti affectant invenire accommodationem theologiae ad philosophiam aristotelicam. Et eo magis extravagantur, quod notio materiae et formae introducta in re sacramentaria non transcendit vulgarem illam notionem quam, omnes ultro haurimus ex quibuslibet operibus artis. Nonne independenter a quavis eruditione in philosophia aristotelica, distinguis materiam statuae, puta marmor, deinde vero formam a sculptore inductam, quae marmor determinat ac perficit in esse statuae? Nonne idem dicis de domo, de veste, de pileo, de vase, etc.? Cum ergo viderent theologi esse in sacramentis nostris aliquod elementum cuius magis confusa significatio est, et aliquod aliud per quod significatio perficitur et magis determinatur, recte eis nomina materiae et formae appropriaverunt: ita scilicet ut non tam ab aristotelicis accepta denominatio sit, quam a fundo illo communi, unde ipsi aristotelici sumpserunt analogiam ad designandum essentialia constitutiva rerum naturalium.

Nota praesertim quomodo analogia ista nequaquam valet in sacramentis, nisi quatenus sacramenta supponuntur vere esse in genere signi. Si enim res et verba de quibus nunc sermo, considerentur secundum physicam entitatem, nulla iam, et ne a longe quidem, simihtudinaria proportio. Si autem considerentur in ratione significandi, optime intel-(igitur unio illa, velut materiae et formae, ad unum perfectum constituendum. De quo vide S. Thorn., hic, art. 6 ad 2uni.

illud Augustini, Tract. 8o in Ioan. ŋ. 3 : « Accedit ' ·ı ' ▮ ad «elementum, et fit sacramentum P. L. 35, 18401.

Dicendum itaque primo quod ad sacramenta ·. requiruntur res ſ. — Nam sacramenta prout nunc de sacramentis loquimur, sunt · n si f. ▮ -ymboHca sanctificationis humanae. Sed ad signa ſymb Hca semper requiruntur res. et verba non sufficiunt. — Minor ·.·- /»a:.nr. quia signum symbolicum est, cuius aignifi similitudinem cum re signi Ω est propria rebus, et non competit verbis, ut ostensum c.t in praenotando — Maior etiam constat, tum ex dictis ubi de notione sacramenti, tum ex hoc quod divina Sapientia providet unicuique secundum proprium eius modum, ut ait S. Thomas in corpore articuli Est autem proprius modus hominis in statu praesentis vitae, ut per similitudines rerum sensibilium manuducatur in cognitionem intelligibilium. Et ideo sacramenta debuerunt esse signa spiri tualium, quasi visibiles formae invisibilis gratiae, imaginem eius gerentes, eamque exterioribus oculis quodammodo praesentantes. — Verum :

Dicendum secundo quod perfectionis sacramentorum novae legis proprium est, rebus constare tanquam materia, et verbis tanquam forma (2). — In primis, quod de facto constent duobus illis elementis, probatur tum ex praelaudato decreto pro Armenis) (3), tum praeterea facili inductione; nam. ut in propriis locis ex fontibus Scripturae vel Traditionis ostendetur, singula N. L. sacramenta rebus et verbis componuntur. Et non potest occurrere ratio dubitandi nisi de Poenitentia et Matrimonio. Sed de his in praesenti sufficiet breviter animadvertere, ipsos actus humanos sensibiles esse loco rerum, scilicet actus poenitentis quoad primum, donationem vero sive traditionem iuris in corpora quoad secundum (4). Item utrobique verba

(*) S. Thom, hic, art. 4.
(') S. Thom. hic. art. 6.
(') Denzinger, n. 695.
(·) S. Thom. infra, quaest. 84, a. 1, ad i»m; et in IV, D. 14, q, a. i, ad ium, etc.

Sus uliunci.i inveniuntur, sive verba sacerdotis absolventis, i

') uterque coniugum significat se ratihabere do·
«·"‹■ : altero factam. Nec tandem refert posse contrahi I

nium inter mutos vel absentes, quia etsi singulare sit
i hoc sacramento propter specialem eius conditionem, quod I
sufficiant nutus vel litterae, semper tamen requiruntur aliqua quae sunt aequipollentia verbis, et ex consequenti ad genus vocum omnino reducuntur.

Nunc autem si in omnibus Novae Legis sacramentis inveniuntur res et verba ut partes essentiales, recte admodum assignantur res ut materia, verba ut forma. Ratio est quia verba apud homines obtinuerunt principatum significandi; etenim «verba « diversimode formari possunt ad significandos diversos conce- « ptus mentis, et propter hoc, per verba *magis distincte* possu- «mus exprimere quod mente concipimus». Sed in rebus, ex hoc ipso quod non sunt principaliter factae ad significandum, necessario est *magis confusa* significatio, praesertim si non significant nisi ratione alicuius analogiae plus minusve longinquae, quae etiam potest esse in eis relate ad multa. Quia igitur per verba perficitur significatio rerum, recte dicuntur res et verba ita coire in unum, ut res sint per modum materiae, verba vero per modum formae.

Denique adiunctio verborum in sacramentis N. L. evidentissime facit ad ipsorum perfectionem. Hac enim de causa sunt expressius ac distinctius significantia, ut per se apparet. Praeterea similitudinem gerunt Verbi incarnati a quo habent efficaciam, quia sicut in incarnationis mysterio carni sensibili unitum est Verbum Dei, ita in Ecclesiae sacramentis elemento corporeo unitur orale verbum conceptionem mentalem immediate referens. Tandem melius proportionantur conditioni hominum qui ea suscipiunt, eo quod verba sunt signa aliquo modo spiritualia, utpote quae ab intellectu progrediuntur et ad intellectum vadunt; res vero magis feriunt sensus externos, cum vis eorum significativa fundetur super similitudines corporalibus oculis subiectas.

Ad iu,n ergo responsio patet ex dictis, et adhuc evidentius

patebit ex dicendis suo loco ‹|·· «τ.ιmentis I⁾» nit-fiti ‖ -t Matrimonii in speciali.

Ad 2ᵘⁿ' dicendum quod Concilium signanter utitur verbo *perfici.* Cum enim vellet comprehendere omnia quae ad sacramentorum veritatem utcumque requiruntur, adhibuit eioemodi vocabulum quod posset indifferenter referri ad causas tam intrinsecas quam extrinsecas ' ae non sunt nisi duae, materialis sciiici pertinere ad constitutiva sa ramenton t verba, cum dixit sacramenta perfici rebu nt mal i et verbis ut forma.

Ad 3"m denique dicendum quod forma accipitur dupliciter. Primo quidem pro forma totius, sicut humanitas| est forma hominis, et hoc modo forma ab eo cuius est forma, physice non distinguitur. Alio modo dicitur forma pars essentialis quae cum alio principio realiter adaequate distincto, id est materia, constituit aliquam essentiam, sicut in composito humano forma est anima. Cum ergo dicimus quod in sacramentis verba se habent ad instar formae, sumitur forma hoc secundo modo, nam alias significatio non absurde diceretur forma signi sacramentalis, sicut generaliter omne abstractum significatur ut forma concreti.

Demum nota bene, non esse quaestionem in praesenti nisi de eo quod est primo et per se sacramentum, scilicet sacramentum exterius, vel *sacramentum tantum,* ut aiebant veteres theologi. Nunc autem in Nova Lege, praeter sacramentum exterius constans materia et forma, attenditur etiam id quod est *sacramentum et res,* puta character in Baptismo, Confirmatione, et Ordine, sacrum conjugale vinculum in Matrimonio, praesentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, etc. Se habet ut signatum et causatum per ritum exteriorem, et ideo est *res* eius ; sed quia infallibiliter ac necessario cum ipsomet connectitur, et ulterius signat atque exigit quantum est de se, ultimum effectum interioris gratiae, ideo inest ei simul ratio *sacramenti* sive signi rei sacrae. Dicitur ergo *res et sacramentum,* et non obstat quod non sit secundum se sensibile, quia est sensibile per aliud. Unde S. Thomas, art. 4, ad ium ait: «Effectus intelligibiles non habent rationem signi nisi

n.,u 'I ·o l sunt manifestati per alia signa. Et per hunc
unt sensibilia (per se), dicuntur
qu< §a·' -.mein quantum sunt significata per
α /icetur ».

THESIS II.

(Ar t . 5-8).

Res autem et verba quibus sacramenta constant, debent esse ex institutione divina, et sunt ita necessario retinenda, ut omnis mutatio substantialis, vel in materia vel in forma, tollat veritatem sacramenti.

Sacramenta sunt signa, non mere naturalia, sed ex *institutions* significantia. Cum autem institutionem audis, obiter nota quod sicut in elementis quae sunt materia sacramentorum, praesupponi debet quaedam naturalis idoneitas ad hoc ut assumantur in symbola rei sacrae : ita in verbis formalibus eorumdem praesupponitur etiam humana sive vulgaris institutio ad significandum. Porro de hac institutione in praesenti non agitur, (est enim per se antecedens constitutionem sacramenti), sed de illa sola ex qua habet ritus exterior ut significet *sacramentaliter,* hoc est per eum modum qui competit sacramentis religionis revelatae. Ad plenam enim notificationem horum sacramentorum in communi, restat inquirendum an humanae legis institutio sufficiat, utrum vero necessaria sit positiva institutio Dei. Et pro huius dubii resolutione statuitur praesens propositio, quae est certa et communis inter theologos, et valet de omnibus sacramentis tam novis quam antiquis, etsi S. Thomas art. 5 et 7, de solis sacramentis N. L. quibus homines interius sanctificantur, explicite loquatur.

Videretur tamen dicendum, non esse necesse ut elementa sacramentorum constitutiva sint ex divina institutione determinata. Etenim quae sunt divinae institutionis, oportet uniformiter inveniri apud omnes. Sed sunt quaedam sacramenta, puta Ordo

et Confirmatio, quorum non est eadem materia ve! forma in variis partibus Ecclesiae.

Praeterea ante Legem Mosaicam fuit sacramentum quod vocant legis naturae, in cuius susceptione remittebatur parvulis peccatum originale (l). Sed quidquid pertinet ad legem naturae, non est ex positiva institutione Dei. Non ergo requiruntur in sacramentis res ex divina institutione determinatae.

Sed contra: Necesse est ut sacramentorum constitutiva sint ex illius institutione determinata, in cuius solius potestate est hominis sanctificatio. Et ratio est quia sacramentum dicitur signum sanctificationis non qualecumque, sed aliquo modo practicum, per quod scilicet homo aut interius aut saltem externe et figuraliter sanctificatur. Atqui sanctificatio hominis, quocumque modo accipiatur, in solius Dei potestate est. Id quidem evidentissime constat si de sanctificatione interna quae est per gratiam, sermo sit. Sed constat etiam de sanctificatione illa mere externa et figurativa, quam Veteri Testamento propriam fuisse diximus. Qua enim parte consistebat in aggregatione ad populum Dei vel consecutione certi gradus in eius hierarchia, profecto ab hominum voluntate non dependebat, quia non ad subditos pertinet determinare modum quo quis annumerari debet inter Principis domesticos et familiares. Qua vero parte consistebat in purgatione ab irregularitatibus divino iure introductis, idem omnino iudicium ferendum est, cum nequeant inferiores propria auctoritate solvere id quae superior ligavit. Unde tandem oportet concludere quod ad quaelibet sacramenta requiritur divina institutio.

Et nota quomodo hoc argumentum est illud ipsum quo utitur S. Thomas art. 5 in corpore, ubi duplicem distinguit re-(*)

(*) « Sacramentum regenerationis nostrae manifestum voluit mani-«festatus Mediator. Erat autem antiquis iustis aliquod occultum, cum «tamen et illi eadem fide salvi fierent, quae fuerat suo tempore reve-«landa... Quod si circumcisio antiquis sanctis pro baptismo fuisse ere-« ditur, quid respondebitur de his qui antequam hoc praeceptum esset. «Deo placuerunt, non tamen sine fide?» August. Epist. 187 ad Dardanum, n. 34 (P. L. 33, 845).

spectum in sacramentis, secundum quod consi<)< i.intur nt signa practica sanctificationis hominum, vel ut actiones quaedam ad cultum Dei pertinences. Et si quidem in eis solum consideraretur ratio actionis pertinentis ad divinum cultum (’), sacramenta *per se* non exigerent institui a Deo : est enim in hominum potestate instituere caeremonias ad colendum Deum, puta sacrificia et alia huiusmodi. Nunc autem necessitas divinae institutionis oritur ex hoc quod sacramenta sunt collativa cuiusdam sanctitatis ordinis supernaturalis, ut dictum est supra, cum de notione sacramentorum in communi ageretur. Nota insuper quod institutio divina de qua hic sermo, opponitur institutioni quae ab homine sit ex naturali et congenita potestate. Id enim humanae institutioni simpliciter subesse dicitur, quod homo ex sibi propriis instituere potest. Non ergo a priori excluditur in sacramentis sufficientia institutionis quae esset solum mediate divina, id est, ex potestate quam Deus positive hominibus ad hoc contulisset. Interim vero, cum nullum huiusmodi concessionis in praesenti ordine providehtiae vestigium adhuc appareat, ideo ad factum quod attinet, removenda hypothesis, et solius institutionis immediatae ratio habenda est.

Ad i’,m ergo dicendum quod de variationibus in materiis et formis sacramentorum disputabitur suo loco. Interim vero, quacumque hypothesi facta, facile solvitur proposita difficultas si quis animadvertat dari posse plura signa symbolica per se aeque idonea ad unam eamdemque significationem sacramentalem, et idoneitatem huiusmodi non provenire in eis ex positiva , dispositione instituentis sacramentum, sed *aliunde praesupponi.* Sufficit ergo ut divina institutio cadat super constitutiva sacramenti sub ratione generali cuiusdam signi symbolic! aliunde apti ad certam quamdam significationem sacramentalem, (puta significationem traditionis potestatis sacrae), relicta interim competenti auctoritati electione materiae et formae omnino in individuo. Et sic, cum uniformitate circa id quod divinae institutionis est, scilicet circa signum sacramentale formaliter qua sacramentale,

(«) S. Thom. 2-2, q. 89 in prooetn.

poterit haberi quaedam diversitas *mere materialis* quoad elementa quibus constat ff. Non ergo ex hac parte quidquam pr.i' iud ' are potest necessitati divinae institutionis in sacramentis. Caetenim, an de facto exsistat huiusmodi diversitas, quaestio est, non in praesenti, sed inferius examinanda.

Ad 2",n dicendum quod quaecumque sententia eligatur circa -aeramentum legis naturae, argumentum procedit ex falso supposito. Cum enim, *historice loquendo,* contradistinguimus legem naturae a lege mosaica et lege Christiana, sicut a dicta lege naturae non excludimus praecepta supernaturalia fidei, spei, et charitatis, ita nec intendimus removere omnem omnino POHtfr

(·) Quod ut aliquo exemplo patefiat suppone nunc, Christum solummodo instituisse ut esset in Ecclesia ritus aliquis sacramentalis significans traditionem potestatis sacerdotii cum gratia respondente, non tamen determinando in individuo quis ille foret, sed committendo apostolis ut unum vel alterum caeremoniale signum, aliunde idoneum, assignarent. Finge insuper Petrum in Occidente assignasse traditionem instrumentorum sacrificii, loannem vero in Oriente impositionem manuum. per quam derivatio potestatis ab uno in alium figuratur. Profecto in his rerum adiunctis, factum Petri vel loannis fuisset mera conditio, qua posita, suum sortita esset effectum institutio divina, conferens id totum quod pertinet ad constitutionem signi sacramentalis, formaliter qua sacramentale est. Praeterea, unum idemque foret utrobique sacramentum a Deo institutum, sicut unum atque idem est sacramentum baptismi, sive celebretur in lingua latina, sive in arabica ; nam in casu, traditio instrumentorum et manuum impositio differrent inter se ut duol diversa idiomata *linguae symbolicae,* non secus ac forma baptismi in latino et in hebraico, ut duo idiomata *linguae usualis.*

In summa, si qua sint sacramenta quorum materia et forma fuerint ' ti.mi in individuo determinata a Christo, in his quoque indubium est, nullam esse posse aut diversitatem aut variationem, quia quidquid divinae institutionis est, prout et in quantum divinae institutionis, immobiliter maneat necesse est. Sed si qua alia sunt in quibus institutio divina quamdam, ut supra, reliquit latitudinem, non eadem ratio currit In omni autem modo cave a falsa conceptione secundum quam virtus sacramentorum esset alligata materialibus sonis vel ritibus, praecise ut materiales sunt. Rei enim veritas habet quod est alligata Mgnilicationi divinitus impositae. Quo fit ut ubicumque, non obstante materi.di quadam diversitate, idem remanet signum, formaliter ut signum ex institutione divina significans, idem quoque semper est et manet sacramentum.

vam institutionem Dei in cultu religioso. Sed denominamus legem sub qua vivebant antiqui Patriarchae a potiori parte, quatenus praeter ea quae ex ipsa rerum natura exiguntur in suppositione elevationis generis humani ad finem supernaturalem, paucissimas habebat institutiones mere positivas, easdemque *forsitan* non lege exterius data, sed solo interiori instinctu a Deo traditas, ut dicitur art. 5 in responsione ad 3„m. Hinc S. Thomas, in IV, D. i, q. 1, a. 2, q. 3: «In statu legis naturae « non sufficiebat ad salutem sola naturalis cognitio, sed exige- « batur fides aliquorum quae supra rationem sunt ; et post « lapsum exigebatur fides de Reparatore, per quem erat medi- « cina morbi. Et ideo in statu illo, non tantum erant necessaria « opera quae sunt de dictamine legis naturalis, sed etiam alia « quae essent potestationes et signa eorum quae ad reparatio- «nem pertinebant, et haec erant illius temporis sacramenta». Ex hac autem animadversione omnino excluditur proposita difficultas.

SCHOLION.

Praeter sacramenta, sunt etiam quae dicuntur *sacramentalia,* quasi aliquo modo pertinentia ad sacramenta, et de eis participantia.

Quo in genere sunt primo ritus in solemni sacramentorum celebratione ab Ecclesia adhibiti. Sunt praeterea consecrationes elementorum aut etiam utensilium ad eorumdem confectionem inservientium, ut aquae, olei, calicum, altarium, etc. Sunt insuper initiationes ad certos gradus in Ecclesia, velut collatio primae tonsurae, benedictio abbatis, coronatio regis, et similia. Sunt denique res ab Ecclesia benedictae, ut in earum usu aliquid a Deo obtineatur gratiae spiritualis, uti aqua lustralis, et huiusmodi.

Haec sane omnia ad perfectionem sacramentorum nequaquam pertingunt, tum quia non a Deo, sed ab Ecclesia suam institutionem repetunt, tum quia non sunt causae efficientes san-

ctihcationis gratiae, sed solum impetrativae auxiliorum quibus se homo ex opere operantis ad gratiam vel augmentum gratiae disponat. Adhuc tamen aliqualiter de sacramentis participant, tam in ratione signi quam in ratione causae. In ratione quidem signi, quia semper sunt caeremonialia significantia mysterium redemptionis Christi, vel ea quae redemptionem consequuntur. In ratione etiam causae, quia cum specialem vim impetrativam accipiant ex annexa benedictione Ecclesiae, peculiaris quoque in eis efficacia attenditur, ad ipsorum sacramentorum vim et praestantiam nonnihil accedens. Et ideo, non sacramenta, sed sacramentalia iure meritoque vocantur.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

QUAEST. LXI

Deinde considerandum est de necessitate sacramentorum, Agitur autem potissimum de necessitate qua fuit necessarium ut essent sacramenta in societate religiosa ; non de necessitate qua, institutione supposita, unicuique homini necessarius est sacramentorum usus ad salutem consequendam ; de hoc enim dicetur infra. Porro, huius quaestionis doctrina duabus propositionibus absolvetur, quarum prior generaliter attendit praesentem humanae naturae statum, posterior vero differentias temporum, ante et post Christum.

THESIS III.

(Art. 1-2).

In praesenti statu naturae lapsae sacramenta fuerunt ad humanam salutem necessaria, quadam necessitate convenientiae ; sed ante peccatum esse non debuerunt.

Praesens naturae status, praeter privationem originalis iustitiae per peccatum primi parentis inductam, importat restaurationem ad finem supernaturalem per Christum Redemptorem ; gratia autem Redemptoris non se extendit, sicut gratia originalis, ad continendum partem sensitivam sub perfecto dominio rationis, et in hoc ab ea potissimum distinguitur (i). Duo igitur habet conditio nostra, quae in hac quaestione omnino attendi debent ; unum pertinet ad dignitatem, alterum ad defectum, et utrumque simul facit sacramenta necessaria, ut videbimus. Ne tamen circa huiusmodi necessitatem fallamur, animadvertere

(i) S. Thom. 1, q. 94, a. 1 - Q. 95, a. 1.

oportet quod necessarium dicitur dupliciter. Primo, necessarium necessitate absoluta, sicut necessarium est Deum esse; secund h trium necessitati hypothetica, scilicet ex stipi

Et iterum, vel est necessarium simpliciter, ut sine quo non potest obtineri finis, vel est necessarium solummodo secundum quid, ut per quod magis convenienter obtinetur finis, et hoc modo accipitur in praesenti. Porro convenientia consideratur, non ex parte Dei cui omnia media aequalia sunt, sed ex parte hominis, cui pro diversis statibus in quibus eum inveniri contingit, congruit hic vel ille providentiae ordo (*). Denique, cum docet S. Thomas sacramenta non debuisse institui in statu innocentiae, per hoc non determinat id quod de potentia Dei absoluta potuisset vel non potuisset fieri, sed solum intendit quod sacramenta non erant connaturalia huic statui, ac ideo, quod tunc esse non debuerunt, habita ratione suavis providentiae qua Deus se accommodat conditioni rerum, et unicuique providet secundum proprium modum eius.

§ 1.

Quod in praesenti statu sacramenta fuerunt necessaria. — Prima congruitatis ratio accipitur ex praesenti conditione na turae humanae quoad intellectum. Videmus enim quod quanto est infirmior intellectus, tanto magis indiget manuduci per exempla et similitudines sensibiles ad intelligentiam rerum suprasensibilium, praesertim vero supernaturaliurn. Homo autem incurrit magnam debilitatem intellectus, ex quo fuit destitutus dono integritatis per quod inferior pars omnino subdebatur superiori (-').

(*) S. Thom, in IV, D. i, q. i. a. 2.

(·) « Obscuritas triplex potest accidere alicui intellectui. Prima ex • hoc quod ex nihilo est... Secunda ex hoc quod intellectus intelhgit « inquirendo, et per continuum et tempus, et talis obscuritas accidit « intellectui humano in comparatione ad intellectum angelicum... Tertia « vero obscuritas intellectum consequitur humanum ex peccato, conse- « cuta ex corruptione carnis aggravantis animam, et sic in aenigmate «nunc homo videt, tunc autem non vidisset». S. Thomas in il, D. n, q. 2, a. I, ad 3"".

Ut igitur ea quae ad sanctificationem nostram spectant, essent ad captum nostrum accommodata, convenientissime providit Deus ut hanc ipsam sanctificationem nobis consequendam proponeret sub quibusdam corporalibus et sensibilibus symbolis quae dicuntur sacramenta. Et ad eamdem rationem refertur vel maxime, consideratio illa quam subdit catechismus Concilii Tridentini : animum scilicet hominis in praesenti statu, non facile commoveri ad credenda ea quae nobis divinitus proponuntur. Ideoque, si non fuissent in cultu divino quaedam visibilia sacramenta, divinarum promissionum protestativa, vel mysteriorum redemptionis nostrae rememorativa, brevi horum omnium fides et memoria in genere humano concidisset. Hinc est quod Dominus noster a discipulis discessurus, tradendo sacramenta corporis et sanguinis sui celebranda, dixit : « Hoc facite *in meam commemorationem* », quasi volens providere ne excideret apud nos recordatio mortis suae, et invisibilium bonorum quae nobis attulit redemptio. Hinc etiam Paulus ait : « Quotiescumque enim « manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini «annuntiabitis donec veniat». Hoc namque modo, visibile sacramentum dominicae passionis quotidie celebrantes, pretium salutis nostrae quotidie sub oculis habemus, et quotidie mente revolvimus; alias sequeretur mox neglectus, ac demum oblivio.

Secunda congruitatis ratio sumi debet ex praesenti conditione naturae humanae quoad voluntatem. Homo enim superbe a Deo recedendo, sese inordinate subiecerat sensibilibus, in quibus post originalem lapsum fere immergitur eius affectus. Ratione igitur habita huiusmodi deordinationis in quam per superbiam inciderat, convenientissimum fuit ut sensibilibus rebus tanquam Dei instrumentis ordinate iam atque humiliter sese subiiciendo, iustitiam recuperaret. Revera, tota sacramentorum oeconomia ad domandam superbiam dirigitur, iuxta illud catechismi ad parochos : « Humanae mentis superbiam edomant ac « comprimunt sacramenta, nosque ad humilitatem exercent, dum « sensibilium elementis subiicere nos cogimur ut Deo obtem- « peremus, a quo ante impie defeceramus ut mundi elementis «serviremus». Propterea mundani homines huic oeconomiae

tamquam vanae cuidam ac puerili disciplinae ex toto contradicunt. Sed ex hoc praecise convenientia eius elucet etiam magis. Quis enim nesciat omnem dispensationem nostrae salutis debuisse fundari supra eversionem eius quod maximum est in ordine ad regnum Dei impedimentum? Id certe velut in epigrapho expressum habes, cum primum Verbi incarnati apud nos adventus annuntiabatur: *Natus est vobis hodie Salvator,* aiebat angelus ad pastores. *Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* En tibi breve capitulum in quo tota nostra religio continetur. Invariatum namque manet et in finem usque manebit signum Salvatoris, qui nunc in sacramentis sub vilibus pannis sensibilium elementorum abscondit virtutem suam, imo et personam, ut talis semper inveniatur, qualem se in Bethleem nascens, agnoscendum adorandumque exhibebat. Et quisquis humiles illos incarnati Verbi pannos superbia elatus contempserit, ipse se a divinorum consortio eo ipso excommunicabit, fietque hospes testamentorum, promissionis spem non habens, et sine Deo in hoc mundo. Etenim indebitae subiectioni ad sensibilia quae ex peccato orta ad peccatum trahit, debuit opponi subiectio plena humilitatis et reverentiae erga Deum, « cuius imperio salutem quaerit homo in inferiori- « bus se, etsi non ab illis, sed per illa a Deo » (1).

Tertia denique congruitatis ratio sumi debet ex praesenti conditione naturae humanae quantum ad actionem. Est enim homo lapsus maxime propensus ad actiones exteriores et corporales. Ergo convenientissime proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salutariter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia quae consistunt in actibus peccatorum. Sane vero, suavis providentiae modus exigit ut naturalis propensio non comprimatur, sed ad rectum ordinem reducatur, si quando contingat eam ad nociva deflectere. Propensio autem qua homo potissimum fertur in actiones exteriores, per se naturalis est, etsi de facto sit peccati sequela propter amissionem

(1) Magist. Sent. l. *4,* Dist. 1.

integritatis qua menti suberant inferiores animae vires, et ipsi animae corpus. Caeterum praefatam propensionem contestatur ipse diabolus, qui semper procuravit subiicere sibi homines per quorumdam mysteriorum sive sacramentorum celebrationes. Nam antiquitus tot instituerat mysteriorum genera, quot falsas constituerat divinitates, Apollinem dico, et Saturnum, et Bacchum, et Cererem. Quin et sub initiis Christianae religionis, mimicam sacramentorum nostrorum imitationem apud suos introduxerat, teste Tertulliano de Praescript. c. 40 (P. L. 2, 54, 55): «(Diaboli) sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res «sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis aemulatur. Tingit «et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos; expositionem «delictorum de lavacro repromittit. Etsi adhuc memini, Mithra «signat illic in frontibus milites suos. Celebrat et panis oblatio«nem, et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit «coronam». Denique et nostris temporibus habet apud liberos Muratores et Spiritistas et Magnetizantes, quorum doctrina ut cancer serpit, infinita sacramenta initiatoria. Ex his omnibus ostenditur, quam conveniens fuerit in praesenti ordine sacramentorum institutio. Verum :

§ 2.

Ante peccatum esse non debuerunt, utpote praeter et contra ordinem in statu innocentiae exsistentem.

Ratio esjl quia sacramentorum usus importat quamdam dependentiam sublectionis, quantum ad animae perfectionem, a corporalibus rebus, quibus mediantibus, homo sanctificatur et eruditur. Sacramenta enim sunt, tum instrumenta per quae Deus influit gratiam in anima, tum etiam normae sensibiles artificiales per quas regulamur ad supernaluralium rerum qualemcumque conceptionem ; et sub utroque respectu non conveniunt nisi homini sub dominatione sensibilium constituto. Sed in statu innocentiae superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis dependentia subiectionis. Ergo contra ordinem huius status fuisset usus sacramentorum.

Hic autem nota diligenter, totam vim argumenti in hoc i sitam esse, quod sacramenta congruunt homini, prout habenti | dependentiam a sensibilibus, non qualemcumque, sed *subiectionis* | siv»· *submissionis.* Considerandum enim est, dari posse depen-1 dentiam merae necessitatis quae nullam infert sublectionem , nam | certe pictor in exercitio suae artis pendet a penicillo quo indiget ad pingendum ; non tamen pendet quasi subiectus, sed magis quasi movens et dominus. Si vero ulterius indigeret pictura ab extrinseco praemonstrata, tanquam exemplari imitando et norma regulante conceptionem artis, esset tunc subiectionis etiam dependentia. Porro in statu innocentiae anima certe intelligebat per conversionem ad phantasmata, et per species a sensibilibus abstractas ; hoc enim ita naturale est homini, ut non pertineat ad positivos defectus quos integritatis donum impediebat. Verum phantasmatibus a rebus sensibilibus acquisitis usus fuisset homo innocens tanquam sibi subiectis, et verbis doctrinae tanquam connaturali medio communicationis conceptuum. Nullo autem modo tunc dependebat intellectus ab inferioribus se, velut sub eorum captivitate positus. Idemque dicendum de affectu voluntatis. Quia igitur rationes in prima parte allatae procedebant ex consideratione naturae in sensu composito defectuosae illius subiectionis quam homo peccando incurrit, consequitur quod sacramentorum oeconomia non fuisset in harmonia cum propria ratione status qui peccatum antecessit.

<Accedit) quod in statu innocentiae gratia fuisset congenita homini ; non ergo debuissent esse sacramenta ad primam infusionem gratiae; sed nec ad augmentum eius, quia res ex iisdem principiis perficiuntur, ex quibus innascuntur. Accedit' iterum quod quoties ad perfectionem alicuius rei oportet addere aliquid ultra id quod requirit ordo illius naturae secundum se consideratae, hoc accidit ad subveniendum alicui defectui, sicut cum simplici cibo nutritivo addi debet digestivorum condimentum. Ex ordine autem naturae humanae quoad sanctificationem su· pernaturalem, nihil aliud per se requiritur praeter influxum Dei. et gratiam et virtutes; non autem requiruntur res corporales ex quibus hominis sanctificatio dependeat. Aliunde vero in statu

innocentiae, quantum erat ex vi huius status, nullus fuisset defectus cui oportuisset subvenire ζ1). Ergo iterum, modus sanctificationis humanae huic statui harmonice consonans fuisset per Dei influxum, nullo interposito instrumento corporeo.

Recte igitur S. Thomas constanter docuit sacramenta esse ex propria sua ratione, *in peccali remedium.* « Medicina, inquit « art. 2 in argumento *sed contra,* non est necessaria nisi aegroto, «secundum illud Matth. IX: *Non est opus sanis medicus.* Sed «sacramenta sunt quaedam spirituales medicinae quae adhiben« tur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante «peccatum». Et catechismus Cone. Trid. part. 2, c. 1, n. 14, dicit : « Tertia causa (cur sacramenta institui oportuerit), fuit « ut illa tanquam remedia, ut scribit S. Ambrosius, atque evan« gelici Samaritani medicamen, ad animarum sanitatem vel re« cuperandam vel tuendam praesto essent». Et haec quidem, quod attinet ad convenientiam oeconomiae sacramentorum. Sed iam ad doctrinae complementum superest ut in statu naturae lapsae duas insignes temporum differentias consideremus. Hinc:

THESIS IV.

(Art. 3-4).

Tam ante quam post Christum oportuit esse sacramenta, non tamen eadem ante et post, sed alia omnino atque alia, prout Redemptor adhuc venturus sperabatur, vel iam creditur advenisse.

Videretur tamen dicendum quod ante Christi adventum, non debuerunt esse sacramenta. Si qua enim sit sacramentorum necessitas, non attenditur nisi in ordine ad consequendam interiorem sanctitatem, quae sola ad animae salutem confert. Sed non potuerunt esse ante Christum sacramenta causativa interioris gratiae, uti inferius q. 62, a. 6, ostendetur. Ergo, etc.

(») S. Thom, in IV, D. 2, q. 2, a. 1.

Imo vero videri posset sacramenta etiam Christiana esse excludenda, quia vel sunt iniuriosa efficaciae redemptionis iam consummatae, vel certe non conveniunt perfectioni status Novi Testamenti, in quo, ut Apostolus dicit ad Gal. IV·^, non sumus amplius sub elementis mundi servientes.

Praeterea sacramentorum mutatio importat mutationem in religione, cum tamen oporteat divinam religionem esse unam, et inde ab initio sibi ipsi semper constantem permanere. Saltem igitur dicendum est, non debuisse nova sacramenta antiquis succedere.

Sed contra: Tam in veteri quam in Novo foedere sacramenta fuerunt de facto a Deo instituta, et quidem diversa pro temporum diversitate: quidquid autem a Deo est, ordinatum et summe conveniens est.

Et re quidem vera, sicut ex rationibus in propositione praecedenti priino loco expositis liquet, sacramentorum necessitas potissimum oritur ex necessitate conservandi in genere humano fidem promissionum et mysteriorum quae ad nostram sanctificationem, supernaturalemque vitae aeternae destinationem spectant. Sed non minus ante quam post Christum oportebat conservari fidem, quae totius religionis revelatae basis est et fundamentum. Ergo conveniebat ut ante et post adventum Christi sacramenta essent. Nunc vero, cum Christus sit fons et auctor gratiae, iuxta illud Ioan. I, 17: «Gratia et veritas per Iesum Chri-« stum facta est», necesse fuit ut sacramenta nostra, utpote a Christo instituta et ab ipso vim habentia, forent valde diversa, sive quoad modum significandi, sive quoad efficaciam, ab iis sacramentis quae comparabantur ad ipsum ut ad causam finalem tantum, utpote ordinata ad futurum eius adventum annuntiandum, et ad sanctificationem conferendam quae esset praefigurativa sanctitatis interioris per eius passionem promeritae. Recte igitur S. Thomas, in IV, D. i, q. 1, a. 2, quaestiuncula 5, sol. 5: «Ea « dem est fides modernorum et antiquorum, ut Augustinus dicit. « quia quem illi credebant venturum, nos credimus iam venisse. « Et ideo, cum sacramenta *fidei* respondeant sicut protestatio-« nes ipsius, oportet quod sicut antiqui Patres redemptionis

«Christi participes effecti sunt per sacramenM quae erant signa «futuri, ita et in nos redemptio eius perveniat, mediantibus « aliquibus sacramentis significantibus quod iam factum est, «quae sunt sacramenta novae Legis ».

Ad iu,n ergo dicendum quod prima et potissima ratio necessitatis sacramentorum in praesenti statu, non tam est actualis consecutio interioris gratiae, quam conservati·» ıı<ı< i promissionum Dei per caeremonias et sanctificationes ad cultum publicum pertinentes. Unde Augustinus considerans quod in statu historico generis humani, omnis religio seu vera seu falsa, fundatur in fide cuiusdam supernaturalis communicationis Dei ad homines, l. 19 cont. Faustum, c. 11, ait: «In nullum nomen « religionis seu Verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium con- «sortio colligentur» (P. L. 42, 355) Caeterum, nec in antiquis sacramentis omnino deerat consecutio gratiae interioris, tametsi non in vi signi significantis, sed ex vi fidei significatae, prout suo loco ostendetur. Et ideo S. Thomas ubi supra, non dubitavit dicere quod *antiqui Patres redemptionis Christi participes effecti sunt per sacramenta quae erant signa futuri.*

Ad 2„ni dicendum quod Christus Redemptor non obtulit merita et satisfactionem suam ad hoc ut omnes homines statim, nullisque interpositis mediis, in pristinam gratiam restituerentur; sed voluit esse particulares causas quibus ad singulos virtus universalis redemptionis proveniret. Non ergo per sacramenta derogatur dignitati et efficaciae passionis Christi, quandoquidem, ut dicitur infra, Quaest. 61, a. 5: «Sacramenta Ecclesiae vir- « tutem habent ex passione Christi, cuius virtus nobis copula- « tur per susceptionem sacramentorum ; in cuius signum de « latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis, « quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad eucharistiam, «quae sunt potissima sacramenta». — Rursus, cum dicitur Gal. IV-3, nos iam non esse sub elementis mundi servientes, sermo est de elementis egenis et vacuis, cuiusmodi erant sacramenta legalia, non autem nostra quae gratiam continent et causant. — Similiter cum Lex nova vocatur veritas, per hoc non

excluditur (juin adhuc respectu caelestis gloriae sit umbris et figuris obvelata. Quo fit ut nostra sacramenta perfectissime respondeant et congruant statui legis evangelicae, dum continent quidem veritatem bonorum supernaturalium, adhuc tamen sub lamine sacrorum signaculorum prepositam. Unde super dictum Apostoli, Heb. X-τ, pulchre commentatur S. Thomas, 1-2. q. 101, a. 2, in hunc modum: « In statu futurae beatitudinis intellectus humanus ipsam divinam veritatem in seipsa intuebitur ; et ideo exterior cultus non consistet in aliqua figura, « sed solum in laude Dei quae procedit ex interiori cognitione « et affectione, secundum illud Isai. LI : *Gaudium ei laetitia « invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* In statu autem praesentis vitae non possumus divinam veritatem in seipsa « intueri, sed oportet quod *radius divinae veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris,* sicut Dionysius dicit in « c. i Caelest. Hier., diversimode tamen secundum diversum « statum cognitionis humanae. In veteri enim Lege, neque ipsa « divina veritas in seipsa manifesta erat, neque etiam propalata « erat via ad hoc perveniendi, sicut Apostolus dicit ad Heb. IX. « Et ideo oportebat exteriorem cultum veteris legis non solum « esse figurativum futurae veritatis manifestandae in patria, sed « etiam esse figurativum Christi qui est via ducens ad illam « patriae veritatem. Sed in statu novae legis haec via iam est « revelata. Unde hanc praefigurari non oportet sicut futuram, «sed commemorari oportet per modum praeteriti vel praesentis; « sed solum oportet praefigurari futuram veritatem gloriae non« dum revelatam ; et hoc est quod Apostolus dicit Heb. X-i « *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ifisam imagt« nem rerum.* Umbra enim minus est quam imago, tanquam « imago pertineat ad novam Legem, umbra vero ad vete« rem fl) ».

(') Ad rem Ambrosius, in Psalm. 38, n. 25 (P. L. 14. 1051-/05.·): « Primum igitur umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra « in Lege, imago vero in Evangelio, veritas in caelestibus. Umbra Evan «gelii et Ecclesiae congregationis in Lege, imago futurae veritatis in «Evangelio. veritas in indicio Dei. Ergo, quae nunc celebrantur in E‹

Ad 3„m denique dicendum, non esse inconveniens quod Deus diversa sacramenta disposuerit secundum congruentiam temporum diversorum. Tantum enim abest quin mutatio ista ponat defectum aliquem in divina religione, ut e contra, multo splendidior in hac ipsa varietate unitas appareat ; nam unitas non tam in materiali uniformitate consistit, quam in habitudine ad unum commune principium. Unde Augustinus, i, 19 contra Faustum, c. 16 (P. L. 42, 356-57): «Adversus calumniosam imperitiam Fausti «demonstrare suffecerit, quanto errore delirent qui putant, si- « gnis sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, « quas ritus propheticus praenuntiavit promissas, et quas ritus « evangelicus annuntiavit impletas.... Si enim soni verborum « quibus loquimur pro tempore commutantur, eademque res « aliter enuntiatur facienda, aliter facta, (sicut ista ipsa duo « verba quae dixi, *facienda* et *facta,* nec paribus morarum in- « tervallis, nec iisdem vel totidem litteris syllabisve sonuerunt), « quid mirum si aliis mysteriorum signaculis passio et resur- « rectio Christi futura promissa est, aliis iam facta annuntiatur, « quandoquidem ipsa verba, *futurum* et *factum, passurus* et «passus, *resurrecturus* et *resurrexit,* nec tendi aequaliter, nec «similiter sonare potuerunt? Quid enim sunt aliud quaeque

• clesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum ; umbra in diluvio, « umbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube et in «mari; umbra in petra,quae aquam fluxit et populum sequebatur. Nonne « illud in umbra erat sacrosancti huius mysterii sacramentum?... Sed iam «discessit umbra noctis et caliginis ludaeorum, dies appropinquavit Ec- «lesiae. Videmus nunc per imaginem bona, et tenemus imaginis bona. «Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audi- -« vimus offerentem pro nobis sanguinem suum : sequimur, ut possumus, «sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium...; quia etsi nunc «Christus non videtur oflerre, tamen ipse offertur in terris, quando Chri- «sti corpus offertur, imo ipse oflerre manifestatur in nobis, cuius ser- « mo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud Pa- «trem advocatus assistit, sed nunc eum non videmus; tunc videbimus, «cum imago transierit, veritas venerit. Tunc iam non per speculum, « sed facie ad faciem ea quae sunt perfecta videbuntur. Ascende ergo, -«homo, in caelum, et videbis illa quorum umbra hic erat, vel imago».

« corpor,.Iμ .'.aeramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, M> «crosancta quidem, verumtamem mutabilia et temporalia? Deus « enim aeternus est, nec tamen aqua et omnis illa actio corpo- « ralis quae agitur cum baptizamus, et fit, et transit, aeterna « est... Haec omnia fiunt et transeunt, sonant et transeunt : virtus « tamen quae per ista operatur, iugiter manet, et donum spiri- « tuale quod per ista insinuatur, aeternum est... Qui ergo venit « Legem et Prophetas non solvere, sed adimplere, ipsa adimple- « tione abstulit ea per quae adhuc promittebatur implendum « quod iam constat impletum ; tamquam si verba ista tolleret, « *nasciturus, passurus, resurrecturus,* quae cum haec futura es- * sent, recte dicebantur, et institueret dici, *natus est, passus est,* « *resurrexit,* quae illis completis, et ob hoc ablatis, recte di· « cuntur ».

Nota, celebrem exstitisse controversiam Hieronymum inter et Augustinum, circa cessationem legalium sacramentorum. Hieronymus enim distinguebat solum duo tempora; unum ante passionem Christi, in quo legalia erant viva, id est, obligatoria ; alterum post passionem Christi, in quo *statim,* et nulla mora interposita, inceperunt esse, non solum mortua, verum etiam mortifera, ita ut sine peccato amplius non potuerint servari ab iis omnibus ad quos gratia Novi Testamenti manifeste fuerat divulgata. Sed occurrebat difficultas, quia Act. XVI, Paulus circumcidit Timotheum, et Act. XXI-26, dicitur quod idem apostolus, Iacobi consilium secutus, *assumptis viris... purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Cui difficultati satisfieri existimabat Hieronymus, dicendo quod apostoli nunquam legalia observaverunt post Christi passionem *secundum* rei veritatem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent ludaeos, et eorum conversionem impedirent, quae quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem ita ut illos actus vere non facerent, sed quia non faciebant tamquam legis caeremonias custodientes, sicut si quis ablutionem perageret propter munditiam corporalem, non causa legalis purificationis observandae.

At vero, cum indecens videatur quod apostoli occultarent propter scandalum ea quae pertinent ad veritatem vitae et doctrinae, ideo potius distinguenda sunt post Augustinum, epist, 82 tempora tria: unum ante Christi passionem, alterum post passionem Christi, sed antequam Evangelium fuisset perfecte divulgatum, tertium post divulgationem Evangelii, capta Hierosolyma sub Vespasiano et Tito, temploque funditus destructo. In primo legalia sacramenta fuerunt viva et obligatoria; in secundo fuerunt mortua, sed nondum mortifera ; in tertio demum mortua simul et mortifera. Fuit igitur tempus intermedium in quo legalia « observari poterant a ludaeis ad fidem conversis, non «spem in ipsis ponentibus, quasi alicuius virtutis essent, aut « quasi sine eis gratia Christi non sufficeret ad salutem, sed *« ne omnino videretur Lex vehis reprobanda, si statim quasi ido-« lolatria fugeretur ; et ideo hoc modo erat mater Synagoga dédu-it cenda ad tumulum cum honore...* Medio ergo tempore Petrus « et Paulus et alii apostoli legalia observabant, non simulatorie, « sed vere. Petrus tamen incaute se habuit in observatione le-« galium, nimis condescendens ludaeis illis qui legalia obser-< vanda esse dicebant, ita ut aliqui eius exemplo inducerentur « ad ea observanda quasi necessaria ; et ideo vere reprehensi-« bilis erat, et Paulus vere et non dispensative ipsum reprehen-« dit » fl).

Nec obstat quod sacramenta V. T. redemptionem Christi praefigurabant ut futuram et nondum actu completam. Nam in tempore illo intermedio de quo mox dictum est, non observabantur ab apostolis tanquam adhuc viva, seu ratione significationis iam exstinctae, sed ob reverentiam Dei qui illa instituerat: ne si statim, nulla interposita mora, ablata fuissent a consuetudine ludaeorum ad fidem christianam conversorum, putarentur damnari per doctrinam Christi tanquam impiis et sacrilegis paganorum mysteriis aequiparanda. Hinc recte Augustinus, simili-

(») S. Thom, in IV, D. x, q- 2, a. 5, q. 3. — Opinionem Hieronymi vide in epistola eius 112 (P-I– 22, 916 sq.); tum in commentario super ep. ad Galat. lib. 1, c. 2, v. 11 sq. (P. L. 26, 3381.

tudinem adducens hominis defuncti qui non continuo post emissum ultimum spiritum obruitur in terra, sed conservatur aliquantulum in domo, donec cum honore deducatur ad tumulum : * Iam, « inquit fl), post mortem et resurrectionem Domini, (vetera illa « sacramenta) amiserant tanquam vitam officii sui. Verumtamen « sicut defuncta corpora, necessariorum officiis deducenda erant « quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose; non « autem desererenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus « tanquam canum morsibus proficienda. Proinde nunc (a) quisquis « Christianorum, quamvis sit ex ludaeis, similiter ea celebrare « voluerit tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deduc-at tor vel bajulus corporis, sed impius sepulturae violator ».

Hactenus de necessitate sacramentorum, sive ante, sive post Christum. Sequitur nunc principalis disputatio de eorum causalitate atque effectu.

(>) Epist 82 ad Hieronymum, n. 16 (P. L. 33, 282).

(') Nunc, id est, elapso jam tempore medio inter mortem Domini, anno aerae vulgaris 330, et lerosolymae ac templi excidium, anno 700.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM

Quakst. LXII-LXIII.

Deinde dicendum est de *effectu* sacramentorum, et maxime quidem sacramentorum Novae Legis. Hinc, cum de efficacia sacramentali nunc sermo sit, non amplius considerantur sacramenta ipsa secundum quod sunt rememorativa praeteritae redemptionis, vel prognostica futurae gloriae, sed prout de praesenti significant interiorem sanctificationem, eamque significando conferunt. Porro sanctificatio ista dupliciter potissimum sumitur: primo quidem pro eo quod est hominem fieri deiformem, hoc est divinae consortem naturae per gratiam; deinde vero pro eo quod est ipsum mancipari et consecrari ad cultum Dei secundum ritum Christianae religionis, per impressionem characteris. Et haec duo non sunt disparata, sed unum exigit aliud: scilicet character exigit gratiam, quatenus nemo sine gratia habituali potest rite et ut par est, vel suscipere vel tradere ea ad quae character ordinat, ut postea dicetur. Primum ergo dicendum de *effectu, nobiliori,* qui est gratia (Q. 62); tum de *effectu secundario,* qui est character (Q. 63). Sed nota bene, characterem non dici effectum secundarium ex hoc quod consequenter vel solum concomitanter se habeat ad gratiam in ordine efficientiae; imo in ordine efficientiae character medius est inter sacramentum exterius et gratiam (x). Dicitur itaque secundarius effectus, quia gratia est prior in ordine finis et dignitatis.

Duplex est effectus baptismi: primus est res et sacramentum, • scilicet character... Alius effectus est, qui est res et non sacramen- « tum, scilicet gratia... In baptismo imprimitur character, *qui est im-* • *mediata causa disponens ad gratiam,* et ideo, cum fictio non auferat « characterem, recedente fictione quae effectum characteris impediebat, « character qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum », id est, effectum gratiae. Ita S. Thom, in IV. Dist. 4, q. a. 2 quaest. 1 et 3. — Nec aliam doctrinam habet in Summa theologica, 3

Quaest. LXII.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM QUI EST GRATIA.

Cum in praesenti quaestione de causis et variis earum generibus frequens occurat mentio, item de opere quod dicitur operantis, et de opere, ut aiunt, operato, item de obice seu fictione qua fructus gratiae impeditur, et de dispositionibus ad dictum fructum requisitis ; rursus quia de modo causalitatis sacramentorum acres prodierunt in scholis controversiae et sententiae diversissimae, quae ipsa sua diversitate confusionis periculum creant et claritati expositionis plurimum obsunt : visum est de his omnibus generales quasdam notiones partim philosophicas et partim historicas praemittere ; sunt enim ad rectam dicendorum intelligentiam valde necessariae, et toti disputationi conveniens lumen afferent. Hinc :

§ i.

De causis, et variis earum generibus.

In hoc capitulo agendum erit de divisione causarum generarim ; postea vero, speciali modo, de causa efficiente instrumental! ad quam pertinent sacramenta.

1. De divisione causarum generarim. — Causa generarim est id quod respondet quaestioni *quare,* vel *profiter quid,* et quia ly *propter* importare potest multiplicis generis habitu-

q. 69, a. 10 in corp.: «Cum aliquid generatur, simul cum forma re-
« cipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma
« rei generatae perficit suum effectum. Et similiter quando aliquis ba-
« ptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium
« effectum qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autern
« quandoque per fictionem ; unde oportet quod, remota ea per poeni-
« tentiam, baptismus statim consequatur suum effectum ».

dines, multiplex etiam causae genus est. In primis, cum rationes rerum investigantur, quaestio fieri non potest nisi de principiis constitutivis quibus intrinsece constant, vel de principiis extrinsecis a quibus dependent, et ideo causae dividuntur adaequate in *intrinsecas* et *extrinsecas.*

Rursus, causae intrinsecae sunt, vel id ex quo aliquid fit et est ei inexsistens, (puta materia prima respectu rerum naturalium, materia secunda respectu artefactorum, itemque quodlibet subiectum quod forma perficitur, respectu compositi), vel id quo aliquid est determinatum ad specialem rationem entis, sive sit forma substantialis qua ens corporeum determinatur ad unam speciem in genere substantiae, sive sit forma accidentalis qua res in suo primo esse iam constituta, determinatur ad participandum esse secundum quamdam perfectionem sibi superadditam. Et sic attenduntur duo genera causarum, videlicet causa *tmaterialis,* et causa *formalis.* Ad causam autem materialem reIductive pertinent *dispositiones*, quibus subiectum praeparatur ad Iformae susceptionem.

Causae vero extrinsecae quae condividunt causam in communi, illae sunt, ut dictum est, a quibus res pendent tamquam ab exteriori principio. Porro principium exterius nonnisi dupliciter iterum consideratur. Etenim, vel est id quod influit agendo seu operando, vel est id quod influit ut apprehensum, scilicet per modum obiecti, sola sui apparitione in consideratione intellectus. Et si quidem sermo sit de causa quae per suam operationem est principium vel mediatum vel immediatum exsistentiae rei, sic habetur causa quae dicitur *efficiens.* Si vero sermo sit de causa quae movet per modum obiecti, ut apprehensa ab intellectu, adhuc distinctione opus est. Vel enim influit ut norma ad cuius similitudinem agens operatur effectum, et sic est causa quae dicitur *exemplaris.* Vel influit ut bonum seu appetibile movens agentem ut gratia sui aliquid faciat, et sic est causa *finalis.* Verum, quia exemplar est quaedam forma extrinseca quam intrinseca rei exemplatae forma imitatur, ideo causam exemplarem solent annectere causae formali, et sic remanent

quatuor causarum modi, ad quos vel formaliter vel reductive pertinet quidquid habet rationem causae fl).

Cum igitur ad genus efficientis pertineat omnis et sola causa quae actione sua, formaliter qua actio est, influit in effectum, considerandum est non unam esse rationem secundum quam aliquid potest comparari ad aliud ut efficiens ipsum. Hinc, tum ex parte virtutis qua agit, tum ex parte modi quo attingit effectum, accipitur causae efficientis subdivisio. — Si enim virtutem agendi consideres, sic causa efficiens dividitur in principalem et instrumentalem. *Principalis* illa est quae ex virtute sibi propria, id est habente esse completum in ipsa, proportionatum sibi effectum operatur (2). *Instrumentalis* vero, quae operatur ad ef-

f Videri quidem posset *causam meritoriam* ad nullum genus praedictorum esse reductibilem, ac ideo, specialem omnino categoriam constituere. Sed contra est, quod S. Thomas de Verit. q. 29, a. 6, reducit causam meritoriam ad causam *efficientem disponentem*. « Mentum, inquit, « est causa praemii, non quidem per modum finalis causae..., sed ma« gis secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meri« tum facit dignum praemio, et per hoc ad praemium disponit — Distinctione tamen hic opus est, quia haec vera sunt de merito respiciente justitiam distributivam, per quam datur merces secundum dignitatem in ipsa persona praemiata existentem. Tunc enim opus meritorium facit in subiecto hanc ipsam dignitatem quae est dispositio appellans praemium, et non potest esse tempore posterius, eo quod impossibile est ut causa aliqua efficiens sit tempore posterior suo effectu. Porro hoc modo ordinantur ad mercedem merita personalia. — Sed alia conditio est meriti respicientis iustitiam quasi conimutativam, per quam datur tantum pro tanto non attendendo dignitatem subiecti cui confertur meriti praemium ; quo in genere fuit meritum Christi pro nobis hominibus. Tunc ergo meritum non reducitur ad causam efficientem, sed magis *ad causa/itatem finis,* quia influit pure et simpliciter ut id cuius gratia, et propter cuius bonitatem datur merces. Et sic meritum potest esse tempore posterius suo effectu, apud eum praemiatorem cui omnia futura praesentia sunt. Vide S. Thomam, in II, D. 27, a. 4, ad 2"", ubi praemissa distinctio clarissime exponitur.

(·; Virtus propria non intelligitur virtus quam agens habet a se; sic enim nulla creatura posset esse causa principalis. Neque etiam est sola virtus fluens ex principiis essentiae ; secus dicendum foret habitus infusos non habere esse completum in anima, et hominen per eos operari mere instrumentaliter, quod constat esse falsum, ut expresse docet

fectionem rei ut mota a principali agente, sicut calamus est causa scripturae, et cithara melodiae, — Si autem habitudinem ad terminum operatum spectes, tunc praeter divisionem in causam *imperantem* et *exsequentem,* quae vix in praesenti usui esse potest, occurit alia causae efficientis divisio in *perficientem* et *disponentem.* Nam causa perficiens actione sua pertingit ad ultiniam rei perfectionem ; causa vero disponens solummodo inducit in subiecto id quod est necessitas, quantum in se est, ad susceptionem formae, quo pacto homo generans est causa filii. Non enim pertingit actio generantis ad efficiendam animam quae est a solo Deo per creationem, sed pertingit tantum ad inducendum in materia dispositiones exigentes animae rationalis infusionem. Verumtamen nota bene quod dispositio a qua sic dicta causa disponens denominatur, non est dispositio qua aliquid meram capacitatem ad formam consequitur, sed intelligi debet de eo quod formam etiam exigit atque omnino appellat. Sic enim et non aliter, inducens dispositionem potest cum veritate dici efficiens causa, non solius dispositionis, verum etiam ipsius rei perfectae, prout in exemplo allato satis manifeste apparet. — Nota insuper, divisionem praedictam valere tam in ordine causae principalis quam in ordine causae instrumentalis. Nam certe penicillus est causa picturae *instrumentaliter perfective,* quia actio eius instrumentalis pertingit ad ipsam formam artis inducendam. At verba quibus lex promulgatur, sunt causa operum legis *instrumentaliter dispositive* tantum, quia virtus eorum instrumentalis non pertingit ad ipsa opera efficienda, sed solum ad obligationem inducendam ex qua sequitur necessitas operandi secundum legem. Et simili modo in physicis, semen est instrumentalis causa hominis geniti, non quidem perfectiva, sed solum dispositiva. Quae omnia breviter et nervose more suo complexus est S. Thomas in IV, D. 1, q. 1, a. 4, q. i, dicens : « Scien-

S. Thomas infra, Quaest. 63, a. 5, ad ium. Ergo virtus propt ia nunc intelligitur omnis virtus quae vel est naturalis, vel connaturalis : naturalis, si fluat ex principiis essentiae ; connaturalis, si fluat ex aliquo perfecto habitu qui sit instar novae naturae. Utroque enim modo habet esse completum et absolutum in subiecto.

« dum '-st quod causa efficiens dupliciter potest dividi. Uno
‹ modo ex parte effectus, scilicet in *disponentem* quae causât
« dispositionem ad formam ultimam, et *perficientem* quae in-
« ducit ultimam perfectionem. Alio modo, ex parte ipsius cau·
« sae, iu agens *principale* et *instrumentale;* agens enim prin-
« cipale est primum movens, agens autem instrumentale est
«movens motum; instrumento autem competit duplex actio.
« una quam habet ex propria natura, alia quam habet prout
«est motum a primo agente... Sed sciendum quod actio in-
« strumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem quam
« principale agens inducit, aliquando autem non. Semper tamen
« pertingit ad aliquid ultra id quod sibi competit secundum
« suam naturam, sive illud sit ultima forma, sive dispositio,
« sicut qualitates activae et passivae elementorum pertingunt
« instrumentaliter ad formas materiales educendas de materia,
« non autem ad productionem animae humanae, quae est ab
« extrinseco ».

Tandem animadverto, quosdam theologos ponere causam moralem efficientem, intelligendo causam quae *aliqua bonitate et dignitate vel qualitate sua affert rationem causae physicae intelligents ad effectum physice producendum.* Ita Card. Franzelin. de Sacr. in gen., Thes. 6, n. 2, post Lugonem, de Sacr.. Disp. 4, Sect. 4, n. 33. Sed hoc non videtur admittendum, quandoquidem iuxta communem conceptum causa efficiens illa sola est, ut vidimus, quae per actionem formaliter qua actio est, causât. Atqui illud quod bonitate sua affert rationem causae intelligenti ad effectum producendum, potest quidem esse materialiter actio seu operatio quaedam ; non tamen influit ut actio, sed ut bonum apprehensum, ac per consequens, pure et simpliciter per modum obiecti; non ergo debet ulla ratione annumerari causis efficientibus. Nec sufficit dicere quod sic dicta causa moralis efficiens « movet sua bonitate, *quia est,* finis au-
« tem... non movet *quia est,* sed eius bonitas apprehensa mo-
« vet *ut sit*» fl). Nam profecto finis ultimus in cuius virtute

(›) Franzelin, ubi supra.

movent omnes alii fines, non movet ut sii, s. l qUja est p terea differentia assignata valde materialiter s. habet ad forma. lem rationem et modum causandi. Sive enim bonitas apprehensa iam sit in natura rerum, sive non sit, semper tamen eodem modo movet, sola scilicet sui praesentia in consideratione intellectus, non autem per modum operantis, prout requiritur ad rationem efficientiae ζl).

Et haec quidem de causis in genere dicta sint. Nunc autem, quia iuxta Tridentinum, Sess. 6, cap. 7, sacramenta N. L. dicuntur causae *instrumentales* justificationis, de ipsa causa instrumentali specialiter agendum est, et ad hoc pertinet paragraphe sequens.

2. De causa efficiente instrumentali. — Instrumentum dicitur multipliciter. Dicitur quandoque *improprie,* et secundum meram analogiam sive similitudinem ; sed haec acceptio ad praesentem indaginem non pertinet. — Dicitur autem *proprie sensu latissimo,* de omni movente moto quod eatenus agit quatenus agitur. Hoc modo creaturae omnes sunt instrumenta Dei quantum ad generalissimam agendi rationem, quia in tantum agunt in quantum a primo motore applicantur ad agendum. Hoc modo omnis qui destituitur habitibus infusis, est instrumentum Dei in actu supernatural'! quantum ad rationem supernaturalitatis, quia in tantum supernaturaliter agit in quantum a Deo recipit motionem transeuntem, supplentem defectum habitus. Hoc modo in·

C) Nota hic dilegenter quod non absolute reiicitur in praesenti *causa litoralis efficiens;* absit. Nam certe qui iubet, qui mandat, qui suadet, qui consilium dat, uno verbo qui active influit id quod est propiium entibus voluntariis in quantum huiusmodi, talis verissime dicitur causa moralis efficiens. Sed qua ratione, quaeso, causa efficiens? Quia qui iubet, vere efficit in eo cui iubet, obligationem ex qua sequitur agendi necessitas. Quia qui suadet aut consilium dat, vere efficit in eo quem suadet, notitiam vel considerationem rationum ex quibus postea ille ad agendum se determinat. Quare, causa efficiens ibi non sunt rationes obiectivae quarum intuitu ponitur actus, sed est ipse persuasor *Iqui id agit* ut tales rationes in considerationem veniant. Ergo removetur solum causa moralis efficiens quam in medium proferunt adversarii et quam dicunt causare per modum obiecti.

strumentum Dei est quoad ipsam specificationem actus, quisquis erumpit in actus indeliberatos ex instinctu Spiritus Sancti. Atque ita porro discurrendo, apparet latissimum esse campum moventibus motis, quibus semper propria inest instrumenti ratio. — Nostra tamen inquisitio non tantam amplitudinem habet. Non enim de quibuscumque moventibus motis nunc loquimur, sed de illis *propriissime dictis instrumentis* quae a principali agente assumuntur ut medium ad aliquod operatum vel artefactum efficiendum *ad extra,* nam in hoc genere manifeste inveniuntur ea sanctificationis instrumenta quae sunt N. L. sacramenta.

Porro instrumentum hoc modo acceptum, illud est quod agendo actionem sibi competentem secundum propriam virtutem, pertingit ad faciendum quod competit ei in quantum est motum a principali agente. Unde instrumenti operatio est duplex: una quae est ei connaturalis, sicut extendere atramentum est connaturalis operatio calami, et scindere connaturalis operatio serrae; alia quae est operatio eius instrumentalis, sicut facere scripturam extendendo atramentum, et inducere formam scamni secando lignum. Et sicut operatio instrumenti est duplex, ita est duplex *quo* operatur; unum sibi proprium, quod est qualitas habens esse fixum et completum in eo, puta acuitas dentaturae in serra; alterum a principali agente participatum, scilicet motus quo movetur ab arte, quique *virtus instrument talis* dicitur, utpote constituens instrumentum qua tale in esse virtuoso seu effectivo principalis effectus. Notandum autem est, motum instrumentalem de quo nunc loquimur, non esse nisi eum quo movetur instrumentum ad operandum ultra virtutem sibi propriam, sibique inhaerentem. Etenim instrumenta artium duplici modo moveri contingit: uno modo simplici motu locali; alio modo ad cooperandum arti, sicut instrumenta musicae sunt in potentia ad hoc ut sub quocumque impulsu sonum reddant, et ad hoc ut ab arte adhibita musicam efficiant. Per primum autem motum pure et simpliciter applicantur ad agendum id quod eis competit secundum virtutem propriam, et ideo non ille est motus qui in praesenti attenditur; sed solum attenditur motus instrumenti ad causandum effectum artis in quantum

huiusmodi, scilicet ipse passivus usus quo ars utitur instrumento ipsumque veluti ingreditur.

Et exempla quidem hactenus proposita desumuntur ex physicis instrumentis, quibus ad omnem artefactoruin effectionem indigemus; nec sane immerito, quia cum sint nobis notiora, imo notissima, facilius in eis inspicimus id quod ad communissimam instrumenti rationem spectat. Porro tria ibi notatu potissimum digna inveniuntur. *Primum* est, quod instrumentum debet aliquid operari de suo; alias otiosa esset instrumenti assumptio, Unde S. Thomas, τ, q. 45, a. 5 dicit: «Causa secunda instru« mentalis non participat actionem causae superioris, nisi in « quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad « effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secun« dum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad « agendum ». *Alterum* est, quod oportet virtutem instrumentalem subiectari in ipsissima actione quo instrumentum exsequitur proprium effectum ; nam omne instrumentum « non perficit in« strumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam ; «scindendo enim facit lectum» fl). Perficit, inquam, actionem instrumentalem exercendo actionem propriam ; quod sane intelligendum est formaliter seu per se, et non per accidens tantum, quia ea quae sunt per accidens, in rationibus rerum non attenduntur. Et certe, qui cantando ambulat et ambulando cantat, perficit unam operationem exercendo aliam, sed mere concomitanter, ita ut ambae operationes per accidens coniunctae, in eodem subiecto inveniantur. Nunc autem non sic est de instrumento, cuius operatio propria se habet veluti inchoative ad operationem instrumentalem (2), Atqui hinc sequitur *tertio,* quod

(·) S. Thoni. 3, q. 62, a, 1, ad 2"“.

(·) Certe extensio atramenti, quae est propria calami operatio, se habet materialiter ad ordinatam compositionem linearum atramentalium, rquae est operatio instrumentalis. Et sic discurrendo per omnia genera instrumentorum, apparebit quod actio propria et actio instrumentalis nunquatn possunt esse in alio atque alio ordine. Quâe obsërvâfû>~eçt maximi momenti in praesenti ; cum emm propriaoperatio signorum qua tolium, non sit actio physica. eti,m **Physici^^"^^-^-—**

virtus instrumentalis inveniri debet in ipsa linea naturalis operati nstrumenti, tamquam certa eius modificatio vel e elevatio, inquam, cuius sit naturaliter capax, utputa ordo quidam in ea ab intelligentia rectrice impressus, vel aliquid aliud huiusmodi, sicut apparet in instrumentis picturae, musicae, scripturae, et generaliter in iis omnibus quae per organa sive coniuncta sive separata, ab arte efficiuntur. Neque hoc peculiare est instrumentis nostris, sed commune omnibus si modo vere instrumenta sint. Nam «actio alicuius, etiamsi sit eius ut instrumenti, « oportet ut ab eius potentia egrediatur» (*). Atqui non egrederetur ab eius potentia, si id quod addit actio instrumentalis supra simplex exercitium propriae virtutis instrumenti, aliquid aliud importaret praeter merum quemdam ordinem seu modum instrumento operanti ab agente principali impositum. Unde ex hac consideratione concludit S. Thomas, nullam creaturam adhiberi posse in instrumentum creationis : « Cum omnis creaturae « potentia sit finita, inquit, impossibile est quod aliqua creatura « ad creationem operetur, etiam quasi instrumentum ; nam crea« tio infinitam virtutem requirit in potentia a qua egreditur» (·). Et quia sub hoc respectu, de formis physicis quae non educuntur e potentia passiva materiae, eadem est ratio, ideo in sequentibus docet nullam creaturam adhiberi etiam posse *ad productionem animae humanae vel gratiae, ita quod ad ipsam substantiam formae productae eius actio se extendat* (8). Nihilominus, cum formae istae habeant materiam *in qua,* sive subiectum *in quo,* ideo addit, agens creatum posse quidem esse causam *instrumentaliter disponentem,* non tamen *instrumentaliter perficientem.* Ex qua doctrina intelligi datur id quod Angelicus in quartum Sententiarum constanter docuerat dicens, sacramenta « ad effectum « ultimum qui est gratia, non pertingere etiam instrumentaliter

actio instrumentalis. sed solum inductiva alienius quod absque physica transmutatione in subiecto recipiatur.

(*) S. Thom, de Pot., Quaest. 3, a. 4. in corp.

(·) S. Thom., ibid.

(·) Ibid., ad 7“‘ et S“‘.

«nisi dispositive, in quantum hoc ad quod instrumentaliter ef. « fective pertingunt, est dispositio quae est necessitas, quantum « in se est, ad gratiae susceptionem » (1). Sed de hoc alias.

Interim vero diligenter observandum est quod instrumenta quae deserviunt operationibus in extrinseca subiecta transeuntibus (de quibus solis in praesenti quaestio esse potest), in duas distinctas, easdemque valde notabiles categorias distribuuntur. Alia enim sunt, in quibus virtus instrumentalis a principali agente participata, *ordinis est physici,* valens per seipsam ad physicam immutationem materiae. Et non opus est multum immorari in afferendis exemplis, quia ultro occurrunt in vulgaribus illis artium instrumentis, a quibus omnis haec nostra disputatio initium duxit. Alia vero sunt virtutem habentia instrumentalem *ordinis intentionalis ;* virtutem dico quae solum valet, proxime saltem atque immediate, ad deferendas exterius intentiones, conceptiones, sive ordinationes intellectus. Et quoniam ad hanc categoriam pertinent *signa,* de quorum genere sunt sacramenta, peculiaris de ea esse debet consideratio.

Hic igitur oportet in primis assignare propriam operationem huiusmodi instrumentorum, nec a longe repetenda quaestionis solutio ; cuilibet enim statim manifestum est quod omne signum ex sibi propriis, ingerit suam speciem sensibus externis. Nunc autem illud quod ingerit suam speciem sensibus externis, natum est per hoc ipsum etiam speciem sive formam intentionalem ingerere, faciendo scilicet, iuxta celebrem Augustini definitionem, «aliquid aliud in cognitionem venire». Verum distinctio hic est necessaria. Contingit enim ut species sensibus impressa connectatur cum alia ex natura rei, sicut videre est in signis naturalibus a quibus nunc omnino abstrahimus. Quandoque vero connexio non est nisi ex institutione, et tunc signum non habet ex propriis ut per speciem sensibus ingestam ingerat aliquid aliud, sed hoc habet tantummodo in quantum subest institutioni et dispositioni intellectus qui signo utitur. Unde praeter propriam operationem attenditur ibi operatio quaedam

(1) S. Thom, in IV, D. i, q- «, a- 4> T· *

instrum· ntalis, ex virtute scilicet quae non residet in signo ut sibi connaturalis, sed ei ab intellectu movente inest. Et vocatur haec virtus *vis spiritualis,* « sicut et in ipsa voce sensibili est « quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in «quantum procedit a conceptione mentis» (■). Sed quo sensu spiritualis dicatur, sano modo accipiendum est. Non enim somniare oportet physicam qualitatem, cum nulla res corporea, qualis est sonus ex ore emissus, subiectum esse possit spiritualis accidentis. Ergo vis spiritualis in casu, ab ipsa institutione et impositione ad significandum non distinguitur; nam certe dicta institutio sive impositio transcendit ordinem materiae, et pertinet ad ordinem intentionum intellectus quae rebus etiam corporeis tanquam signis ipsi intellectui subiectis, affigi valent. Dicendumi itaque quod signa sunt *instrumenta intentionalia,* ex propria quidem virtute speciem sui sensibus ingerentia, ex virtute autem instrumental! reconditas intellectus conceptiones notificantia.

Sicut autem intellectus speculativus sua habet instrumenta ad proprias conceptiones exterius manifestandas, ita intellectus practicus ad suas ordinationes imponendas. Sed contingit quandoque quod intellectus practici ordinatio versatur circa physicam immutationem rei exterioris, et tunc intellectus immediate movet exsecutivas potentias, quae vicissim in sua operatione ad extra physicis instrumentis utuntur, sicut in omni opere artium videre est. Quandoque vero ordinatio rationis est de iis quae moderni moralia vocare solent, cuiusmodi sunt obligationes, iurisdictiones, tituli, dignitates, deputationes ad certa munera, et alia similia; nam haec omnia perficiuntur absque ulla physica immutatione rei circa quam fit ordinatio, sed tota eorum entitas consistit in ipsa intentione intellectus imperantis prout est subiecto veluti affixa, et in eo perseverat non revocata (·). Tunc igitur instrumenta intellectus practici iterum nihil aliud sunt aut esse possunt quam *signa.* Et hoc pacto, verba quibus lex promulgatur, rationem habent instrumenti quo in subditis obligatio

(■) s. Thom. 3, q. 62, a. 4, ad ium.
(·) Lugo, de Sacr., Disp. 1, Sect. 3, n 35 et seq.

legis inducitur. Hoc modo extenor sententia iudicis,' instrumâ. tum est quo fit ins secundum quod debitum est ut reus puniatur, vel accusatus dimittatur. Hoc modo in omnibus contractibus scriptura vel orale verbum est instrumentum quo dominia transferuntur, acquiruntur tituli, etc. Porro propria huiusmodi signorum operatio, rursus eadem est quae supra fuit assignata; sed secundum quod subsunt et deserviunt imperio intellectus sub motione voluntatis, non solum ingerunt notitiam conceptae ordinationis, sed et ipsam ordinationem quam significant, exterius imponunt, et pro tanto *signa praciica* appellantur. Et nota bene quod signum practicum a simplici signo distinguitur, quia signum simplex nullo modo est causa rei notificatae sed solius notificationis ; practicum vero non tantum notificat, sed ultra hoc causât passivam ordinationem qua subiectum in certa functione, certove munere vel iure, aut si quid aliud huiusmodi, constituitur f1).

Quae cum ita sint, iam sequitur conclusio praecipui momenti. Î3Î enim propria operatio signorum in quantum huiusmodi, est jrdinis intentionalis, (quippe consistit in ingerendo sui speciem sensibus), videtur necesse ut operatio eorum instrumentalis pertingat semper ad aliquid quod in eodem pariter ordine claudatur, nisi forte velimus adstruere virtutem connaturalem et virtutem instrumentalem quasi disparate se habentes ad invicem, et mere materialiter in eodem subiecto coniunctas. Ex quo statim destrueretur notio instrumenti quam recta ratio nobis suppeditat, et constanter retinuit S. Thomas, ubicumque docet quod sacramenta corporalia *per propriam operationem quam exercent,*

p) Itaque diligenter notandum est quod, cum contradistinguitur ratio signi a ratione causae, sumitur signum per respectum *ad rem significatam ut talem,* quo pacto significatio nullo modo est causativa sive operative. Nunc autem, si signum consideres per respectum *ad notificationem rei significatae,* sic semper est causa, vim habens excitandi intellectum, ut dicitur 3, q 62, a. 4, ad Ultra hoc vero si sit signum practicum, habet non solum notificare ordinationes rationis, verum etiam facere, investituram earum, in quantum subest imperio eius qui potestate fungitur.

effictu ■' ›*afionem* ***insfrumentalem*** ex virtute'divina ⅋. Quapropter, si qua forma physica per signum practicum tanquam per instrumentaient causam inducta inveniatur, hoc esse non poterit ni-i alterutro ex his duobus modis: Vel quia forma intentionalis ad quam terminatur signi practici causalitas, involvit ut sui complementum aliquid physicum, sicut deputatio ad militiam apud nos involvit externum characterem seu habitum militarem: quo fit ut causa inducens conscriptionem ad militiam, sit eo ipso causa exterioris etiam notae qua homo conscriptus insignitur. Vel quia forma intentionalis se habet ut quaedam dispositio de se exigens atque appellans formam physicam ; quo pacto deputatio ad cultum divinum in religione christiana exigit atque appellat, quantum in se est, sanctificantem gratiam sine qua, ut iam notatum est, cultus ille rite et ut par est, exerceri nequaquam potest. Et tunc causalitas signi pertingit ad formam physicam *instrumentaliier dispositive,* sicut de sacramentis in ordine ad gratiam, docuerunt veteres theologi. — Verum priusquam ad expositionem variarum opinionum quae circa hanc ipsam sacramentorum causalitatem prodierunt accedamus, oportet ut ex •dictis hactenus de diversis causarum generibus, genuinae notio nes eruantur operis operati, operis operantis, aliaeque ad id attinentes. Huc spectat alterum prolegomeni capitulum.

§ 2·

De opere operato, et opere operantis.

« In sacramentis, inquit S. Thomas in IV, D. i, q. i, a. 5, « est duo considerare, scilicet ipsum sacramentum, et usus sa« cramenti. Ipsum sacramentum dicitur a quibusdam *opus ope«. ratum;* usus autem sacramenti est ipsa operatio, quae a qui« busdam *opus operans* dicitur ». Ex quo quidem testimonio apparet non ita antiquas esse huiusmodi locutiones, quae ineunte tantum saeculo XIII inceperunt esse in usu, et postmodum a

(·) S. Thom. 3, q. 62, a. 1, ad 2U".

theologis communiter receptae, tandem in Concilio Tridentino fuerunt consecratae (1). Est autem opus operans, seu melius operantis, ipsa actio hominis prout e potentia eius egrediens. Opus vero operatum (sensu passivo) est opus exterius factum, puta sacramentale signum rite positum secundum legem suae institutionis, et a Deo ordinatum in instrumentum productionis gratiae. Bene enim id quod ex divina institutione vim habet instrumentaient, opponitur ei quod ab homine operante consequeretur valorem et efficaciam.

Cum ergo dicuntur sacramenta conferre gratiam *ex opere operato,* sensus est quod causant illam, non in quantum subsunt virtuti hominum ministrantium, neque etiam in quantum nata sunt excitare in suscipiente fidem per quam ipse homo sese ad justificationem disponeret, sed pure et simpliciter secundum quod sunt instrumenta Dei sanctificatoris, ita ut nihil aliud sub Deo considerandum sit velut causa inductionis gratiae, praeter sacramentum valide positum iuxta institutionem Christi.

Consulto autem dixi, nihil aliud considerari ut causam inductionis gratiae, praeter sacramentum a Christo institutum, sub Deo principali agente. — Nam in primis, cum sermo est de sacramento *rite posito iuxta Christi institutionem,* satis superque indicatur, minime excludendas esse causas a quibus ipsa sacramenti exsistentia atque institutio dependeat. Non ergo removemus meritum redemptionis quod praesupponitur ad exsistentiam sacramenti ut ratio institutionis eius, sed omnem et solam causam meritoriam quae superveniret sacramento iam instituto, eique ut proximum justificationis principium adiungeretur (a).

(1) «Si quis dixerit, per ipsa novae Legis sacramenta, *ex opere operato* non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit ». Trident. Sess. 7, can. 8.

(a) Hinc sacramenta quae per seipsum ministravit Christus Dominus, cum in terris degeret, adhuc habuerant efficaciam ex opere operato, quia meritum Christi non habuit influxum ut meritum ministrantis, sed ut meritum a quo dependet ipsa sacramenti exsistentia et institutio in ratione instrumenti ad animarum sanctificationem.

Rursus cum dicitur nihil aliud considerari in linea *causae inductu iis gratiae,* manifestum est non ideo negari necessitatem dispositionum quae sint ab homine operante, sumendo nunc disposition·-.. non pro eo quod appellat et exigit formam, scilicet gratiam, sed pro eo quod removendo prohibens, reddit animam susceptibilem effectus sacramenti. Causa enim quae inducit huiusmodi dispositiones, nequaquam dici potest causa inductionis *ipsius formae,* sicut qui emollit ceram non est causa figurae quae formatur ab artifice, sed tantum est causa cur materia illa sit capax recipiendi actionem agentis; quippe nullum activum inducere potest suum effectum in passivo quod non debito modo ei subiicitur, et sic etiam est in sacramentis.

Sciendum namque est quod cum sacramenta sint signa practica sanctificationis a Deo consequendae, omnis sacramenti susceptio est ex natura sua quaedam exercita protestatio fidei et spei in Deum sanctificatorem, necnon et voluntatis abrenuntiandi peccato. Quisquis igitur usum rationis habens et actus humani capax existens, sine fide, vel spe, vel efficaci attritione de peccatis quae commisit, accedit ad sacramentum, nondum rite subiicitur sacramento in quantum est causa gratiae, quia non habet in rei veritate eos animi affectus quos ipse usus causae sanctificantis prout sanctificans est, per se demonstrat. Ideo est *fidus* (*),

(*) Desumpta vox ab Augustino, l.1 de bapt. c. l2 (P. L. 43, r 19; : - Quid « si ad ipsum baptismum *fidus* accessit? Dimissa sunt ei peccata, an non « sunt dimissa? Eligant quod volunt: utrumlibet elegerint, sufficit no- « bis. Si dimissa dixerint, quomodo ergo *Spiritus saechu disciplinée u effugiet fidum* (Sap. 1-5), si in isto *ficto* remissionem operatus est pec- « catorum? Si dixerint non esse dimissa, quaero, si postea *fictionem* « suam corde concusso et vero dolore fateretur, denuo baptizandus iu- « dicaretur ?» — Pbprietatem autem huius vocis declarat S. Thomas, in IV, D. 4, q. 3, a. 2, q. 2, ad ɪβ“ : «Fictio proprie est, cum aliquis « aliquid ostendit dicto vel facto, quod non est in rei veritate. Hoc « autem contingit dupliciter. Uno modo, quando ex hac intentione « aliquid dicitur vel fit, ut aliud ostendatur quam rei veritas habet, et « tunc fictio est speciale peccatum, et sic non accipitur hic. Alio modo . « quando aliquid ostenditur quod rei veritas non habet, dicto vel facto, « etiamsi non propter hoc dicatur vel fiat, et sic accipitur hic fictio. « Quicumque enim ad baptismum accedit, ostendit se veteri vitae ab

et propter defectum debitae coaptationis p.,· , nfis ad agens, non inducitur gratiae effectus qui dici solet r<> sacramenti. Requiruntur ergo in adultis fides, spes, et poenitentia de admissis peccatis, tanquam dispositiones removentes fi.-donem, ac per hoc, coaptantes animam instrumento Dei. Et quo perfectior est fides, perfectior poenitentia, eo etiam melius homo coaptatur, eo maior effectus gratiae per sacramentum ex opere operato inducitur fl). Quia vero infantes et perpetuo amentes omnino sunt praedictae fictionis incapaces, ideo in eis, sed in eis solis non potest requiri dispositio fictionem removens: unde, cum obex nihil aliud sit quam debitae dispositionis carentia, consequens demum est, nullum unquam in iisdem obicem esse posse qui impediat fructum sacramenti.

Hucusque ergo expositam habes notionem causalitatis *ex opere operato* prout vere est in dogmate catholico, et ex dictis aestimare poteris quam absurda sit Protestandum calumnia aientium, «ex catholicorum sententia *opus operatum* esse opus exter- « num quod iustificet, etiamsi suscipiatur sacramentum absque «ulla fide, aut bono motu ipsius suscipientis» (2). — Intelliges(*)

« renuntiare, et novam inchoare; unde si voluntas eius adhuc in vetu- « state vitae remaneat, aliud ostendit quam sit in rei veritate, et ideo « est *fictio*·. — Diligenter ergo notandum est, non dici nunc fictionem, ex hoc quod aliquis simulat se velle recipere sacramentum, (sic enim nequidem valida foret sacramenti susceptio), sed ex hoc quod non habet dispositiones quibus obex ad fructum sacramenti tollitur. Est autem fictio mere materialis, si homo sui defectus conscientiam non habeat ; formalis, si secus.

(*) Dispositiones operantis hominis quandoque eiusmodi sunt, ut per seipsas *appellent* justificationis gratiam vel augmentum eius, sicut quando quis cum contritione perfecta vel intensa charitate accedit ad sacramentum. Quo in casu, habent certe fructum suum *ex opere operantis,* et simul tribuunt animae certam capacitatem ad gratiam sacramentalem recipiendam *per opus operatum.* Tunc ergo duplex formalitas in eis consideratur, duplexque munus, et neutrum est cum alterius detrimento.

(·) Cf. Franzelin de Sacr. in gen., thes. 7, n. 2, ubi calumniam hanc late refutat, et concludit : « Sine bono motu igitur adultum iusti· « ficari posse, nemo catholicus unquam docuit. Docebant tamen id cer

etiam quomodo omnia hactenus dicta de necessitate dispositionum i i · luitis, referantur ad sacramenta in quantum sunt inducti v.i effectus gratiae de quo in praesenti quaestione agitur. Caeterum, quod attinet ad effectum qui dicitur *res et sacramentum,* mm potest esse fictio impediens si modo omnia adsint quae ad *validitatem* sacramenti requiruntur ; et ratio desumenda est ex propria natura dicti effectus, ut in sequentibus apparebit. Interim vero accipe haec compendiose tradita a S. Thoma in IV, D. 4, q. 3, a. 2, q. i : « Duplex est effectus baptismi. Primus « est res et sacramentum, scilicet character. Et quia character « non imprimitur ad praeparandum hominis voluntatem, ut ali- « quid bene fiat... ideo hunc effectum voluntatis indispositio « non impedit, dummodo aliqualis sit voluntas recipiendi sacra- « mentum, (prout requiritur ad hoc ipsum ut sit valida susce- « ptio). Alius effectus est qui est res et non sacramentum, sci- « licet gratia, et quae ad ipsam consequuntur, per quae hominis « voluntas praeparatur ut bene velit, et bene operetur. Et ideo « ad hunc effectum percipiendum non sufficit quaelibet voluntas « sacramentum recipiendi, sed requiritur voluntas talis a qua « removeatur omnis indispositio contraria gratiae baptismali,

« tissime illi ipsi *Reformatores,* qui hoc crimen calumniose catholicis « impingunt. Tria enim haec erant principia ipsius Lutheri : hominem < justificari sola fide, quae sit certa fiducia, sibi propter merita Christi « peccata esse remissa, seu potius non imputari; iustitiam hominis non « esse aliud quam externam imputationem qua Deus eum licet pecca- « torem, respiciat velut iustum ; hanc iustitiam nullis peccatis aliis quam « sola incredulitate impediri aut destrui. Atqui talis fiducia peccatoris « evidenter non est *bonus motus,* sed persuasio stulta simul et impia. • Revera ergo (licet id non faterentur), docebant duces Reformationis « justificationem quae possit esse sine *bono motu;* continetur enim haec « doctrina in ipso eorum fundamentali principio de sola fide iustifi- « cante ». — Recensetur etiam alia fictio Protestantium, quasi doceret sententia catholica, non Deum esse qui justificet, sed sacramentum propria virtute, atque ita, Spiritum Sanctum *vices suas resignasse sacramentis;* unde inferunt Calvinus, Kemnitius, et plerique recentiores. a catholicis adscribi sacramentis *vim magicam.* Sed quo loco habenda sit nova haec imaginatio, ex dictis de instrumento iam satis constat, et ex dicendis de causalitate intentionali luculentius apparebit.

‹ quia contraria non se compatiuntur. und.....nente contraria «dispositione, baptismus ultimum suum ‹ n■•■(uni habere non « posset ›.

Retinenda igitur notio operis operati prout in confesso est apud omnes catholicos; in qua quidem notione continetur quod sacramenta N. L. prout Deo principaliter operanti subordinata ac veluti deservientia, *aliquo saltem modo* dant et causant gratiam. Verum, cuius rationis sit ista causalitas, an vera et propria, necne: et quatenus affirmative, an physica vel non, an immediate pertingens ad gratiam ipsam vel mediate tantum, non uno modo a theologis explicatum est. Oportet igitur varias recensere sententias, incipiendo ab ineunte saeculo XIII, quo tempore quaestio incepit in scholis agitari.

§ 3

De causalitate sacramentorum variae theologorum sententiae.

Primum omnium prae oculis habendum est quod tempore quo scribebat S. Thomas, mediante circiter saeculo XIII, controversia inter Scholae magistros circa hoc unum punctum versabatur: sintne sacramenta *vere et proprie* causae gratiae iustificantis, an solum *improprio et lato sensu,* quatenus ad meram praesentiam signi sacramentalis solus Deus ex pacto infallibili gratiam operetur. Audi ipsum S. Thomam exponentem statum quaestionis tunc existentis, in IV, D. i, q. i, a. d., q. Ii « Omnes, inquit, coguntur ponere sacramenta novae Legis *ali·* « *quo modo* causas gratiae esse, propter auctoritates quae hoc « expresse dicunt. Sed diversi diversimode eas causas ponunt. « Quidam enim dicunt, quod non sunt causae quasi aliquid fa« cientes in anima, sed causae *sine quibus non,* quia increata « virtus, quae sola effectus ad gratiam pertinentes in anima « facit, sacramentis assistit per quamdam Dei ordinationem et «quasi pactionem. Sic enim ordinavit et quasi pepigit Deus, « ut qui sacramenta accipiunt, simul ab eo gratiam recipiant

«non |i i sacramenta aliquid faciant ad hoc. Et est simile « de ilb· qui accipit denarium plumbeum, facta tali ordinatione « ut qui habuerit unum de illis denariis, habeat centum libras « a reg qui quidem denarius non dat illas centum libras, sed « solus i x accipienti ipsum. Sed hoc non videtur sufficere ad «salvandum dicta Sanctorum. Causa enim sine qua non, si nihil « omnino faciat ad inducendum effectum, vel disponendo vel « meliorando, quantum ad rationem causandi, nihil habebit supra « causas per accidens, sicut album non est causa domus, si aedifi- « cator sit albus, et secundum hoc sacramenta essent causae « per accidens tantum, sanctificationis. Illa enim ordinatio quam « dicunt, sive pactio, nihil dat eis de ratione causae, sed solum « de ratione signi, sicut etiam denarius plumbeus est solum si- « gnum indicans quis debet accipere... Et ideo alii dicunt quod « ex sacramentis duo consequuntur in anima, unum quod est a sacramentum et res, sicut character, vel aliquis ornatus ani- « mae in sacramentis in quibus non imprimitur character. Aliud « quod est res tantum, sicut gratia. Respectu ergo primi effe- « ctus, sunt sacramenta causae aliquo modo efficientes ; sed re- « spectu secundi, sunt causae disponentes tali dispositione quae « est necessitas, nisi sit impedimentum ex parte recipientis : et « hoc videtur magis theologis et dictis sanctorum conveniens». — Eadem repetit idem Angelicus, Quodl. 12, art. 14 inquiens : « Duplex est opinio de Ecclesiae sacramentis. Quidam enim « dicunt quod sacramenta non habent virtutem vel vim operandi « in anima, sed tantum extra, et divina virtus concomitans facit « illum effectum... Sed hoc non est sane dictum, quia sic non « esset aliqua praerogativa sacramentorum novae Legis ad ve- « tera, quia etiam in illis virtus coassistens fidei credentium in « Christum venturum, justificabat. Et ideo dicendum quod sa- « cramenta habent in se virtutem justificandi, et ad alios effe- « ctus ad quos ordinantur, et non solum quod sint signum. « Unde Augustinus : Quae est tanta vis aquae, ut corpus tan- « gat, et cor abluat ?» — Tandem, in tertia parte Summae theologicae, q. 62, a. 1, in corp., eosdem, nec omnino alios adversarios sibi proponit impugnandos : « Quidam dicunt, ait,

- quod (sacramenta) non sunt causa grati. , aliquid operando; «sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam ope' «ratur. Et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium «plumbeum, accipit centum libras ex regi, ordinatione, non «quod denarius ille aliquid operetur ad habendum praedictae «pecuniae quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas regis... « Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit ra· «tionem signi, etc.». Ex quibus testimoniis inter se collatis aliqualiter iam videri potest, S. Thomam ab initio usque in finem sibi semper constitisse, contra eosdem ubique adversarios pugnare, et in una demum opinione refellenda suam operam contulisse, idque tanto impensius quanto maiori auctoritatum pondere haec opinio tunc fulciri videbatur. luvat autem audire veteres illos magistros qui sacramentis veram ac propriam causalitatem denegabant.

i. De iis qui dixerunt sacramenta N. L. nihil aliud esse quam causas gratiae improprie dictas, id est conditiones sine quibus non.

Agmen ducit, sin minus ordine prioritatis, at certe celebritate nominis, ipse S. Bonaventura qui sic habet in IV, D. i, q. 4: «Est etiam aliorum magnorum magistrorum circa hoc « opinio, dicentium quod in sacramentis *non sit caxisalitas, neque virtus aliqua nec effectiva nec dispositiva ad gratiam*... Sacra- « mento enim dicunt assistere divinam virtutem quae est causa « gratiae... *Huic positioni pietas fidei non contradicit, et ratio « consentite.*

Eamdem opinionem, etsi non in verbis, in re tamen ipsa, amplexus est postea ac defendit Scotus cum sua Schola. Dicit enim in IV, D. 1, q. 4 et 5, post refutatam more suo sententiam S. Thomae: «Est ergo modus iste, quod susceptio sacra- * menti est dispositio necessitans ad effectum signatum per sa- « cramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per « quam necessario causaret terminum, vel aliquam dispositionem « praeviam, *sed tantum per assistentiam Dei causantis illum ef- «fectum,* non necessario absolute, sed necessitate respiciente « potentiam ordinatam. Disposuit enim universaliter, et de hoc

«Ecck;;am certificavit, quod suscipienti tale sacramentum, ipse «coni-!·· i effectum signatum». In hoc igitur sensu tenet Scotus, - : :menta esse causas gratiae; non scilicet per aliquam causal ii..tem ipsorum sacramentorum, sed quatenus ad positionem saei.«mentorum Deus decrevit gratiam operari et de tal» ordinatione ac libera promissione certificavit Ecclesiam.

In idem etiam placitum abiit schola Nominalium. Unus sit pro omnibus Cardinalis Petrus de Alliaco, in IV, q. i, c. i: « Quia, inquit, causa est illud ad cuius esse sequitur aliud, du- « pliciter potest aliquid dici causa. *Uno modo proprie,* quando * ad praesentiam esse unius, virtute eius et ex natura rei se- • quitur esse alterius, et sic ignis est causa caloris. *Alio modo « improprie,* quando ad praesentiam esse unius sequitur esse « alterius, non tamen virtute eius, nec ex natura rei, sed ex « sola voluntate alterius; et sic causa sine qua non, dicitur « causa. Ex quo sequitur primo, quod causa sine qua non, non ‹ debet absolute et simpliciter dici causa, quia proprie non est x causa. Secundo sequitur, quod in naturalibus non reperitur « aliqua causa sine qua non, respectu alicuius effectus, sed in « voluntariis bene reperitur... *Sacramenta N. L. primo modo non sunt causae effectivae gratiae, sed bene secundo modo, im- « proprie...* Unde quando Magister et Sancti dicunt quod sacra- x menta N. L. efficiunt quod figurant, non est intelligendus, « quasi proprie efficiunt gratiam, sed quod Deus efficit eam ad « eorum praesentiam, et hoc sufficit Magistro et aliis, ad po- › nendum differentiam inter nova et antiqua sacramenta ›.

Ex his videre est quot et quantos patronos habuerit opinio quae in sacramentis N. L., proprie dictam causalitatem respecti» gratiae non agnoscit. Nec ausim dicere, opinionem hanc per posteriora Ecclesiae decreta fuisse confixam. Equidem in Concilio Florentino sub Eugenio IV, legimus differentiam inter sacramenta veteris et novae legis in hoc esse, quod illa non causabant graiiam, ista vero continent et conferunt eam. Rursus in Tridentino, Sess. 7, can. 6 · 8 sub anathemate definitur sacramenta nostra *continere gratiam,* et *conferre eam non ponentibus obicem.* Verum non eae formulae sunt quibus adversarii se pu-

tarent attingi, quandoquidem ab eismei passim adhibebantur, explicatione quandoque adiecta, ut supra. insuper omnibus in comperto est, certum fuisse ac statutum Tridentinis Patribus nolle sententiam ullam configere, cui nobilis aliqua e scholis catholicis militaret (x). — Nihilominus non ‹ st diffitendum quin ex definitionibus illis sumi possit maximum praejudicium contra opinionem hactenus expositam. Quomodo enim absque declaratione dicerent Concilia, gratiam in sacramentis N. L. contineri et per eadem conferri, nisi aliqua veri nominis causalitas in ipsissimis sacramentis esset agnoscenda, et non in sola virtute divina eis assistente? Quomodo etiam sufficienter salvaretur differentia in Florentino asserta inter Ecclesiae et Synagogae sacramenta, siquidem et in antiquo foedere, lege infallibili collatam gratiam ad positionem sacramenti, puta circumcisionis, communissima tenet sententia ? Certe, quamcumque explicationem tentaveris, non ea erit quae diversitatem ostendat in ipsa causandi ratione, ut vult Concilium.

Quapropter plerique moderni qui in praesenti vestigiis Scoti et Nominalium insistunt, his aliisque similibus considerationibus permoti, sententiam magistrorum quadantenus modificare coacti sunt. Nihil certe immutatum quoad influxum in animam, quia pariter dicunt sacramentum nihil *operari* quod ad gratiae collationem pertineat. Verum addunt sacramenta esse moraliter actiones Christi, et eius meritis dignificari ; quo fit ut sua excellentia seu valore moveant Deum ad sanctificandum suscipientes, adeoque vere ac proprie causae gratiae dicantur et sint, fere sicut moneta pro qua venditor commutat mercem, dans tantum pro tanto. Cum hoc additamento definitivam formam accepit opinio *de causalilate,* ut aiunt, *morali* sacramentorum N. L., quam sic exponit ac tuetur Cardinalis de Lugo, de Sacr. Disp 4, Sect. 4, n. 33 : * Causa moralis est, quae movet agens physicum ad « volendum operavi. Sacramenta autem posita movent procul * dubio Deum ut velit producere gratiam... : nam sunt conditiones sub quibus Deus promisit gratiam ; debitor autem qui

(») Pallavicini, Hist. Con. Trid. I. 9, c. 4,

« sub conditione promisit, movetur ab ipsa conditione posita ad « volendum dare quod promisit. Sunt item actiones et opéra- it tiones Christi per suos ministros quibus repraesentat Deo « merita sua, ut obtineat gratiam pro hominibus ; quae procul * dubio habent maximam vim ad movendum Deum. Habent « ergo totum quod requiritur ad causandum moraliter gratiam «et alios effectus».

At vero non videtur haec modernorum additio sive explicatio mederi efficaciter defectui pro quo fuit introducta. Omitto interim quod locutio qua dicunt Deum per sacramenta moveri ad largiendam gratiam, est impropria, et pro tanto expositione indigens, cum divina voluntas a nullo extrinseco moveatur aut moveri possit. Omitto quod sacramenta non sunt *operationes* seu actiones Christi, sed potius *operata.* Omitto quod causalitas asserta, si qua esset, reduceretur ad causalitatem finis,· non autem ad causalitatem efficientem sacramentis propriam. Omitto alia plura quae inferius opportuniorem locum invenient, et insistendo nunc in sola ratione causae proprie dictae de qua in praesenti inquiritur, dico: Ad hoc ut modo assignato ritus sacramentales vere forent justificationis causae, oporteret ut essent instar monetae aureae, habentes verum valorem moralem intrinsecum, quatenus scilicet considerati secundum ea quibus intrinsece constant vel afficiuntur, accipi possent ut pretium gratiae. Sed hoc est impossibile. Et certe, actiones illae sacramentales non sunt a Christo ut a proprio supposito operante ; non ergo intrinsece ab eo dignificari possunt, sed extrinsece duntaxat, propter relationem quam dicunt ad ipsum, ut ad institutorem in cuius nomine celebrantur. Praeterea ut mox insinuatum est, illud quod est sacramentum, et in quo oportet causalitatem inveniri, non tam est operatio quam operatum, puta ipsa aquae ablutio terminative sumpta, cum verbo extrinsecus sonante : ego te baptizo, etc. Atqui per se evidens videtur quod tale operatum non potest intrinsece dignificari moraliter, sed ad summum repraesentare pretium sive meritum quo acquisita est gratia. Unde in hoc dicendi modo sacramenta essent potius instar schedulae papyraceae quae non transcendit rationem nudi ac simplicis

signi, tota vi movendi in solis valori repraesentatis exsistente.

Licet igitur varient verba, et non ampiin cum antiquis crude dicant sacramenta esse causas solum improprie, tamen auctores illi nihil in re ipsa addere videntur, quo satis salvetur causalitas proprie dicta, et ideo non immerito recenseri solent cum Bonaventura, Scoto, et Nominalibus, quasi eiusdem opinionis, ad substantiam rei quod attinet. Nunc autem in oppositum est sententia, quam *veteres defensores* causalitatis proprie dictae unanimiter asseruerunt.

2. De iis qui dixerunt secramenta N. L. esse vere et proprie causas efficientes gratiae, sed instrumentaliter dispositive tantum (1).

Sententia haec est S. Thomae, in IV, D. i, a. 4, et D. 5, q. i, a. 3, q. 1; et D. 18, q. 1, a. 3, q. I. Item Qq. disp.de Veritate, q. 27, a. 4, ad 3UUl. Item, Qq. disp, de Potentia, q. 3, a. 4, ad 8um. «Hunc modum, inquit commentator Scoti Hiquaeus, «explicat Doctor (Scotus) in littera, nempe sacramenta cau- « sare gratiam, non quod attingant physice entitatem gratiae equae creatur, sed producant aliquam dispositionem prae- «viam et quasi necessitantem ad gratiam, ut characterem in «iis quae characterem imprimunt, vel ornatum quemdam spi- «ritualem; hanc efficaciam habent sacramenta per modum in- « strumenti, ut elevantur per communicationem virtutis impressae « et receptae in ipsis sacramentis... *Hanc defendunt omnes an- « liqui Thomistae usque ad Caielanum*: Paludanus, in IV, D. 1, * Q· 1 C)i Capreolus, q. t, art. 1, conclusione tertia (3); Fer-

(') Admirationem movet quod in manualibus nostris nihil habeatur, *etiam historice,* de sententia adeo celebri, quae sola obtinuit usque ad initia saeculi XVI, apud propugnatores verae et propriae causalitalte sacramentorum.

(») «Secundum hoc intelligendae sunt auctoritates quae dicunt sa- « cramenta causare gratiam, scilicet dispositive, sicut homo est causa «hominis, disponendo». Paludanus, 1. c.

(·) Recitat verba S. Thomae, approbando ea.

«rarien i v cont. Gent., c. 57 (l)». His addi possunt Albertus M;< – '?)» Petrus a Tarantasia (') Dionysius Carthusianus ?, et alii.

Et mente quidem horum veterum nulla est ambigendi ratio. Nt-.i autem plures existimant. S. Thomam non firmum permansisse in ea sententia quam locis superius indicatis tam asseveranter tamque constanter docuerat, sed in Summa theologica eam retractasse, ponendo expresse, inquit Caietanus ?. *gratiam gratum facientem a Deo principaliter, et a sacramento instrumentante)· causari.* Verum, pace tanti viri dixerim, non ea propositio est quae retractationis suspicionem ullam ingerere possit, cum et in scripto super IV Sententiarum instrumentalem causalitatem respectu gratiae ubique sacramentis vindicet Angelicus (6), tametsi ibidem explicite moneat, dupliciter dici posse causam instrumentalem, ut supra declaratum est.

Ex hoc autem quod in tertia parte Summae theologicae, nullam amplius mentionem iniiciat de dispositione illa ad quam

(*) «Considerandum quod duplex est instrumentum: quoddam * quod sua actione attingit ultimam perfectionem quam principale agens * intendit ; quoddam vero quod ipsam ultimam perfectionem non attin- * git, sed aliquam ipsius dispositionem... Sacramenta ergo dicuntur « causa salutis et gratiae, non quia sua actione gratiam attingant, cum « gratia a solo Deo creetur in anima, sed quia ad ipsam gratiam di- « sponunt, causando aliquid in anima, in quantum sunt instrumenta «divinae virtutis, puta characterem vel ornatum, quo anima ad susci- « piendam gratiam sit disposita ». Ferrariensis, l. c.

(·) « Dicendum quod causa est sacramentum, ut disponens in subie- « cto, et est dispositio quae est necessitas quantum est de se: non « tamen sequitur quod semper operetur, sed sequitur quod quantum «est de se, semper operetur: si enim ille fictus est. tunc ponit obi- « cem ». Alb. Magn, in IV, D. r. a. 5.

(·) In IV Sent.

(·) Dionys. Carth. in IV. D. l.

(·) Caiet. in 3·® Part. q. 62, art. l

(·) ‹ Reducuntur sacramenta ad genus efficientis causae, non prin- «cipalis, sed instrumentalis. Deus autem solus est causa gratiae quasi «principale agens, sed sacramenta quasi instrumentaliter ... ut dictum «est, agentia sunt». S. Thom, in IV, D. 1, q. 1, a. 4. q. 1, ad 2"m.

sohm, ut alias affirmat, imme.li. pertingit sacramenti o»· ' litas, nihil efficitur. — Primo qu.-b quia nemo censetur J tractare sententiam priorem, nisi vH expressis verbis id sigJ ficetf), vel certe ei tandem sentem iae acquiescat quae priorem destruat, eique contradicat. Atqui nihil tale in casu unquam» ventum est, et ne unus quidem locus potest afferri. Quin imo si quis diligenter conferat locos parallelos Sententiarum et Summae, videbit eumdem esse utrobique loquendi modum quoad virtutem instrumentaient sacramentorum, easdem difficultates propositas, solutiones easdem, easdem demum adhibitas comparationes, quas plerumque ex physicis artium instrumentis desumit, eo quod faciliora exempla sunt, ac per hoc, magis idonea ad inculcandam generalem notionem causae instrumentalis. – Insuper, *in Qq. dis/>. de Potentia,* quas in fine vitae suae conscripsit, eodem ferme tempore quo Summa in lucem prodibat, expresse ponit ipsissimum causandi modum quem iunior, in Commentariis super Magistrum, sacramentis attribuerat. Cum enim, Quaest, 3, contra incommunicabilitatem potentiae creandi sibi obiecisset : « Opus iustificationis est nobilius quam creationis, « cum gratia sit supra naturam ; sed in iustificatione impii mi· nisterium exhibet creatura, sacerdos enim dicitur ut minister « iustificare, sive peccata remittere ; ergo multo magis potest «creatura ministerium exhibere in creationis actu», respondet in hunc modum: «Ad octavum dicendum quod in opere iusli· « ficationis homo aliquid operatur ministerio, tantum per hoci

il) Non desunt exempla formalis retractationis in tertia parte Summae theologicae: «Si praeter habitum scientiae infusum, inquit Ange· «licus, 3, q. i2, a. 2, in corp., non sit in anima Christi aliquis habitus «scientiae acquisitae, ut quibusdam videtur, *et mihi aliquando vis" est.,* etc. . Et 'nfra, q. zo, a. 4, in corp.: «Alii dixerunt quod in «circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad aliquem effectum « positivum, qui est facere dignum vita « omnes effectus, quia non sufficiebat reprimere ‹ À "θ" ?UanlUm « nec ad implendum mandata legis, *guod etiam* ncup'SCent,am fomitis. «Sed diligenter consideranti, etc.». Quidni ergo^r" ° '>n,n es1, de toties asserto causalitatis sacramentalis modo s * 'qUld sim'le diceret sententiam mutasset? ' '' ut adversariis placet,

«quoi .i.lhibet sacramenta: unde *curn sacramenta iustipcare* « r/z, ' / r *inslrumentaliter et dispositive,* solutio redit in idem « cum solutione praedicta id est cum solutione praecedenti circa .mimam rationalem quae per creationem in esse producitur, ita tamen ut habeat materiam in qua «Ex parte ergo illa, «inquit, qua habet materiam in qua, natura potest dispositive « operari, non tamen quod ad ipsam substantiam creati, natu- « rae actio se extendat». — Tertio denique, in praecitato loco quaestionum de Potentia notandum apprime est quomodo dicat Angelicus, *cum sacramenta iustificare dicantur instrumentaliter et dispositive,* quasi hoc esset in confesso apud eos omnes qui sacramenta habebant ut veras causas gratiae, et absque haesitatione ab eisdem unanimiter traderetur. Hinc ergo intelligere est quare in Summa, de explicatione causalitatis sacrainentalis non curat. Ibi enim explicationem hanc ut satis notam praesupponit, omnes nervos intendens in id quod longe maioris erat momenti, et unice in controversiam vocabatur, sintne sacramenta verae iustificationis causae, an secus. Pro affirmativa totis viribus pugnat, sicut etiam totis viribus pugnavit pro omnimoda immaterialitate angelorum, et in utroque victoriam obtinuit. Nam post S. Thomam, doctrina attribuens angelis materiam ita incepit obsolescere in Ecclesia, ut nunc sine temeritate sustineri amplius non possit. Et sic etiam accidit de opinione quae ponebat sacramenta N. L., meras conditiones sive causas sine quibus non; nemo enim eam, *uti sonat,* nunc defendere vellet.

Non ergo est cur Caietano in hac re consentiamus, recedendo ab iis quae tam multis in locis, categorice atque ipsis verbis tradit Angelicus. Adhuc tamen remaneret inquirendum, cuiusmodi sit in mente S. Thomae, dispositio appellans gratiam, cuiusmodi etiam virtus instrumentalis per quam in suscipiente sacramentum, inducitur : an scilicet ordinis physici, an potius intentionalis ? Certe, dispositionem illam *quae est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem,* et ad quam *instrumentaliter effective pertingunt sacramenta,* dicit esse *rem et sacramentum. Porro* res et sacramentum aliquando est evidentissime aliquid ordinis intentionalis, sicut in matrimonio v. g..

vinculum coniugale prout repraesentans u). m Christi et Ecclesiae. Alquando vero est character, in qu . potissimum attenditur deputatio ad certum munus in religio Christiana, quae morale quid, ut moderni loquuntur, sonat. Atqui ad hoc ut sacramentum dicatur et sit immediata character is causa, non est «ecesse ut directe attingat characterem sui omni formalitate quae in eo consideratur ; hoc enim nusquam requirit habitudo causae secundae ad effectum. Aliunde vero instrumentalem sacramentorum virtutem videtur S. Thomas ad ordinem intentionalem revocare, quoties eam dicit consequi institutionem Christi ut proprium principium, puta cum ait, Q. 62, a. 4, ad jum: «Sacramentum consequitur spiritualem virtutem *ex benedictione « Christi* et applicatione ministri ad usum sacramenti». Et iterum, 4 c. Gent., c. 56: «Nec est inconveniens quod per res « sensibiles et corporales spiritualis salus ministretur, quia huius- ‹ modi visibilia sunt quasi quaedam instrumenta Dei incarnati «et passi. Instrumentum autem non operatur ex virtute suae « naturae, sed ex virtute principalis agentis a quo applicatur « ad operandum. Sic igitur et huiusmodi res visibiles salutem «spiritualem operantur, non ex proprietate suae naturae, sed *« ex institutione ipsius Christi, ex qua virtutem instrumentalem consequuntur* Et rursus, cum q. 62, a. 4, ad ium , explicans qua ratione virtus spiritualis esse possit in re corporea, affert exemplum virtutis quae est in voce sensibili ad excitandum audientis intellectum. Sed haec infra discutientur. Interim vero, quoniam in nuda expositione sententiarum adhuc consistimus, reliquum est ut nonnulla adiiciantur de opinione quae in sacramentis agnoscit causas physicas, immediate ad effectionem gratiae pertingentes.

3. De iis qui dixerunt sacramenta N. L., physice causare gratiam, instrumentaliter et perfective.

Hanc opinionem, ut videtur, primus mortalium invexit Caietanus; quem postea secuti sunt omnes fere Thomistae recentiores, necnon et Suarez cum aliis pluribus, tametsi inter se in explicatione varient.

Et Caietanus quidem, in 3 “ Part., Quaest. 62, a. 1 et 4.

docet sa.ramenta, tanquam physica instrumenta causandi, attingere ipsam entitatem gratiae, et non solum dispositionem praeviam, idque non per virtutem in ipsis receptam quae sit principium actionis permanens aut transiens, sed per motum a Deo causa principali. Quem motum ibidem, Quaest. 13, art. 2, ita demum explicat, ut sit per modum usus instrumenti ad exsecutionem omnipotentiae, quatenus « ex hoc ipso quod Deus « utitur aliqua re ut instrumento ad opus miraculosum (r), ele- « vatur res illa in ordinem causae instrumentalis, et ipse pas- « sivus usus quo Deus illa utitur ad hoc opus, est motus quo «a principali agente instrumentum movetur». Suarez vero improbat hunc dicendi modum, et vult gratiam produci physice instrumentaliter per potentiam obedientialem activam ipsorum sacramentorum. Est autem iuxta ipsum potentia haec obedientialis, virtus quaedam inchoata agendi in qualibet creatura, qua subiicitur primo agenti, ut possit assumi ad quemcumque effectum qui alias non repugnat. Et hanc docet esse principium agendi in omnibus instrumentis divinis; de qua etiam fusius disserit in 3 " Part. Tom. I, Disp. 31, Sect. 5.

Caeterum, si a Caietano quaeras qui fieri possit ut virtus spiritualis physica, cuiuscumque tandem generis sit, subiectetur in re corporea ; si quaeras quomodo reviviscant sacramenta, et effectum gratiae consequantur quando iam a multo tempore esse desierunt; si quaeras qua ratione explicetur quod causae physicae exsistant, et simul a conditionibus causarum physicarum omnino absolvantur, uti apparet in matrimonio quod inter absentes et longe distantes contrahi potest, imo in aliis etiam sacramentis, quorum validitas minime requirit ut sacramentalis forma physice contingat suscipientem : si, inquam, de his et aliis similibus inquiras, respondebit Caietanus quod «omnipotentia non est alli- « gata certis instrumentis, locis, aut propinquitatibus; ideo non « refert, quavis re utatur Deus instrumentaliter ad quodcumque « miraculum ; nam sicut potest sine instrumento opus illud perficere, ita potest non solum efficere per instrumentum, sed

(*) Et eadem ratio est de gratiae productione.

t>'r quodcumque, et *ubicumque ex^* ·▪_ et *quantumcumfy ‹distet»* (’). Ex quo iam perspicere t, qUot et quantis, dicamne difficultatibus an forte apertis repugnantiis, opinio ista pateat, ut non immerito recenseatur inter difficiliores quae unquam in theologia fuerunt propositae.

Conclusio et modus procedendi. Hactenus declaratum est qui sint varii modi exponendi sacramentorum causalitatem respectu gratiae gratum facientis. Porro illud in primis, conclusionis instar, deducere est, quaestionem scilicet non sat recte poni sub hac forma : *causentne sacramenta gratiam physice, an moraliter.* Nomine enim causae moralis nihil satis determinatum habetur. Et profecto, cum secundum communiorem usum et propriam vocis acceptionem, morale sit illud quod respicit mores, causa moralis proprie intelligitur illa quae causât persuadendo, alliciendo, seu movendo eo genere motus quo entia libera in quantum huiusmodi moveri solent, et sic divisio in causam moralem et physicam non est adaequata, ut videbimus. Imo si accipiatur causa moralis in sensu recentiorum quorum supra mentionem fecimus, non dividit causam efficientem ad quam pertinent sacramenta.

Quapropter, ut sit processus rectus, prima quaestio debet esse huiusmodi : Causentne sacramenta movendo obiective, sua scilicet bonitate seu dignitate apprehensa, an potius aliquid laciendo seu inducendo in anima suscipientis. Quae quaestio si soluta supponatur, (et solvi potest vel ex hac sola consideratione, quod prior ille modus non pertinet ad causam efficientem nec formaliter nec reductive, cum tamen sacramenta iuxta omnes sint quaedam efficientes iustificationis causae), iterum quaeri debet: Causentne inducendo seu faciendo immediate ipsam gratiam, an tantum aliquid quod sit dispositio et necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem. Et si rursus reficiatur primum, ultimo remanet inquirendum de dispositione ipsa, qualis sit et quomodo intelligenda.

Verum non est propositum intentionis nostrae, de solis re-

(») **Caiet., in 3"“ Part., q. 13, a. 2.**

bus in schola controversis pertractare. Imo per prius dogma catholicum est asserendum atque vindicandum. Tum ea sententia declaranda, certissimis, ut videtur, innixa argumentis, sine qua vix aut ne vix quidem inter sese cohaerere possunt varia doctrinae capita in re sacramentaria. Tertio demum loco agendum supererit de eo quod probabilius apparet circa modum causalitatis.

THESIS V.

(Art. 1-2).

Secundum fidem catholicam credendum est sacramenta Novae Legis non ponentibus obicem conferre gratiam ex opere operato. Porro gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam et super virtutes et dona, quoddam speciale auxilium ad consequendum proprium uniuscuiusque sacramenti finem.

§ I

Assertio est contra Protestantes qui consequenter ad suum fundamentalem errorem circa iustificationem, dicunt sacramenta nihil conferre ad gratiam, nisi forte per modum concionis, excitando fidem ex qua sola potest iustificari homo. Unde etiamsi quidam eorum verbo tenus asserant sacramenta esse causas instrumentales sanctificationis nostrae, cum tamen semper intelligant, *mediante fide* quae est opus operantis, constat quod causalitatem gratiae nunquam tribuunt ipsi sacramento sub Deo principaliter agente, de medio tollentes omnem iustificationem in vi operis operati. In oppositum sunt anathemata Tridentini, Sess. 7, can. 6-8 (1): «Si quis dixerit, sacramenta N. L. non con-
« tinere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non po-
« nentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint
« acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam
« christianae professionis, quibus apud homines discernuntur

(1) Denzinger, 849-851.

«fideles ab infidelibus, anathema sit. — Si quis dixeriti nM
«dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibui
«quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed i
‹ aliquando et aliquibus, anathema sit — Si quis dixerit, per l
«ipsa N. L. sacramenta ex opere operato non conferri gratiam,
« sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequen-
‹ dam sufficere, anathema sit » (1).

Argumentum autem scripturale est huiusmodi: Ex multis Scripturae auctoritatibus habetur primo, quod sacramenta nostra non solum significant, sed etiam causant gratiam ; tum secundo, quod causant illam, nullo mediante opere operantis.

Declaratur primum ex Ioan. III-5 : «Nisi quis renatus fue-
« rit *ex aqua* et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum
«Dei». Item, Eph. V-26. « Mundans (Ecclesiam) *lavacro aquae*
«in verbo vitae». Item, Tit. III-5. « Salvos nos fecit *per* l
« *lavacrum* regenerationis ». Item, Act. VIII-18: «Cum vidis- l
« set... quia *per impositionem manus* apostolorum daretur Spi- l
« ritus Sanctus ». Item, 2. Tim. 1-6: «Ut resuscites gratiam l
«Dei quae est in te *per impositionem manuum* mearum». Ubique enim vera attribuitur causalitas signo sacramentali respectu gratiae habitualis per quam solam formaliter habetur spiritualis renascentia, spiritualis emundatio, et inhabitatio Spiritus Sancti. Quam vana autem sint haereticorum argumenta, ut tam clara effugiant testimonia, videri potest apud Bellarmi- V)

V) Nota quod dogma *ut sic,* praescindit a quaestione superius commemorata: sintne sacramenta causae sensu proprio et stricto, vel tantum improprio et largo. Sive enim dicatur gratia per sacramenta conferri propter veram virtutem instrumentalem in eis receptam, sive solum propter virtutem Spiritus Sancti eis assistentem, ad sensum Magistri Sententiarum, S. Bonaventurae, Scoti et aliorum de schola Nominalium, semper salva manet notio collationis gratiae ex opere operato. Unum igitur in praesenti contra haereticos demonstrare satis est: sacramenta non esse pure mnemotechnica aut fidei excitativa ad modum concionis, sed vere sanctificantia ; sanctificantia autem dico ex virtute divina, nullo mediante opere operantis a quo proxime pendeat ipsa sanctificatio. Et si plus demonstretur, erit ad abundantiam ; quod autem abundat, ut dici solet, non vitiat.

num (1). Confirmatur etiam ex aliis testimoniis in quibus dicitur regulariter consequi iustificationis effectus ad positionem sacramentorum: *Qui crediderit el baplizalus fuerit, salvus erit. Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Baptize ; r unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum,* etc. Nam illud quod ad actionem aliquam regulariter consequi dicitur, semper accipi debet ut proprius eius effectus, si nulla alia connexionis ratio assignetur, et nulla apponatur specialis explicatio.

Declaratur etiam secundum, quia istae locutiones causales, *ex aqua ei Sp. S., per lavacrum regenerationis,* etc. indicant in sacramentis respectu gratiae, propriam quamdam causalitatem quae in aliis rebus non est, praesertim cum gravissimis verbis Christus asserat non relinqui medium aliud quo quis ad regenerationis gratiam pervenire possit. Atqui si in tantum baptismus causaret iustificationem, in quantum excitaret fidem vel poenitentiam, nihil proprium haberet prae quavis alia re, puta libro spirituali vel concione vel imagine, ad excitandos devotionis sensus idonea. Insuper, fides et poenitentia semper ponuntur ut praerequisita ad receptionem sacramenti: *Poenitentiam agite,* inquit, *et baptizetur unusquisque vestrum,* etc Et rursus:

(1) « Ad hunc locum (loan. III-5) non potuit aliter Calvinus respon-<dere, nisi negando hic agi de baptismo... Quocirca per aquam vult « intelligi Spiritum Sanctum, et hunc esse sensum : *Nisi qui renatus «fuerit ex aqua, id est, ex Spiritu Santo qui instar aquae mundat,* etc. « — At primum, omnes scriptores hactenus hunc locum intellexerunt «de baptismo... Secundo, si ita liceret ludere in Scripturis, possemus « negare baptismum aquae, nam ubique intelligemus nomine aquae Spi- « ritum Sanctum, et eodem modo licebit pervertere omnia alia mysteria. «Tertio negari non potest quin sit coacta et absurda, et Scripturis «inusitata locutio. Nec valet exemplum quod Calvinus profert ex Matth. « III : *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni,* ubi vult per ignem « intelligi eumdem Spiritum Sanctum, ut habet similitudinem cum igne; « nam per ignem rectissime potest intelligi externus ignis qui descen- « dit visibiliter super apostolos in die Pentecostes, etc.». Haec Bellarminus, de Sacramentis in genere, l. 2, c. 3, ubi alias haereticorum cavillationes late prosequitur.

Qui crediderit ethufitisatus fuerit. s„/ e,it. Erg0 gratia, fidei et poenitentiae, sed baptismi proprius li nctus est, quia si baptismi fructus non esset nisi media h.l. vel poenitentia quam excitat, nequaquam oporteret fidem et poenitentiam praemittere receptioni sacramenti. Praeterea, Ioan. I, 24-34, fit oppositio inter baptismum loannis et baptismum Christi, tanquam inter inefficacem et efficacem Justificationis. Sed profecto, baptismus loannis excitabat ad poenitentiam per quam poterat obtineri justificatio, et hac de causa appellatur Marc. I-4 et Luc. III-j, baptismus *poenitentiae in remissionem peccatorum.* Ergo, ut salva sit oppositio inter utrumque baptismum, necesse est ut baptismus Christi, nullo mediante opere operantis, conferat gratiam, ac per hoc, vere conferat illam ex opere operato.

Et adhuc magis confirmatur, quia Scripturas interpretari oportet inhaerendo usui et antiquissimae traditioni totius Ecclesiae ; et ideo fatendum est, non minus pueros quam adultos esse capaces illius renascentiae ex aqua et Spiritu Sancto de qua loquitur Christus ad Nicodemum, cum vel a primis initiis vigue- l rit usus baptizandi infantes fl). Nunc autem, si possunt sacramenta adhiberi etiam non intelligentibus, puta pueris, non ergo iustificant per modum concionis, sed omnino necesse est ut causent sanctitatem, nullo mediante opere operantis. — Insuper verba et signa sacramentalia pendent ex divina institutione, et nequaquam ab hominibus propria auctoritate determinari possunt, prout colligitur aperte ex Apostolo, l Cor. I-IV, ubi se asserit baptismi et caeterorum sacramentorum dispensatorem, auctorem vero se fuisse, absurdum reputat atque impossibile. Sed nemo unquam denegabit homini potestatem instituendi signa per quae fides proponatur. Ergo iterum, sacramenta non sunt concionatoria, sed magis consecratoria, id est, vim habentia conferendi sanctificationem alio modo quam obiectum fidei intellectui praesentando. — Denique, ex ipsis adversariis sacramenta prosunt solis suscipientibus, etiamsi multi alii praesentes sint, et audiant

C) Documenta apodictica, vide apud Augustinum in Contro«« Pelagians.

vel videant quae geruntur ; non igitur iustificationem conferunt excitando f.dem, quia hunc effectum habere possunt etiam in adstantibi)' sed conferunt eam pure et simpliciter prout sunt instrumenta Dei, in cuius potestate est collatio gratiae. Ex supradictis autem apparet, in hac ipsa ratione causandi sitam esse causalitatem *ex opere operato.*

Ad auctoritates autem Scripturae (Rom. III-30, V-i, etc.) quibus se muniunt Protestantes, ponentes iustificationem non esse nisi ex fide et per fidem, dicendum est quod in locis citatis nomine fidei intelligit Apostolus quidquid includitur in ea oeconomia, seu in eo ordine cuius fides basis est et fundamentum. Neque enim ibi de actu vel virtute fidei praecisive agit, ut ex argumento et tenore totius epistolae facile tibi constabit fl); sed agit *de ordine fidei,* prout opponitur *ordini operum,* operum dico quae a fide sunt seiuncta, vel certe nulla dependentiae habitudine ad eamdem referuntur. Hoc igitur sensu accipiendo fidem, sive iustificemur ex opere operantis, sive justificemur ex opere operato, semper ex fide justificamur. Ex opere quidem operantis, quia opus operantis quod est proxima ad iustificationem dispositio, suas in fide radices habeat necesse est.(*)

(*) In capitibus epistolae ad Romanos unde obiecta nobis testimonia, deducuntur, totus est Apostolus in declarando quomodo abstractione facta a fide in Christum redemptorem, et integro ordine quem haec ipsa fides initiat, nihil potest prodesse ad veram iustitiam qua filii Dei nominamur et sumus. Et quia ea omnia quae ad ordinem fidei pertinent, sunt gratuitum ac supernaturale donum quod Deus hominibus elargitur secundum electionem et propositum suae voluntatis, hinc ostendit Apostolus, non esse cur ludaei adversus Gentiles idololatriae hactenus deditos glorientur, nec Gentiles adversus ludaeos legis praevaricatores, quia utrique peccaverunt, utrique sese divina vocatione positive indignos reddiderunt, et egent gloria Dei. Hoc est epistolae argumentum, cui etiam suffragantur circumstantiae in quibus fuit scripta. Erat enim tempus in quo oleaster sylvestris inserebatur in bonam olivam, in quo destruebatur paries separationis inter duos populos, in quo ii qui hucusque fuerant hospites et advenae, aedificabantur super fundamentum apostolorum et prophetarum. Ut igitur faceret pacem, omnes pariter humiliando sub potenti manu Dei, gratuitae iustificationis altissimas causas exponere habuit Apostolus.

I\ opere operato vero, quia opu llm seiI sacramen(uo est natura sua quoddam signum protest [redacted] in Christum pro nobis passum, cui etiam non rite subjicitur homo nisi ere-dens, ut in prolegomeno § 2 dictum est. Unde idem Apostolus qui ut falsam ludaeorum opinionem de operibus legis exclude· ret, generaliter dixit nos iustificari ex fide vel per fidem, dixit etiam Ecclesiam iustificari lavacro aquae in verbo vitae, et ite-rum, salvos nos fieri per lavacrum justificationis, baptismum si-gnificans.

Haec si bene tenueris, habebis unde respondeas ad classi-cam difficultatem ex Augustino, Tract. 80 in Ioan. n. 3 (P. L 35, 1840), ubi ait: verbum quod accedit ad elementum, operari in sa-cramentis, *non quia dicitur, sed quia creditur.* Sensus est: non in quantum est materialis quidam sonus feriens aures corporis, sed in quantum spirituali significatione pertinet adordinem fidei, et sic spiritualiter acceptum spiritualizat ipsam aquam, quae alias, se· iuncta a verbo fidei, non esset nisi aqua, id est, labile et fluxum elementum. Unde subdit Augustinus: « Nam in ipso verbo, «aliud est sonus transiens, aliud virtus manens», scilicet vir-tus sanctificans quae eatenus dicitur manens, quatenus manens est mysterium cuius protestatur fidem, et a quo habet ut san-ctificationem operetur. Caeterum, verbum formae in baptismo esse in sensu Augustini, non concionatorium, sed consecrato-rium, evidenter patet ex hoc quod admirans dixerat: « Unde « tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat? » Nam si solum ageretur de praesentando obiecto fidei, quid minus admiratione dignum? Et paulo infra ait, verbum hoc tantum valere, « ut etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum « valentem corde credere ad iustitiam, et ore confiteri ad sa-« lutem ».

Et eadem fere explicatio est ad 1 Petr. III-21, ubi bapti-smus comparatur arcae Noe, et vis iustificativa videretur tribui, non ipsi sacramento, sed *interrogationi bonae conscientiae ad Deum,* id est, ut Protestantes volunt, fidei quae est bona con-scientia qua quis confidit peccata sua tegi meritis Christi. At longe aliud sibi vult Petrus. Equidem variant interpretes circa

accepti·. t· in vocabuli *interrogatio.* Quidquid vero de hoc sit, apertu ·s usus est, quod sicut arca octo animas salvas fecit a materi-l; diluvio, sic baptismus a spirituali perditione salvat fideles. Baptismus, inquam, non secundum quod facit *ad depositionem odium carnis,* (nam hoc modo sumitur, non ut sacramentum, sed materialiter pro lavacro carnali), verum baptismus secundum quod ad spiritualem oeconomiam fidei pertinens, habet virtutem faciendi bonam conscientiam coram Deo, id est, iustificandi.

Argumentum traditionis luculenter exponit Bellarminus l. 2 de Sacr., c. 6-7, in hunc modum :

1. Ex Patribus Graecis. — Iustinus, Apolog. ad Antoninum (P. G. 6, 422): « Remissionem ante commissorum peccatorum con- « sequimur in aqua, etc. ». Et antea dixerat neminem adduci ad baptismum nisi prius crediderit. Similia habet in dialogo cum Tryphone. — Clemens Alexandrinus, Paedagogi l. 1, c. 6, (P. G. 8, 281): « Multis, inquit, modis vocatur hoc opus : gratia, illu- « minatio, perfectum, et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod pec- « cata abstergimus; gratia autem, qua remittuntur poenae quae «peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam ; et salutarem lucem intuemur... Perfectum autem dicimus, cui ni- « hil deest.Quid enim ei desit, qui Deum novit, etc.». — Origenes, hom. 14 in c. 2 Lucae (P. G. 13, 1835): «Parvuli, inquit, bapti- « zantur in remissionem peccatorum... Et quia per baptismi sacra- « mentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et « parvuli». — Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3, 12(P. G. 33· 443): * Mortuus in peccatis descendisti (in fontem), ascendis vi- ‹ vificatus in iustitia, etc.». Et in praefatione catecheseon: «Ma- « gnum est sane propositum hoc baptisma: captivitatis liberatio, « peccatorum remissio,animae regeneratio,currus ad caelum, etc.». — Basilius, l. de Spiritu Sancto c. 15 (P. G. 32, 127 sq.), ponit obiectionem haereticorum : Si ideo Spiritus Sanctus aequalis est Patri et Filio, quia in ipso baptizamur, etiam aqua erit aequalis Patri et Filio, quia in ipsa baptizamur. Respondet : « Si « quae est in aqua gratia, non ex aquae natura est, sed ex « praesentia Spiritus, etc. ». Secundum adversarios dicere de-

buisset aquam nihil facere nisi forte fidem , ‹, itando per modum simplicis signi, et sic statim obiectionem s. ,-set. At Basilius fate, tut, in aqua esse virtutem gratiae inductivam, ‚Ccl ait eam non messe aquae ex aquae natura, sed ex vi Spiritus Sancti. __ Gregorius Nyssenus.Orat, in baptismum Christi (P.G.46,579, 583): «Bap· «tisma, inquit, peccatorum expiatio est, remissio delictorum, reno· « vationis et regenerationis causa». Et infra explicans quomodo id fiat, multa exempla adducit, et subdit : « Quod si quis inihi «rursus dubitando et ambigendo negotium exhibeat, interro· « gans qua ratione aqua regeneret, dicam optimo iure ad eum: «Ostende mihi modum nativitatis quae fit secundum carnem, c Dices fortasse : semen causa hominis effectrix est. Audi igitur « contra a nobis, quod aqua quae benedicitur, purgat et illuminat «hominem». Ubi notandum est non posse Gregorii sententiam trahi ad id quod haeretici dicunt. Si enim aqua baptismatis solum· modo habet praesentare fidei obiectum, utquid recurreret Gregorius ad comparationem humani seminis prout efficiens causa hominis est, rem adeo simplicem per arcanas naturae operationes obscurando potius quam exemplificando ? — Chrysostomus, hom. 39 in Genes. (P. G. 53, 368): «Nam id, inquit, quod illic ope· « ratur circumcisio in depositionem carnis, id agit hic baptismus «in depositionem peccatorum ». Item, hom. 24 in Ioan. (P. G. 59, I47> 152\ prolixe docet esse credendum verbis Christi asserentis aquam vim habere regenerandi, licet modus non cadat sub sensu. Et hom. 25 (P. G. 59, 153); «Quod est matrix embryoni, hoc est «fideli aqua, siquidem in aqua fingitur et formatur. Nam primum «dictum est: *Producant aquae reptile animae viventis;* ex quo « autem Iordanis alveum ingressus est Christus, non amplius re· « ptilia animarum viventium, sed animas rationales et spirituales «aquae producunt». — Cyrillus Alexandrinus, l. 2 in Ioan., c. 3- v· 5 (P- G. 73, 243-46): «Quemadmodum, inquit, viribus ignis « intensius aqua calefacta non aliter urit quam ipse ignis : SiC « Spiritus Sancti operatione aqua qua baptizat! corpus aspergi «tur, reformatur ad divinam virtutem et potentiam». Haec ille ubi vides aquam in baptismo esse instrumentum Dei, sicut calor in aqua calefacta est instrumentum ignis ad calefaciendum

2. Iam ex Latinis, Tertullianus, i, de bapt., c. 2 (P. L. t, 1201), refert infidelium contra christianum dogma obiectionem. Nonn<, inquit, mirandum est *lavacro dilui mortem f* Nonne potiori iure miratur incredulitas, irridens simplices sacramentorum ritus uti vanos, et magnificos eorum effectus uti impossibiles? Quid ad haec Tertullianus? An forte in rationalisticam Protestantium explicationem declinabit, meram vim excitandi fidem in sacramentalibus signis agnoscens? Minime gentium, nam ipsum iustificationis effectum sacramento adscribens, recurrit ad Dei potentiam quae supra humanum est: «Proh misera incredulitas, quae denegas Deo « proprietates suas, simplicitatem et potestatem... Nam si Deus et « sapiens et potens... merito in adversariis sapientiae potentiaeque, « id est, in stultitia et impossibilitate materias operationis suae « instituit, quoniam virtus omnis ex his causam accipit a quibus « provocatur».— Cyprianus, epist. | ad Donatum (P. L. 4, 199, 200), scribit se antequam baptizaretur, vix potuisse adduci ut crederet quod a Christianis de baptismi virtute praedicabatur, quod videlicet hominem repente mutet, peccata abstergat, virtutes infundat, sed postea id verum esse sua experientia didicisse : « Difficile, inquit, ac durum pro illis tunc moribus opi- « nabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, « ut quis renasci denuo possit, utque in novam vitam lavacro « aquae salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret et, cor- « poris licet manente compage, hominem animo ac mente mu- « taret. Qui possibilis est, aiebam, tanta conversio?» Et infra: « Sed postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe de- « tersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lu- « men infudit, postquam caelitus Spiritu hausto, in novum me « hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus « confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem « dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile « putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carna- « liter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse coepisse quod « iam Spiritus Sanctus animaret». In quibus verbis notandum est quod si sacramenta tantum moverent mentem ad credendum, ut adversarii dicunt, non fuisset ulla causa cur Cyprianus difficulter

crederet effectum baptismi; non enim est hic effectus magi,dif ficilis quam quod verbum Dei praclicatum valet ad excitanda» fidem. Idem etiam Cyprianus, epistola 59 ad Fidum (P. L 3 1015 sq.\ serio monet corrigendos eos qui putabant, ante ocia- vum nativitatis diem non esse parvulos baptizandos, etiamsi mor- tis periculum immineat. At si baptisma solum excitat fidem, et prodest infantibus tantum ea ratione quia cum adoleverint recor- dabuntur, quorsum infantes morituros baptizari vult Cyprianus? — Ambrosius, 2 de Poen., c. 2 (P. L. 16, 499): «Impossibile, « inquit, videbatur ut peccatum ablueret aqua...; sed quod impos- 1 « sibile erat, fecit Deus esse possibile, qui tantam nobis donavit | « gratiam». Vide etiam librum de iis qui initiantur mysteriis, c. 3 | et 9 (P. L. 16, 391 sq. ; 405 seq.); et 1. 3 de Spiritu Sancto, c. 10 (P. L. 16, 791). — Hieronymus, ep. 69, n. 5 ad Oceanum (P. L. 22, 657, 661): «Quantam vim, inquit, habeat baptisma, et aqua «in Christo sanctificata gratiam, paulo post docebo». Et infra ubi plurima attulit testimonia et figuras : « Dies me deficiet, si cuncta «quae ad potentiam baptismi pertinent, de Scripturis Sanctis vo- «luero digerere».— Augustinus, 1. 4 de bap., c. 22 (P. L. 43, 173V· «Invenio, inquit, non tantum passionem pro nomine Christi, « id quod ex baptismo deerat pos»e supplere, sed etiam fidem con· d versionemque cordis si forte ad celebrandum mysterium bapti- « smi in angustiis temporum succurri non potest». Haec ille. Si ergo aliquando martyrium, aliquando fides cum cordis conversione supplet vicem baptismi, manifeste sequitur quod baptismus non ju- stificat excitando fidem, sed immediate applicando merita Christi. Et ibidem, c. 24, probat Augustinus sacramentum baptismi mul- tum prodesse parvulis, etiamsi illi sint fidei actualis incapaces. Et 1. 19 contra Faustum, c. 11 (P. L. 42, 355) : «Sacramentorum, «inquit, vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta « sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non po· «test perfici pietas». At si tantum excitarent fidem, non modo non inenarrabiliter valerent plurimum, sed vix aliquid valerent; nam de concione nemo diceret eam inenarrabiliter plurimum valere, cum saepissime multis concionibus vix aliqui moveantur· et tamen fatetur Lutherus, multo efficaciorem ewt.

concionem

baptism . quod verissimum est, si agatur de efficacia provocandi fidem, i ! i Augustinus, Tract. So in Ioan., η. 3 (P. L. 35. 1840): « Unde i ta tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat? » — Leo Magnus, Serm. 4 de natali Domini (P. L. 54, 206): «Omni « homini renascent! aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eo- « dem Spiritu replente fontem qui replevit et Virginem, ut pecca- « tum quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio». — Denique, ut alios innumeros omittam, Bernardus in Serm. de coena Domini (P. L. 183, 272): «Duo, inquit, operatur in nobis « sacramentum Dominici corporis, ut videlicet et sensum minuat in « minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si « quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit ira- « cundiae motus, invidiae, luxuriae, aut caeterorum huiusmodi, « gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sa- « cramenti operatur in eo». Haec ille, cuius verba non possunt trahi ad effectum nutriendae fidei. Non enim Bernardus solum dicit, per sacramenta remitti peccata, quod fieri volunt Prote- stantes per fidem apprehendentem Christi iustitiam et Dei be- nevolentiam ; sed etiam dicit vim sacramenti operari in nobis, ut non consentiamus peccatis, quod per solam fidem nec potest fieri neque adversarii fieri dicunt.

Hucusque fere Bellarminus, catholicum dogma de cau- salitate sacramentorum ex opere operato, tanta nube testium imposita, invicte asserens. Nunc autem consequens esse videtur nonnulla adiungere de ipsa gratia sacramentali prout a gratia communiter dicta distinguitur, et ad hoc spectat altera propo- sitionis assertio.

§ 2.

Gratia communiter dicta intelligitur ea quae alias dicitur sanctificans. Est habitus essentiam animae perficiens, et ipsis- sima participatio naturae divinae de qua 2 Petr. I-4. Virtutes vero et dona sunt habitus a praecedenti quodammodo emanan- tes, qui cum potentias animae perficiant, in iisque sublectentur, se habent ut proxima actuum supernaturalium principia. *In eo*

autem difterunt virtutes a donis, quod virtute , dicuntur de habitibus quibus homo fit habilis ad operandum supernaturaliter quasi ex propria deliberatione; at dona di untur de illis aliis quibus fit bene mobilis a Spiritu Sancto, ipsum speciali instinctu movente.

Quaeritur ergo utrum gratia sacramental is quae sine dubio includit gratiam communiter dictam et virtutes et dona, addat aliquid super haec omnia. Et respondetur affirmative ex omnium sententia, propter rationem quam affert S. Thomas, hic, art. 2 in corpore. Ordinantur enim singula sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana. Ergo oportet ut gratia uniuscuiusque sacramenti aliquid speciale addat super ea quae generaliter in omni justificatione, pro quolibet naturae statu, inveniuntur. Consequentia est evidens, quia causa ordinata ad specialem effectum, aliquid speciale efficiat necesse est. Antecedens vero patet, quia alias, frustra essent diversa sacramenta instituta; quod est impossibile, cum in operibus Dei nihil possit esse frustra.

Quae cum ita sint, evidenter patet speciale illud quod addit gratia sacramentalis qua talis, nihil aliud esse quam aliquod divinum auxilium ad consequendum proprium finem uniuscuiusque sacramenti, et sub hac generalitate verborum omnes convenire debent. Ideoque, quaestio solum esse potest, an auxilium illud sit intelligendum de actuali auxilio, an de habituali. Plerique moderni intelligunt auxilium actuale, aut melius, ius ad speciales gratias actuales pro variis finibus sacramentorum. Consentit Caietanus hic in commentario, ubi etiam tradit S. Thomam retractasse id quod alibi docuerat (1), sed nullum affert convincens argumentum (2). Alii ergo intelligunt auxilium ha-

(*) S. Thom, in IV, D. 1, q. 1, a. 4, q. 5. Item de Verit. q. 27» a. 5 ad 12am.

(*) Fundamentum Caietani est quia S. Thomas nunc dicit gratiam sacramentalem addere aliquod divinum *auxilium,* quo nomine non potest intelligi donum habituale. Sed hoc nihil est, nam auxilium in genere est id omne quo homo iuvatur a Deo ; atqui illud quo iuvatur homo a Deo, tam est gratia habitualis quam actualis. Et licet moderni

bituale. [-] est, dispositiones in potentiis animae receptas contra defectus particulares ad quos reparandos singula sacramenta sunt ordinata. Et ad aliqualem huius rei intelligentiam considerandum "st quod sacramenta ex propria ratione suae institutionis sunt in remedium lapsus et deordinationis in nobis inductae per peccatum. Hoc nobis innuit Christus in parabola frequenter iam laudata boni Samaritani; hoc demonstrat derivatio sacramentorum a Christo redemptore qui non venit in mundum nisi ad reparandum peccatum mundi; hoc etiam eleganter exponit Augustinus, Enarr, in Psalm. 146, n. 7 (P. L. 37, 1903). Considerandum insuper quomodo peccatum illud quod ab Adam in omnes pertransiit, abstulit gratiam originalis iustitiae, quae super gratiam communiter dictam addebat donum integritatis, id est. dispositionem habitualem perfecte ordinantem potentias inferiores sub dominio rationis. Considerandum denique quod amissio huiusmet habitualis dispositionis dicitur vulnus quo etiam in naturalibus fuimus vulnerati, omnia intelligendo secundum quod solet explicari ubi de statu naturae lapsae per oppositionem ad statum naturae innocentis. Hinc, si sacramenta vere sunt in remedium lapsus et in ligaturam vulnerum quae in lapsu contraximus, rationabiliter dicetur gratia sacramentalis addere supra gratiam communiter dictam dispositiones quasdam habituales plus minusve imminutivas concupiscentiae in variis et multiplicibus ramihcationibus eius, et ita quidem ut unicuique sacramento sua propria ac specialis velut ligatura respondeat. Quamquam nos non possimus praecise assignare proprias ac distinctivas rationes singularum, ac per hoc, debeamus necessario in quibusdam generalitatibus consistere, sicut etiam notavit S. Thomas.

soleant accipere nomen auxilii in sensu gratiae actualis prout contra habitualem dividitur, certum tamen est quod in stylo S. Thomae, auxilii vocabulum utramque indifferenter comprehendit. Accipe in exemplum illud 1-2, q. 109, a. 9 in corpore. « Homo ad recte vivendum, «dupliciter *auxilio Dei* indiget; uno quidem modo, quantum ad ali- « quod *habituale donum,* per quod natura humana corrupta sanetur... « Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo in gratia exsistens • non indiget alio auxilio gratiae, quasi aliquo habitu alio infuso, etc.-.

Quaest. 27 de Verit., a. 5, ad I2um: « Dic< m, inquit, quod «sicut diversae virtutes et diversa dona Spiivus Sancti ad di«versos actus ordinantur, ita diversi sacramentorum effectus «sunt ut diversae medicinae peccati, et participationes virtutis « dominicae passionis, quae a gratia gratum faciente dependent, « sicut virtutes et dona. Sed virtutes et dona nomen speciale « habent, propter hoc quod actus ad quos ordinantur sunt mani« festi... Defectus autem peccati, contra quos sacramenta insti« tuuntur, latentes sunt; unde sacramentorum effectus nomen * proprium non habent, sed nomine gratiae nominantur ; dicun« tur enim gratiae sacramentales, et penes has sacramenta di«stinguuntur sicut penes proprios effectus. Pertinent autem isti «effectus ad gratiam gratum facientem, quae istis effectibus « coniungitur, et sic cum propriis effectibus habent effectum « communem qui est gratia gratum faciens, quae etiam per sa« cramentum et non habenti datur, et habenti augetur».

Superest nunc ut ex doctrina in priori propositionis parte asserta, duo magni momenti corollaria eruantur.

COROLLARIUM I.

Ergo sacramenta conferunt inaequalem gratiam inaequaliter dispositis, hoc est, causant gratiam in suscipientibus pro mensura dispositionum uniuscuiusque.

Est in primis doctrina Tridentini, Sess. VI, cap. 7 f1), ubi cum enumerasset causas justificationis, mentione facta causae instrumentais quae est baptismus, ait: « lustitiam in nobis recipientes, « unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus San« ctus partitur singulis prout vult, et *secundum propriavi cuius« que dispositionem et cooperationem*». Quo in loco certum est agi de justificatione generalissime considerata, sive sit ex opere operantis cum solo voto sacramenti, sive sit ex opere operato

(') Denzinger, 799.

per sacramentum actu susceptum. Et in iustificatione quidem quae est ex opere operantis, dispositio et cooperatio hominis consideratur ut appellans atque exigens habitualem gratiam. In iustificatione vero ex opere operato, consideratur solum ut coaptans animam sacramento, et capacem eam reddens recipiendi effectum cius; semper tamen gratia accipitur proportionaliter ad *propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.* Sicut limpiditas aeris non est causa illuminationis eius, sed est solum dispositio ad illam, ita scilicet ut secundum maiorem minoremve limpiditatis gradum, magis minusve a sole aer illuminetur. Et sic est in praesenti, ubi proportionaliter se habet sacramentum ut sol, anima ut aer, dispositiones maiores vel minores ut maior minorve limpiditas.

Nec obstat quod Concilium prius attribuit mensuram gratiae acceptae arbitrio Spiritus Sancti dividentis singulis prout vult; nam et hoc ipsum, quod dispositio unius sit perfectior dispositione alterius, ultimo refundi debet in liberam voluntatem Dei, cuius donum est ipsissima praeparatio qua nosmetipsos ad gratiam disponimus. Et ideo, ne Concilium sibi ipsi contradixisse fingamus, dicendum est per haec verba *secundum propriam cuiusque dispositionem,* assignari rationem proximam mensurae collationis gratiae sanctificantis; per praecedentia vero, *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult,* assignari rationem ultimam et altissimam, ex qua fit ut alii prae aliis sint melius dispositi, id est, magis susceptibiles efficaciae sacramenti.

Est praeterea eadem doctrina, communis et certa omnium theologorum sententia, cum S. Thoma, infra, q. 69, art. 8. De qua etiam manifesta exstant apud Patres testimonia, nam Damascenus de Fide orth. l. 4, c. 9 dicit (P. G. 94, 1122): «Quamvis autem « peccatorum remissio omnibus per aquae baptismum detur, Spi- « ritus tamen gratia pro fidei ac praeviae purgationis modo conce- « ditur ». Et Cyrillus Hierosolymitanus initio quadragesimae exhortans catechumenos, eisque proponens sacratissimam illam Paschatis noctem in qua *aquis/ruentur christiferis* fragrantiam spiran

catech. 1, n. 5 (P. G. 33, 375) ait: «Tot annorum circulos,

« mundo incassum laborans transegisti, ne< quadraginta diebus « vacabis orationi pro anima tua?... Omitte plura inutilia loqui, «neque tu detrahe, neque detrahentem libenter audi... Munda « vas tuum ut gratiam capiat abundantiorem ; remissio enim «peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spi- « ritus Sancti secundum proportionem uniuscuiusque fidei con- «ceditur. Si parum laboraveris, parum accipies... Tibi ipsi cur- « ris, tibi convenientia prospice ».

Denique est sequela praedictorum. Ex hoc enim quod sacramenta operantur *ex opere operato* ut instrumenta Dei applicativa meritorum Christi, invenitur in eis eiusmodi habitudo ad homines sanctificandos, ut *de se* quidem sint virtutis indefinitae, et habeant aequalem respectum ad omnes: tametsi vice versa, non omnes aequalem respectum habeant ad sacramenta ; et ratio huius est differentia dispositionum quibus magis minusve perfecte ipsis sacramentis subiiciuntur, ac veluti coaptantur. Quia igitur actus activorum recipiuntur in passivis secundum suam dispositionem, utique quantum ad effectus qui suscipiunt plus et minus, restat ut qui accedunt ad sacramenta cum maiori praeparatione fidei et devotionis, maiorem gratiam accipiant. Nota tamen diligenter, quod « devotio baptizati non additur quasi « concausa, ut efficienter agat ad gratiae receptionem, sed ad- « ditur quasi dispositio materialis ; et ideo secundum diversita- « tem ipsius participatur baptismi effectus » ζl). Et simili modo in physicis, sol magis calefacit metallum quam lutum, quia metallum est magis conductivum caloris.(*)

(*) S. Thom., in IV, D. 4, q. 2, a. 3, q. 3, sol. 2, ad i'''. – 0- perantur ergo sacramenta ad modum causarum naturalium. Equidem admittenda est initialis ordinatio divinae sapientiae, assignans minimum gratiae sacramentalis pro minima dispositione; sed hoc fundamento praeiacto, reliqua invariabili lege ex natura rei consequuntur.

COROLLARIUM II.

Ergo, sicut sacramenta mortuorum certo certius causant gratiam secundam in iustis, ita probabilius sacramenta vivorum causant gratiam primam in peccatoribus, si modo attriti bona fide accedant ad sacramentum.

Nota quod gratia *prima* illa est, qua quis primo justificatur, id est, de statu peccati in statum iustitiae transfertur: gratia vero *secunda* consistit in augmento seu intensione praecedentis. Nota iterum, *sacramenta mortuorum* dici illa, quae statum gratiae in suscipiente nullo modo praeexigunt, quia primo et principaliter ad suscitandos spirituales mortuos, hoc est, ad primam justificationem conferendam fuerunt instituta. E contra, *sacramenta vivorum* ea dicuntur, quae licite non possunt recipi nisi a iustis, quia eius indolis sunt, ut regulariter requirant subiectum in quo vita gratiae aliunde iam habeatur. Cogita Eucharistiam, quae fuit per modum nutrimenti sub specie cibi et potus instituta, et ideo non prodest mortuo morte spirituali; non quod physice hoc repugnet, sicut repugnat in corporalibus, sed quia propter ordinem servandum, *necessitate praecepti* spiritualis vita praeexigitur, et prohibetur homo sub poena sacrilegii ne ad hoc sacramentum accedat absque statu gratiae prudenter saltem existimato.

Sacramenta igitur mortuorum causare gratiam secundam in iustis, est ex dictis evidentissimum. Etenim omnia sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; sed qui antea justificatus per charitatem perfectam, baptizatur, non ex hoc quod iustus est, ponit obicem sacramento; imo vero, multo meliorem habet dispositionem. Ergo gratiam quae fructus est sacramenti, consequetur; non autem gratiam primam quam habebat, ergo gratiam secundam. Et circa hoc, nec est, nec potest esse controversia.

Itaque controversia solum respicit sacramenta vivorum:

utrum in peccatoribus causent gratiam primam, quando attriti bona fide accedunt. Alii negant, alii longe communius affirmant cum S. Thoma infra, Q. 72, a. 7, ad 2um ℣. et Q. 79 a. 3 in corp. ℣. Et probari potest sententia affirmativa sequenti argumento : Sacramenta ex opere operato conferunt gratiam non ponentibus obicem. Sed peccatores qui attriti bona fide accedunt ad sacramenta vivorum, obicem non ponunt; ergo, etc.

Minor demonstratur, nam obex ad gratiam non potest esse ipse peccati reatus qui in gratiae privatione consistit ; alias dicendum esset privationem formae esse obicem ad formae receptionem, quod est absurdum. Et si peccati reatus seu habituale peccatum non est obex ad gratiam communiter dictam, neque etiam ad id quod accessorii instar addit gratia unicuique sacramento propria. Relinquitur ergo, quod obex in peccatore qua tali non sit nisi voluntas peccato inhaerens vel actualiter vel habitualiter : actualiter quidem si homo actu in ipsa sacrilega receptione sacramenti peccat: habitualiter vero si nunquam peccatum praeteritum per interiorem poenitentiam retractavit. Sed peccator bona fide et cum efficaci attritione accedens ad sacramentum vivorum, non habet voluntatem peccato inhaerentem, nec actualiter, nec habitualiter. Non actualiter, quia ratione bonae fidei excusatur a sacrilegio; non habitualiter, quia per attritionem excludentem affectum peccandi, peccata sua retractasse supponitur. Ergo nullum ponit obicem sacramento, et per consequens, sacramentum causabit in eo gratiam sibi propriam,

Hoc loco de Confirmatione ait : «Et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur remissionem peccatorum».

℣. Hic etiam dicit de Eucharistia : « Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo, non perceptum actu, sed voto... Alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet ; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis quae contritionem perficiet, et remissionem peccati».

quam utique in talibus circumstantiis continget esse gratiam primam.

Ad argumentum autem quod adversarii f1) per omnem modum urgent, nimirum: *Sacramenta non causant nisi gratiam quam significant, sed sacramenta vivorum non significant gratiam primam, ergo nunquam conferunt eam,* respondeo concedendo maiorem, et negando suppositum minoris. — Suppositum enim est, quod sacramenta significant gratiam directe et per se sub formali ratione gratiae primae vel secundae ; sed hoc falsum est. Nam significatio sacramentorum respicit gratiam sub ratione gratiae *intrinsece talis,* quae nimirum addit super gratiam communiter dictam speciale auxilium ad consequendum proprium uniuscuiusque sacramenti finem, ut in thesi dictum est. Nunc autem, quia speciale auxilium quod includit gratia significata per sacramenta vivorum, eiusmodi est ut non debeat regulariter dari nisi homini iam aliunde iustificato, hinc est quod sacramentum vivorum per se loquendo non suscipitur licite, et per consequens fructuose, ab homine existente in statu peccati. Si tamen extraregulariter ratione bonae fidei, hoc contingat fieri, semper sacramentum conferet propriam gratiam quam significat, cui tamen conveniet tunc denominatio gratiae primae, ex hoc solo quod nullam antecedentem invenit in anima (2). Hinc etiam sequitur, non esse dicendum quod sacramenta vivorum causant gratiam primam *per accidens,* sed rectius diceretur causare eam *ex suppositione alicuius quod est per accidens in homine suscipiente.* scilicet praeter eius intentionem. Non enim vult componere receptionem sacramenti cum statu peccati, et si hoc vellet, non solum non consequeretur gratiam, sed imo, maioris delicti efficeretur reus.(*)

(*) Lugo, de Euchar. Disp. 12, Sect. I.

(2) Hic igitur adverte quod denominatio gratiae *primae* vel *secundae,* est denominatio pure extrinseca. Denominat enim gratiam, non secundum intrinseca eius constitutiva, sed solum secundum quod ei praesupponitur vel non, antecedens status iustitiae. Porro sacramenta per se et directe gratiam significant, non quidem in ordine ad aliquid antecedens, sed secundum quod intrinsece talis vel talis est.

Hactenus assertum est dogma <lc causalitate sacramento, rum ex opere operato, deductis etiam corollariis quae ex dogmate consequuntur, vel certe consequi videntur. Constat autem quod ubi dispositiones desunt, effectus gratiae non inducitur. At vero, sacramentum ab indisposito valide susceptum, nullumne in eo effectum habebit? Et si dispositiones quae prius desiderabantur, postea adesse incipiunt, omni obice remoto, nequidem tunc gratia sacramentalis conferetur? Ad huius dubii solutionem ordinatur sequens propositio, cuius doctrina totam theologiam de sacramentis intime pervadit, estque ad intelligentiain dicendorum in posterum valde necessaria.

THESIS VI.

(Infra, Q. 66, art. i in corp.; Q. 84, a. 1, ad 3'UB; in IV, D. i, q. i, art. 4, etc.).

Est in sacramentis aliquis effectus distinctus a gratia et ad eam praevius, qui nunquam potest deesse, modo serventur omnià quae ad validitatem requiruntur. Dicitur autem «res et sacramentum », et cum sit dispositio sive titulus de se exigens infusionem gratiae, quamdiu in homine permanet, est ratio reviviscentiae sacramenti ficte suscepti, statim ac obex removetur.

Nota prius vim terminorum. Agitur de aliquo effectu sacramenti exterioris qui ab eo realiter distinguitur sicut omnis

Adverte etiam disparitatem inter corporalem cibum qui mortuo nusquam prodesse potest, et spiritualem cibum Eucharistiae. Nam Eucharistia sicut caetera sacramenta, non solum confert effectus qui consequenter se habent ad animae vitam, sed confert etiam id in quo formaliter consistit animae vita. Hinc ex analogia effectuum Eucharistiae cum effectu corporalis nutritionis, sequitur quidem quod ad servandum ordinem, debuit sub poena sacrilegii arceri spiritualis mortuus ab huius sacramenti perceptione ; non autem sequitur quod vitam non acciniet si forte propter bonam fidem excusetur a sacrilegio, et habeat obicem aHeclu« ad peccatum.

effectus a sua causa, et iterum distinguitur a gratia qua iusti nominamur et sumus. Distinguitur, inquam, a gratia, ut aliquid *ad eam praevium,* sin minus ordine temporis, at certe ordine naturae, pro quanto est dispositio et titulus ipsam exigens. Cum autem nunc *dispositionem* dico, cave confusionem cum dispositionibus de quibus in praecedenti propositione sermo fuit. Dupliciter enim ab eis differt. Primo quidem quatenus non est dispositio ponens simplicem idoneitatem ad gratiae susceptionem, tollendo obicem ab anima, (imo cum obice illo omnino potest consistere), sed est *dispositio exigiliva gratiae quantum in se est,* modo scilicet non adsit ille ipse mox dictus obex, puta impedimentum incredulitatis vel affectus ad peccatum. Secundo differt, quia non est opus operantis hominis ut fides vel attritio, sed est aliquid inductum ex opere operato ut character vel aliquid eiusmodi.

De hoc effectu rursus asseritur, quod nunquam potest deesse ubi servantur omnia quae *ad validitatem* requiruntur. Considerandum enim est, aliqua requiri ad effectum iustificationis sacramentalis quae necessaria non sunt ut sacramentum sit validum, id est, ut vere conficiatur secundum legem suae institutionis. Porro est validum, quoties debito subiecto adhibetur materia et forma a ministro competente cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, supponendo solum ex parte suscipientis, si sit adultus, aliqualem voluntatem recipiendi id quod ei traditur, ut dicetur infra suo loco.

Vocatur supradictus effectus, *res et sacramentum :* de quo in superioribus nonnulla iam praelibata sunt. Docet quippe S. Thomas, tria in sacramentis N. L. inveniri : « Aliquid scilicet quod « est sacramentum tantum, aliquid autem quod est res et « sacramentum, aliquid vero quod est res tantum » fl). *Sacramentum tantum* significat et non significatur ; est enim ipsum exterius signum, constans rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma. *Res tantum* significatur et non significat ; est enim ultimus effectus, scilicet gratia unicuique sacramento(*)

(*) S. Thom. 3, q. 66, a. *i.*

propria. Denique *res et sacramenttint* aliquid est intermedium quod significatur simul et significat : significatur, inquam, immediate per sacramentum exterius, et rursus, quatenus infallibili nexu cuin ipso exteriori sacramento connexum, significat ultimum effectum gratiae, qui ut mox diximus, est res tantum.

Tandem assignatur idem ille effectus de quo praesens currit propositio, ut ratio reviviscendae sacramenti ficte suscepti, statim ac obex removetur. Sciendum enim est quod sacramenta dicuntur a theologis *reviviscere* (x), quando valide, sed infructuose propter dispositionum carentiam suscepta, postea sublato impedimento quod gratiae sacramentalis infusioni obstabat, effectum justificationis consequuntur. Et sumitur haec notio ab Augustino, qui l. i de bapt. contra Donatistas, n. i8 (P. L. 43, 119), docens non esse rebaptizandos haereticos ad catholicam Ecclesiam conversos, ait: «Sicut enim in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuo « baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione pur- « getur..., ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad sa- «lutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit; sic etiam « iste qui baptismum Christi... in aliqua haeresi aut schismate « accepit, (quo sacrilego scelere peccata eius non dimitteban-

V) Nota quod haec vox non occurrit apud S. Thomam et veteres theologos in re sacramentaria. Adhibetur quidem ab eis de bonis operibus per subsequens peccatum mortificatis, et denuo per poenitentiam recuperantibus efficaciam perducendi eum qui ea fecit, in vitam aeternam (cf. 3, q. 89, a. 5I; de sacramentis vero nusquam. Sed cum Angelicus quaestionem tractat quam postea recentiores sub nomine *reviviscendae* recensuerunt, has vel similes locutiones adhibet : Utrum, fictione recedente, baptismus suum consequatur effectum. Vide infra q. 69, a. 10; item in IV, D. 4, q. 3, a. 2, q. 3, etc. Et revera, proprie loquendo, reviviscere dicitur illud quod prius fuit vivum, postea mortificatum, et denuo ad vitam excitatur. Atqui in sacramentis nihil tale est, etiam quando ficte suscepta, postea obice sublato, ad salutem valere incipiunt, ut per se iam constat, et ex dicendis in praesenti adhuc melius apparebit. Quod tamen non ideo dixerim ut usum vocis reprobem; de verbis enim non est disputandum, modo sensus in tuto sit Ideoque, cum recentioribus vocabulo *reviviscendae* eo libentius utemur quod non occurrit aliud quo brevius et absque periphrasi exprimi possit res ab omnibus communi consensu admissa.

« tur), cum se correxerit et ad Ecclesiae societatem unitatemque « venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa ei reconcilia- « tione ac pace praestatur ut ad remissionem peccatorum eius « in unitate iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum « in schismate prodesse non poterat ». Verumtamen, cum de sacramentorum reviviscentia sermo est, inter sacramenta et sacramenta distinguere necesse est. Nam quod baptismus reviviscat, et propter evidentem paritatem rationis, alia duo quae imprimunt characterem, communis et concors omnium sententia est. Ex adverso, non reviviscere Eucharistiam, certum etiam est apud omnes. De aliis vero tribus controvertitur. Sunt qui absolute negant, sunt qui absolute affirmant, et nos cum illis; sunt denique qui opinantur reviviscere Matrimonium et Extremam Unctionem, non tamen Poenitentiam, eo quod existimant dari non posse Sacramentum Poenitentiae validum simul et informe; quae omnia, ut patet, relinquuntur ex professo discutienda, ubi de singulis sacramentis in speciali. Quapropter non oportet eiusmodi controversiam nunc attingere, sed supponendo interim *quod sit* reviviscentia, saltem ut in pluribus sacramentis, solum declaratur *quomodo sit,* seu quomodo debeat explicari, ut convenienter determinetur quidquid pertinet ad rationem et modum quo sacramenta nostra gratiam continent et causant.

Et de terminorum explicatione iam satis. — Verum, ut quod in proposito est, recte intelligatur, etiam atque etiam considerandum est, non venire hic et nunc in quaestionem, an sacramenta actione sua attingant ipsam substantiam *gratiae, an solum* aliquid praevium et dispositivum. Nam, quidquid circa hoc rei veritas habeat, id unum pro nunc adstruere intendimus. *Sacramenta non causare gratiam, nisi per prius causando effectum exigitivum eius, sive deinde sua vi instrumentait pertingant etiam ad substantiam gratiae, sive non. Hinc primo,* propositio ista non est directe contra causalitatem moralem vel physicam, ad sensum Lugonis vel Caietani, quia cum alterutra sententia adhuc componi potest quidquid in praesenti demonstrandum assumitur. Hinc secundo, propositio est solum contra eos qui dicerent, vel non dari in omnibus sacramentis effectum a gratia

distinctum quem *rem et sacramentum* vor.imus, ve] certe eff ctum hune non esse ad gratiam praevium, sed gratiam *aeque primo* per sacramentum induci. Hinc denique tertio, non putamus nos debitae moderandae limites excessuros, si dicamus assertionem nostram certissimis argumentis firmari, quatenus, ut iam supra dictum est, vix ac ne vix quidem possunt sine ea inter sese cohaerere pleraque doctrinae capita in re sacramentaria. — His igitur rite praemissis :

i. Demonstratur principalis assertio ex significatione sacramentorum. — Sacramenta causant id quod significant; atqui significant quemdam effectum distinctum a gratia et ad eam praevium, a quo dependeat gratiae sacramentalis collatio; ergo est in sacramentis aliquis effectus distinctus a gratia, etc., ut in thesi positum est. — Maior est extra omnem controversiam. Quocumque enim modo causalitatem sacramentorum intelligas, sive eam reponas in aliqua virtute ordinis intentionalis quae conveniat naturae signorum, sive existimes causalitatem et significationem esse duo disparata quae materialiter tantum in eodem elemento sensibili coniunguntur, illud saltem certum atque indubitatum est, causalitatem a significatione regulari, ut sit in effectu quidquid est in significatione et eodem omnino modo. — Ad minoris autem declarationem in qua tota iacet difficultas, sufficiet discurrere per singula sacramenta, inspiciendo primo Eucharistiam, tum Baptismum et Confirmationem et Ordinem quibus character imprimitur, ac denique alia tria quae supersunt.

Primo igitur cogita *Eucharistiam,* quae est sacramentum sacramentorum. Ibi certe sacramentum tantum, videlicet sacramentum exterius et visibile quod constat speciebus panis et vini prout verbis consecrationis informantur, nihil aliud significat immediate quam praesentiam corporis et sanguinis Christi ; verba enim formae sunf. *hoc esi corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* Quod si ulterius significet spiritualem animae refectionem quae est gratia huic sacramento propria, eiusmodi significationem non habet nisi mediante corpore Christi vero, et dependenter a reali eius praesentia. Igitur praeter effectum gratiae,

significatur ibi effectus transubstantiationis *praevius* a qOo dependeat ipsamet gratia reficiens ac nutriens animas.

Vide nunc sacramenta imprimentia characterem. Vix opus est dicere de *Ordine,* in quo evidens est nihil aliud proxime significari praeter collationem potestatis sacrae, sive deputationem ad munia sacerdotii ; hoc verba formae, hoc ritus impositionis manuum et traditionis instrumentorum, hoc omnes caeremoniae declarativae inculcant. Sed cum dicta potestas non possit debito modo exerceri sine gratia sacerdotio Novae Legis propria, ideo Ordo ex consequenti illam significat. — Et simile est de *Confirmalione* quae iterum gratiam non signat, nisi significando per prius deputationem christiani ad esse militem Christi, cuius fides ei committitur ex officio fortiter confitenda. — At forte maior erit difficultas de *Baptismo,* ubi ablutio aquae cum verbis *ego te baptizo,* etc., ipsam ablutionem interiorem quae per gratiam baptismalem formaliter fit, citra omne medium interpositum significare videretur? Nullo modo, quia non oportet confundere rem immediate significatam cum ea quae principaliter intenditur, sed magis considerandum quod significationis modus determinatur per verba formae, cuius recta expositio est: *Ego te baptizo, id est, tibi sacramentum ablutionis impendo,* ut de forma absolutionis infra docet S. Thomas fl). Porro idem est impendere sacramentum ablutionis, ac conferre sacramentale signum interioris renovationis, sive consecrationem exigitivain eiusdem. Et quod haec legitima sit formae expositio, luculenter apparet ex iis quae fides docet de effectu sacramenti. Potest enim sacramentum esse validum simul et informe, id est. absque effectu iustificationis propter obicem in suscipiente existenten». Aliunde vero, quoties est validum, necesse est ut vere efficiat id quod significat Hoc autem foret impossibile si id quod immediate significatur per verba formae, *ego te baptizo,* seu *abluo,* esset ablutio interior tanquam actu effecta. Ergo subiecta ma

(*) S. Thom. 3» Part. Q. 84. a. 3, ad 5"“: «Esset, inquit, perfectior expositio : *Ego te absolvo,* id est, *sacramentum absolutionis tibi impendo* ».

teria cogit nos exponere verba ilia .l. ablutione interiori, non tit in se absolute, sed ut in disposition, , .lm de se exigente- hoc est, de collatione alicuius consecrationis, seu characteris qui sit exigens (nisi ex parte suscipientis obstet impedimentum) emundationem animae per gratiam baptismalem (C).

Porro, tribus pradictis valde affine est *Matrimonium,* in quo sacramentum tantum, scilicet contractus, immediate significat vinculum sacrum quo vir et mulier ad invicem obligantur, mediate vero gratiam, ut quae per tale vinculum conjunctionem Christi et Ecclesiae repraesentans, exigitur. Ibi ergo vinculum coniugale correspondet characteri, estque res et sacramentum.— Remanent nunc Poenitentia et Extrema Unctio, quae a caeteris nequaquam discriminantur. Nam primo, *Poenitentia* est instituta per modum iudicii, ut in confesso est apud omnes. Atqui in indiciis forensibus sententia absolutoria nusquam significat immediate sui executionem, sicut si quis per sententiam iudicis absolvatur a poena carceris, sententia ipsa proxime non respicit actualem liberationem eius qui carcere detinetur, sed significat et facit ius ex quo debitum est ut liberetur detentus, ac per hoc, ponit in carcerato titulum ad liberationem. Unde, sicut in foro humano sententia absolutoria recte exponitur: *ergo reddo et facio*

C) Cogita adultum peccatorem qui baptizaretur, non peracta poenitentia quam ante baptismum agi oportet (Trident. Sess. 6, cap. 6), hoc est, absque dolore de peccatis mortalibus a se admissis et firmo proposito non peccandi de cetero. Certe, baptismalem gratiam non recipiet iste. Imo, si sibi sit conscius carentiae debitae dispositionis, tantum abest ut a sordibus peccati ex aquis baptismatibus mundatus emergat, ut etiam sordidior emersurus sit, propter superadditum sacrilegii reatum. Et tamen validum fuit baptisma, uti supponitur, quia supponitur nihil defuisse de requisitis ad validitatem : nihil ex parte materiae et formae ; nihil ex parte intentionis ministri , nihil denique ex parte intentionis suscipientis qui sciens et volens venit ad baptismum. Nunc autem, si quaeras quomodo his in adjunctis verba formae, *ego te baptizo,* seu *abluo,* habuerint suae significationis efficaciam ' simul et veritatem, prout oportet in omni valido sacramento, puto quod nusquam invenies extra doctrinam quam praesens thesis tuetur, de *re et sacramento.*

jus in cuius vi debes liberari a carcere, ita proportione servata, sententia absolutoria in foro conscientiae. Hic igitur res et sacramentum est ius factum circa poenitentem, ponens in eo titulum certum ad gratiam per quam formaliter peccata remittuntur. — Denique, quod ad *Extremam Unctionem* attinet, observandum est formam eius esse essentialiter optativam, quia per hoc sacramentum infirmus viribus iam destitutus et sibi ipsi consulere amplius non valens, ultimo consignatur sub Dei misericordia, ut perficiantur in eo quaecumque in tanto discrimine manent ad salutem necessaria. Atqui iterum, optatio quaelibet nusquam significat immediate alleviantis auxilii collationem; sed si sit ex opere operato efficax, si quid practice signet circa eum super quem funditur, hoc demum et nihil aliud est: ipsum scilicet committi in manus illius cuius exspectatur indulgentia, et recipere titulum certum ad optatae misericordiae consecutionem. Quare in Extrema Unctione res et sacramentum est quaedam aegroti in manus misericordiae Dei consignatio, ex qua debitum est ut recipiat, nisi obstiterit obex, alleviationis gratiam.

Certo igitur certius constat, omne validum sacramentum, eo ipso quod validum est, aliquem habere specialem effectum, qui cum a gratia unicuique sacramento propria apprime distinguatur, est titulus eius exigitivus, ordine saltem naturae eam antecedens. Superest autem declarandum, qualiter cum hoc principio cohaereat unum e praecipuis doctrinae capitibus in re sacramentaria.

2. Ostenditur rem et sacramentum recte assignari ut rationem reviviscentiae. — Recte, inquam, effectus ille intermedius qui nullo obice impediri potest, sed semper adest quoties sacramentum valide fuit collatum, ut ratio reviviscentiae in circumstantiis superius commemoratis assignatur. Commune enim est omnibus causis naturalibus, ad quarum normam operantur sacramenta, ut si quando impeditae sunt ab ultimo suo effectu propter obicem aliquem existentem aut supervenientem, statim obice remoto, consequantur illum, quotiescumque scilicet ex causa agente relicta est in subiecto sufficiens dispositio sive inclinatio ad formam. Hinc *ergo* sumenda est sic dicta sacramen-

torunl reviviscentia, et nulla alia ex parte sumi potest. Sacramenta enim sunt causae quaedam efficientes; atqui causa efficiens sicut non operatur antequam sit, ita nec agit postquam esse desiit, Itaque necesse est ut ex sacramento ficte suscepto, vel nunquam habeatur gratia, vel si ad obicis remotionem habetur, hoc ideo sit, quia sacramentum induxit immediatum quemdam effectum de se exigitivum gratiae et adhuc permanentem. Unde S. Thomas in IV, D. 4, q. 3, a. 2, quaestiun. 3, sol. 3 : « Dicendum, in- « quit, quod in baptismo imprimitur character qui est immediata «causa disponens ad gratiam; et ideo cum fictio non auferat «characterem, recedente fictione quae effectum characteris im- « pediebat, character qui est praesens in anima, incipit habere « effectum suum, et ita baptismus, recedente fictione, effectum «suum consequitur». Et idem omnino docet in Summa theologica, q. 69, a. 10.

Huic etiam generali doctrinae dicta theologorum optime consonant. — Intelligitur enim primo cur *iuxta omnes* Eucharistia non reviviscit C). In ea enim res et sacramentum non est aliquid manens in anima, sed est praesentia corporis Christi sub materia consecrata, ac per consequens, id quod appellat atque exigit gratiam huic sacramento propriam, debet esse ipsum Christi corpus prout per modum cibi applicatum communicanti. Corruptis itaque speciebus, et Christi praesentia desinente, nihil in homine relinquitur quod sit gratiae postea conferendae ratio, si forte accessit homo absque debitis dispositionibus, et in sua fictione tamdiu perseveravit quamdiu in eo mansit sacramentum.

C) Cfr. S. Thom. in IV, D. 4, q. 3, art. 2, sol. 3, ad 3um . — Hic autem adverte diligenter quod reviviscentia tunc tantum habetur, quando inducitur gratiae sacramentalis effectus, sacramento exteriori non amplius exsistente. Finge igitur casum in quo quis indigne ad Eucharistiam accessit, contingit tamen ut manentibus adhuc speciebus in pectore, fictio eius removeatur per contritionem perfectam, vel alio modo. Certo certius fructuosa erit communio·, sed non ideo reviviscere dicenda est Eucharistia, quia effectus gratiae confertur, dum adhuc sacramentum exterius est applicatum.

Nulla igitur poterit esse reviviscentia. — Intelligitur secundo cur e contra, Baptismus, Confirmatio et Ordo ab omnibus dicantur sine limitatione ulla reviviscere, idque non semel tantum, sed quoties superveniens obex quacumque ratione et quocumque modo removetur (x). In his enim res et sacramentum est character qui omnino indelebiliter inhaeret animae, et nulla ex causa potest unquam auferri. — Intelligitur tertio cur a plerisque reviviscentia asseritur de Matrimonio et Extrema Unctione, sed cum quadam restrictione, scilicet durante eodem coniugio vel eadem infirmitate. Etenim res et sacramentum ibi non est in perpetuum ; nam mortuo uno coniuge, vinculum solvitur, et transacta infirmitate, non est amplius aegrotus super quo qua tali facta est «oratio fidei», ut dicitur Iacob. V-15. De Poenitentia vero res est difficilior quam ut possit hic et nunc paucis verbis explicari, et ideo relinquitur exponenda ubi de hoc sacramento in speciali.

Caeterum etiam atque etiam considerandum est, mediationem eius quod dicitur *res et sacramentum,* nihil officere causalitati gratiae ex opere operato : tum quia, ut ex ipso nomine constat, res et sacramentum non est aliquid a sacramento adaequate sumpto alienum, tum quia contra rationem operis operati esset solum mediatio operis operantis, faciens dependere ex merito vel cooperatione hominis efficaciam sacramenti.(*)

(*) Sacramenta ista etiam post mortem reviviscerent, si possibile esset removeri obicem ad gratiam in eo qui decedit in mortali ; sed quia hoc possibile non est, nullum sacramentum post mortem *simpliciter* reviviscit. Verum dari potest reviviscentia *quoad aliquos secundarios effectus,* sicut patet exempli gratia, in adulto qui baptizaretur cum debitis dispositionibus, sic tamen ut nullam de anteactis venialibus attritionem haberet. Et certe, quandiu de venialibus nulla attritio est, baptismi effectus non se extendit ad illa ; unde non remittuntur, nec quoad culpam, nec quoad poenam. At vero si homo ille decedit in gratia, necesse est ex natura rei, ut in primo separationis instanti anima eius feratur in Deum actu charitalis includente vel formaliter vel virtualiter retractactionem omnium peccatorum. Tunc ergo, obice sublato, virtus baptismatis praedicta venialia penitus extinguet, nec ulla de eis luenda poena remanebit.

Nota. — De *re el sacramento* pa„ca admodum habent moderni. Vix tamen in praesenti materia aliquid reperires quod maius momentum habeat, et magis necessariam lucem afferat plerisque obscuritatibus passim inibi occurrentibus.

Ut autem rationem nominis intimius penetres, nota quomodo sacramentalis gratia nullo vero sensu dici possit sacramentum. Nam sacramentum est proprie signum rei sacrae, et omne signum debet esse sensibile, vel per se, vel per aliud ; rursus, nihil fit sensibile per aliud nisi id quod nexu omnino infallibili coniungitur cum aliquo sensibili per se. Sed gratia sacramentalis non est sensibilis per se, ut constat; nec fit sensibilis per aliud, id est per ritum exteriorem, eo quod ritus exterior potest per omnia impleri quin tamen, propter occultam subiecti indispositionem, gratia inducatur. Igitur gratia sacramentalis est res et non sacramentum. Simili modo exterior ritus, materia constans et forma, nullo modo dici potest res, nunc sumendo rem, non quidem sensu transcendental!, sed prout signo opponitur ut signatum eius. Ideo est sacramentum et non res. Tandem considerant veteres theologi tertium illud intermedium de quo diximus, quod est sacramentum et res.

Primo, inquam, est res, quia signatur et causatur per sacramentum exterius, sic tamen ut vicissim signet atque causet aliam rem, scilicet gratiam in qua sistit processus. Unde statuitur ibi subordinatio signatorum et causatorum, quae subordinate omnino essentialis est doctrinae de *re et sacramento,* continetque principale momentum eius. Hinc enim explicatur quomodo possint sacramenta esse valida simul et informia, id est, vere habere suam significationem practicam, effectu iustificationis non secuto ; qualiter etiam remoto prohibente, reviviscant ; cur demum illa sint omnino initerabilia quae characterem imprimunt, ut in sequenti quaestione opportunius declarabitur. E contra, si solum velles dari quaedam sacramenta quorum est aliquis effectus distinctus quidem a gratia, sed quasi collateraliter se habens ad eam, accommodando deinde huic effectui nomen a veteribus invectum *res el sacramentum,* sic retineres nomen quoad sonum, non quoad rationem eius, et truslra introduceres sesquipedale

verbum sin· utilitate et sine sensu. Ratio enim nominis importat aliquid medium inter sacramentum tantum et rem tantum; sublata autem subordinatione de qua supra, nihil tale remanet, ut cuilibet consideranti patebit.

Nec satis est subordinationem hanc concedere, attribuendo effectui proximo causalitatem dispositivam respectu gratiae, sed. etiam n‹ cesse ‹ st ut in eo veram sacramenti rationem agnoscamus, quatenus in sua infallibili connexione cum ritu externo, aliquo modo sub sensu cadit, et significat causas sanctificationis initio memoratas. Hinc apud Patres et scriptores ecclesiasticos, sacramenti vocabulo passim appellatur, modo signum exterius, modo res per se invisibilis de qua nunc sermo. Nonne characterem baptismalem vocat Augustinus baptismatis sacramentum, cum l. r de nupt. et cone. c. io (P. L. 44, 420) ait: « Apostatae anima velut * de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum «fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit?» Nonne Tridentinum docet adorandum esse adoratione latriae quae vero Deo debetur, sanctissimum Eucharistiae sacramentum, id est. Christum sub visibilibus symbolis latentem? Nonne S. Thomas, Suppi, q. 34, a. 2, ad ium dicit, «quod ipse character interior est es- « sentialiter et principaliter ipsum Ordinis sacramentum? » Et re quidem vera, si quis sacramenti rationem ad solum ritum exteriorem restringeret, non haberet amplius unde sese extricaret in permultis quaestionibus, praesertim de Ordine et Matrimonio. Quomodo exempli gratia intelliges matrimonium in infidelitate semel contractum, utroque postea coniuge baptizato, fieri *ifso facto* sacramentum, sicut omnes docent canonistae, nisi sacramentum matrimonii in coniugali vinculo agnoscas? Quomodo adstrues Ordinem esse sacramentum unum, nisi veram sacramenti rationem attribuas sacrae potestati, cuius plenitudo est in sacerdotio, participatio vero in ordinibus ministrorum ? Haec igitur et alia plura in decursu disputationum exponenda luculenter ostendunt, sacramentum dici dupliciter : videlicet de eo quod est sacramentum tantum, et de eo quod est sacramentum

et res. Quare discretione et indicio opus est ut sensus digno, scatur, quem plerumque contextus indicabit ¶.

Hactenus proposita est veritas inconcussis, ut videtur fir. mata rationibus, quam ideo deinceps accipiemus instar principii dirigentis in explicatione et scientifica expositione revelatae doctrinae de sacramentis. Per se quidem praescindit a quaestione inter modernos agitata, causentne sacramenta gratiam physice vel moraliter. Sive enim unum modum teneas, sive alterum, sive tertium qui forte admittendus est, conclusiones praeceden· tes non variantur; quod sane, semel pro semper notatum velim, ne quis postea crimen inferat doctrinae super incerta opinionum placita fundatae. Nunc autem, hac cautione munitus, ad praedictam controversiam venio, de causalitatis modo statuens ut sequitur.

THESIS VII.

(Ar t . 3-4).

Sacramenta probabilius non causant gratiam moraliter, id est, per modum valoris cuius intuitu aliquid datur, sed causant eam efficienter. — Rursus non causant efficienter perfective, actione sua pertingendo immediate ad ipsam gratiae substantiam, sed solum dispositive, inducendo id quod est res et sacramentum. — Denique, virtus instru-

it Haec tamen non sic accipias velim, quasi sacramentum univoce diceretur sive de eo quod est *sacramentum tantum,* sive de eo quod est *sacramentum et res.* Sed hoc sensu accipiendum est : quatenus nempe, in utroque verificatur ratio tum *signi* tum *causae* sanctificationis, quamquam non eodem modo. Siquidem *sacramentum tantum* est signum primo et per se, utpote per se sensibile, seu per se subtectum sensibus. At *sacramentum et res* est sensibile solum per accidens, ratione scilicet sacramenti exterioris cum quo nexum habet necessarium atque infallibto CuW»». secundum « ,,,Eit omnein
ergo abo «rodo ver,Seal rabonem ,,gn, ,u et alio m,xl,, rationem
quae non lam ad eihcientem, sed ad materialem
ribus dictum est. reducitur. Sa,=Pe ■"

mentalis per quam operantur, non videtur esse physica, sed potin intentionalis, utpote habens adaequatum sui principium in institutione Christi legislatoris Novi Testamenti.

S i·

Primo loco removenda venit opinio eorum qui moralem in sacramentis causalitatem excogitaverunt. Verum, ut vel ab initio omnis aequivocatio procul absit, iterum atque iterum observandum est quod denominatio *causalilatis moralis* non sumitur in praesenti *ex parte termini causati.* Non enim adversarii sacramenta nostra morales causas appellant, quasi morale quid per ea in anima fieret, sicut si quis institutionem episcopi in consistorio vocare vellet causam moralem, quia per eam sola iuris·dictio, quae nihil physicum est, inducitur. Sed denominationem sumunt *ex parte modi causandi,* nam per ipsos sacramenta N. L. eatenus causalitatem exercent, quatenus dignitate et pretio quod habent ex meritis Christi, movent Deum ad effectum gratiae physice producendum. Nunc autem, videtur haec sententia refelli posse triplici argumento.

Prae primis, causalilas illa quam dicunt esse sitam in hoc quod sacramenta moveant Deum ut velit producere gratiam, non potest esse causalitas qua aliquid in ipso Deo efficienter causaretur, eo scilicet pacto quo apud nos quisquis movet alium ad agendum, iubendo vel suadendo vel alliciendo vel demonstrando, semper aliquid efficit in ipso, puta considerationem vel cognitionem rationum determinantium ad actum (·). Quin imo. non potest esse causalitas qua vere et proprie moveretur Deus quocumque genere motus, cum sit Deus primus motor qui omnia movet, immobilis prorsus in se permanens. Proinde locutio qua Deus dicitur moveri a sacramento, est locutio *pure metaphorica,* quam si excutias ut appareat quid rei tandem sub ea lateat, nihil aliud reperies nisi hoc : sacramentum scilicet esse *id pro*

(·) Vide supra, pag. 58 in nota.

quo gratia recompensatur a Deo, quai us vult Deus ut pro Sacramento gratia ponatur. Sed esse id p,-o quo gratia ponitur, ne a longe quidem explicat rationem causae *efficientis,* adeoquè nec *tnatnimenfalis,* quae tamen in monumentis ecclesiasticis et speciatim in Tridentino Sess. 6, cap. 7, attribuitur sacramentis^). Non ergo moraliter causant sacramenta, ad sensum Lugonis et sequacium eius.

Accedit quod sacramenta sunt instrumenta, non tam respe· j ctu Christi in quantum homo est et causa meritoria nostrae l salutis, quam respectu Spiritus Sancti, id est, divinitatis nos principaliter iustificantis, iuxta illud loan. III: « Nisi quis re· «natus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto». Sed nullo rationabili sensu dici potest instrumentum aliquod causare, in quantum ad agendum movet eum ipsum cuius instrumentum est ; nam e contra, tota ratio instrumenti in eo est sita, ut moveatur ab agente principali, et ab eo applicetur ad actum. Quod ut aliquo exemplo illustrem, perperam sane atque absurde, pecunia oblata diceretur esse instrumentum artificis qui gratia pecuniae fabricat scamnum. Esto igitur, quod sacramenta essent utcumque instrumenta Christi hominis, pro quanto in eis repraesentat Patri merita sua et per ea impetrat suorum applicationem meritorum, certo tamen certius instrumenta non essent respectu divinitatis iustificantis nos in gratiam valoris per sacramenta praesentati. Non ergo satisfacit assignatus causalitatis modus.

Aliud quoque argumentum est, quia hic modus non solum destruit rationem causae efficientis in sacramentis, sed etiam omnem veram ac propriam causalitatem cuiuscumque nominis ab eis removere videtur, ut iam praemissum est in prologomeno § 3. Etenim, duplici modo intelligi posset causalitas illa moralis ab adversariis assignata, vel per modum impetrationis, vel per modum emptionis. Per modum impetrationis quidem, quatenus sacramentum esset ex suae institutionis ratione, interpres voluntatis

(i) Huius iustificationis causae sunt, finalis quidem gloria Dei 4 et Christi ac vita aeterna..., instrumentalis item sacramentum bapti- « smi, etc. ».

Christi apud Deum in ordine ad collationem gratiae quam hominibus promeruit. Per modum emptionis vero, quatenus sacramentum poneret ipsum valorem cui est debita gratia. Atqui primum est praeter naturam sacramenti, alterum vero non sustinetur. — Primum, inquam, est praeter naturam sacramenti, quia sacramentum formaliter consideratum, non est sicut sacrificium missae, interpellatio quaedam nomine Christi ad Deum directa, sed signum practicum sanctificationis hominum. Hinc, sicut ratio sacrificii et ratio sacramenti sunt duae rationes essentialiter diversae, ita modus causandi qui sacrificio proprius est, essentialiter differt a modo causandi qui consideratur in sacramentis. Et sacrificium quidem causât impetrative, ut omnes concedunt, quia ad hoc ipsum fuit institutum, ut esset signum interioris cultus, reverentiae, submissionis, petitionis, gratiarum actionis, etc.; quo fit ut efficacia eius maxime commendetur, imo etiam formaliter explicetur per hoc, quod sit moraliter actio Christi, utpote a ministris Christi et in nomine eius oblatum, infallibilem inde (quantum est de se), impetrandi virtutem accipiens. Sed cum eiusmodi causalitas sit omnino extra formalem rationem sacramenti, non est in praesenti ullatenus attendenda. — Remanet itaque alter modus qui non sustinetur. Ecquis enim intelliget in sacramento exteriori realem valorem compensantem gratiam, vel reale pretium cui gratia esset debita? Significant quidem N. L. sacramenta, infinita merita Christi, et si vis, praesentant illa Deo, sed hoc etiam faciebant sacramenta veteris testamenti. Quod si dicas maximam esse disparitatem, quatenus sacramenta nostra continuantur cum Christo et meritis eius iam existentibus, certe disparitas ista ratio esse potest cur in sacramentis nostris derivet a Christo effectrix quaedam virtus instrumentalis qua vetera carebant, sed non potest facere ut *signum exterius quod est opus operatum,* pretium exsistat pro quo oporteat dari gratiam (x). Cogita exemplum iam superius

(') Nota illud: *signum exterius quod est opus operatum,* ut excludatur suppositum adversariorum cum dicunt sacramenta esse moraliter actiones Christi, et pro tanto intrinsece digniticari. Et de confectione quidem sacramenti recte dices quod est moraliter, id est imputative actio Christi : ipsum autem sacramentum non est actio, sed aliquid exterius per actio-

allatum, de schedula papyracea cui nullus i,,, st vel inesse potest valor intrinsecus, sed solum extrinsecus, in quantum scilicet repraesentat valores veros, et quodammodo ,·χ illis dignificatur- certo sane certius, in ordine valoris quem · -nsiderant adversarii, schedula semper se habebit per modum meri et nudi signi, sive sit scripta ab ipso possessore pecuniae, sive ab alio, sive pecunia quam repraesentat iam exsistat in re, sive solum in spe. Non ergo refert quod merita Christi nunc sint actu praestita, et tunc fuerint adhuc futura, quia differentia praeteriti et futuri multum utique facit in ordine causae efficientis, cum nihil adhuc futurum causare possit efficienter, et ideo pro iis qui ponunt in sacramentis aliquam effectricem virtutem a Christo inditam et derivatam, maxime est attendenda haec differentia ex qua fit ut nostra sacramenta sint causa gratiae, vetera vero non. Sed cum sermo est de dignificatione quam signa habent a re signata, non apparet cur signum futuri quod infallibiliter futurum est, et semper praesens est Deo cui nihil futurum esse potest, non esset aequalis ordinis in dignitate cum signo praeteriti. Secundum hoc igitur, sacramenta N. L. nihil plus essent quam signa gratiae vel meritorum Christi, cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur quod sunt verae causae.

Tertium denique argumentum est, quia in hoc modo dicendi, esto quod sacramenta causarent praesentando E)eo merita crucis, at certe non causarent significando gratiam. Significatio enim gratiae nihil iuval ad hoc quod sint moraliter actiones Christi, et sanguine seu meritis eius moraliter dignificentur. Ergo significatio et causalitas essent duae res omnino indépendantes ac disparatae, et nonnisi per accidens coniunctae ; quod tamen esse non potest, quia sacramenta, utpote signa practica, « significando causant», ait S. Thomas Qy, et iterum· «Per propriam operationem

nem constitutum. Sane vero, formale constitutivum sacramentorum sunt verba; verba amem non sunt actiones sive operationes, sed onerat». Porro, opus est *operatum* quod nunc w quaestionem venit.

De Verit. q. 27, a. 4, ad ь™,

quam exercent... efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina ζ1) ».

Obiicitur tamen primo: *Saci-amenta habent causare gratiam ex meritis mortis Christi, et in quantum sanguine eius condecorantur. In hum enim sententiam intelligenda est communis Patrum doctrina, quando dicunt sacramenta ex latere Christi, hoc est, ex consummata eius passione /luxisse : sacramenta esse rubentia sanguine ipsius (2). constare propria sanctitate propter eum a quo sunt instituta (3), vel baptizari nos in sanguine Christi per lavacrum regenerationis (4), etc. Sed id quod causât ratione meritorum sanguinis Christi, non causât nisi moraliter, sicut meritum ipsum cuius est applicatio. Ergo, ex Patrum doctrina quam notissima Scripturae testimonia confirmant (s), moralis causalitas in sacramentis est necessario admittenda.*

Respondeo: *Dist. mai.* Sacramenta habent causare gratiam ex meritis Christi, quatenus Christi merita causa fuerunt cur in sacramentis nostris virtus effectiva sanctificationis a Deo derivaret, *conc. mai.* Quatenus merita Christi, dignificando sacramenta, communicant eis suum proprium causandi modum, *neg. mai.* — Ad minorem autem similiter dico: Id quod causât ratione meritorum sanguinis Christi, moraliter causât, si ly *ratione meritorum* explicaret ipsum formale causalitatis exercitium, *conc. min.* Si solum explicat rationem cur sacramenta sunt a Deo assumpta in

(') Idem. 3, q. 62, a. r, ad 2U'". — Hoc ipsum non latuit Vasquez. Ait enim in ia," Part., Disp. 176, c. 3: «Debere instrumentum esse talis * naturae et virtutis, ut habeat ex se praeviam operationem, non quam- « cumque, sed suapte natura requisitam ad effectum, vel saltem debere «nativa virtute aliquid efficere in illo: hoc est, effectum secundum *ali-* quam rationem debere instrumento respondere, ut propriae causae «nativa virtute operanti». Et infra, c. 4: «Restat igitur ut dicamus.) instrumentis esse nativam quamdam virtutem inchoatam, ut superius «explicata est».

(·) Aug. in Ioan., Tract. 11, η. 4 (P. L. 35. *H77)·*

(·) Id. I. 4, contr. Cresconium, n. 19 (P, L. 43, 559).

(·) Hieronym. in Isai. l. 1, c. 1, v. 16 (P. !.. 24i

(·) Eph. V-a6; Rom. VI-3, etc.

nostrae sanctificationis instrumenta, Et ideo iure ne gatur consequens et consequentia.

Scilicet aliud est quaerere in quo formaliter sita sit causalitas sacramentorum, aliud vero quaerere rationem propter quam a Deo acceperunt vim et efficaciam causandi: hic enim latet non satis cavenda aequivocatio. Sicut si de instrumentis artium loquens dicerem illa ideo cooperari ad effectum artis, quia manubria habent quibus nata sunt ab artifice moveri: profecto in hoc non assignarem ipsam formalem rationem actionis instrumentalis, sed solum id quod in causa est cur dicta instrumenta continuari possunt cum principali agente a quo actio et virtus derivat. Simili igitur quodam modo ratiocinandum in praesenti. Nam cum dicuntur sacramenta N. L. causare gratiam eo quod sunt a Christo per suos ministros, vel quia dignificantur meritis passionis eius, duplex omnino sensus esse potest. — Primo quidem potest sensus esse, quod merita Christi sunt ratio cur acquisita est sacramentis instrumentalis virtus ad sanctificandum ; itemque, quod hanc virtutem sacramenta non haberent nisi fuissent a Christo ipso instituta, et ab eo per suos ministros dispensarentur, quia per hoc continuantur cum instrumento coniuncto. mediante quo. omnia instrumenta separata moveri a Deo debent, ut explicabitur infra. Et hic sensus est verus et necessario tenendus, et in proximo corollario propugnandus secundum manifestam Scripturarum et Patrum doctrinam. — Sed potest esse alius sensus, quasi scilicet causalitas sacramentorum respectu gratiae *formaliter* explicaretur per hoc ipsum quod sunt moraliter a Christo, aut quod eius sanguine rubent, aut si quid aliud eiusmodi. Et hic sensus gratuito supponitur ab adversariis; nullo enim firmatur argumento. imo habet contra se omnes rationes superius expositas. Non ergo sequitur ex dictis Patrum, quod sacramenta causant moraliter per modum valoris oblati cuius intuitu aliquid confertur, sed sequitur solum quod virtus *efficiens* qua instrumentaliter agunt, dependet tum a meritis crucis, tum a relatione qua ad Christum ut ad suum institutorem et principalem ministrum referuntur.

Obiicitur secundo·. *Sacramenta N.L.. vel moraliter gratiam causant, vel physice. Atqui physice nequaquam causare possunt,*

« quia nulhtni agens potest agere in distans, saepe autem con-
« tingit, sacramenta distare localiter a subiecto in quo produci
«debet gratia... (Item), *quia vel sacramenta habent ex se vir-*
tu lutem ad producendam gratiam, et sic non indigebunt eleva-
ti tione Dei, vel illam non habent, et sic oportebit illis addere
« novam virtutem ut possint gratiam producere. Haec autem vir-
«tus, vel erit qualitas spiritualis, vel materialis; spiritualis esse
« non potest, cum recipi debeat in subiecto corporeo, sed nec ma-
« terialis. quia non posset continere effectum spiritualem et per-
« feclissimum, qualis est gratia... (Item), *quia repugnat divini-*
« tus intellectum nostrum elevari ad volendum, aut voluntatem
« ad inlelligcndum, vel oculum ad audiendum, etc. ; ergo non
« potest quodlibet elevari ad quodlibet, atque adeo nec aqua po-
« terit elevari ad producendam gratiam... (Item), *quia gratia pro-*
« ducitur in instanti ultimo in quo iam non est sacramentum,
» quod cum sil ens successivum, scilicet prolatio verborum vel
« motus localis ablutionis, etc., debet desinere per primum non
** esse ; ergo non potest produci physice gratia a sacramento. P)*
Restat igitur ut sacramenta causent moraliter.

Respondeo: *Dist. mai.* Necesse est ut sacramenta causent vel physice vel moraliter, si per hoc quod dicis *moraliter,* intendis omnem modum qui physicus non est, *conc. mai.* Si determinate intendis modum hactenus declaratum, et ab adversariis in praesenti propugnatum, *subdist.* Hoc necesse esset, si sacramentorum causalitas proxime atque omnino immediate se extenderet ad gratiam, *transeat.* Alias, *neg.* Minorem vero transmitto, simul cum argumentis quibus demonstrare contendunt absolutam impossibilitatem physicae illius causalitatis quam defendit Caietanus, et nego consequentiam.

Sane vero disiunctio adversariorum nemini adaequata videbitur, nisi quis forte assumat instar principii evidentis id quod plerique moderni praesupponunt: nihil scilicet mediare inter sacramentum exterius et gratiae effectum. Sin autem gratuita haec sup-

P) Ita plerique patroni causalitatis moralis citati a l.ugone, Disp. 4, Sect. 4. η· I0'45·

positio removeatur, statim occurrit ut possibilis aliqualis causandi modus de genere *causae efficientis disponentis,* qui nec ad unum nec ad alterum disiunctionis membrum pertineat, quique paulo infra exponendus reservatur.

Obiicitur tertio: *Non est nisi unus modus causandi in unoquoque sacramento: non enim fingi potest quod sacramentum sic causal in aliquo casu, et sic in altero. Sed sacramenta, quando reviviscunt, non' possunt causare nisi moralitcr. Ergo semper hoc modo causant.*

Respondeo: *Cone, mai.,* et *nego min.* Ratio autem negationis iam aliqualiter perspicitur ex dictis in propositione praecedenti, et melius apparebit ex nunc declarandis.

Certe argumenta hactenus exposita satis efficaciter suadere videntur, sacramenta N. L. nequaquam esse recensenda inter causas quae influunt per modum obiecti, cuius intuitu aliquid fit, sed magis reducenda esse ad causam efficientem, cuius est inducere formam aliqua operatione vel formaliter vel virtualiter transeunte. Quod si insuper ratio habeatur praemissorum in Thesi VI, illud quoque asserere licebit, sacramenta nempe efficacitate sua ponere in anima dispositionem seu titulum qui gratiae inducendae ratio exsistat, omnia intelligendo iuxta declarationes iam saepius in superioribus factas. At vero nondum sequitur, nihil aliud per ea praestari, quia si aliqua causa inducit dispositionem ad formam, non est legitima conclusio, ergo ad formam ipsam immediate non pertingit. Otrumque enim posset ei convenire, tametsi ordine quodam prioritatis et posterioritatis naturae ex parte effectuum, ut per se notum videtur.

Itaque scopus praesentis capituli est demonstrare veritatem sententiae quam veteres docuerunt, asserentes sacramenta non esse ullatenus causas gratiae instrumentante!· perfective, sed *so-/um mliumentaliler disposUive.* Porro, ad huius demonstrationis

intentum ·H " viae possent excogitari. Una a priori sic . Omnino repugnat ut res corporalis assumatur in instrumentum productionis j itiae, ita quod ad ipsam gratiae substantiam eius actio se porrigat. Altera a posteriori sic : Quidquid sit de possibilitate ipsa, de facto tamen, eiusmodi causalitas non fuit a Deo sacramentis indita. Et nos quidem hanc solam posteriorem viam eligimus, adhuc praescindentes ab absoluta repugnantia sententiae adversariorum, sive explicetur eo modo quem Caietanus posuit, sive illo alio quem Suarez adinvenit Neque enim nunc necesse est philosophicam attingere controversiam, quae in omni modo nonnisi indirectas suppeditaret rationes ; sed satius erit ex propriis argumentari, id est ex principiis theologicis quae apud omnes in confesso esse debent.

Primum ergo argumentum sumitur ex hoc quod doctrina fidei suppeditat, videlicet sacramenta posse esse et saepe de facto esse valida, effectu tamen gratiae non secuto. Unde sic : Sacramentum validum est *signum practicum undequaque verum.* Sed signum practicum undequaque verum non est nisi illud quod ponit et causât de facto omne id quod ut practicum significat, cum haec sit propria signi practici ratio, ut non praesupponat, sed faciat suam veritatem, id est suam conformitatem cum re significata. Ergo revera omne validum sacramentum de facto ponit id omne quod practice significat, et si illud de facto non poneret, eo ipso tolleretur validitas, quia tolleretur et veritas. Contingit autem ut quis valide baptizetur, quin de facto ei unquam conferatur gratia, sicut ponit exemplum Augustinus de Simone Mago, Act. VIII. Ergo practica significatio et virtus effectiva sacramenti non pertingit ad gratiam ut in se, sed solum ad gratiam ut in dispositione exigente. Quod est, sacramentum esse causam gratiae, non perficientem, sed disponentem tantum, eo pacto quo homo generans est causa hominis geniti ?. —

Contra huc argumentum arguit aliquis sic: De quonam sacramento hic sermo est ? An de formato, an de informi ? Si de formato, tunc vera est maior. Si de informi, falsa.

Respondeo : Sermo est de sacramento valido, quod semper eodem

Et hac omnino redit ratio desumpta ‹ \ l i identino Sess - can. 6, ubi asseritur sacramenta N. !.. sempi continere gratiam, tametsi non semper illam conferant, sed solum quando obex non ponitur. Considerandum enim quod causa instrumentalis ad quam per ipsum Tridentinum revocantur sacramenta, non potest continere effectum quin actu illum ponat. Nam cum instrumentum non habeat virtutem sibi propriam effectui proportionatam, quamdiu in eo non fluxit virtus a principali agente, nullo modo continet effectum, Sed statim ac in eo Huit virtus principalis agentis, cum virtus ista non sit per modum actus primi, sed omnino per modum motus in actu secundo, id est per modum actualis influxus ipsiusmet effectus, oportet ut instrumentum non modo contineat, verum etiam actu effundat effectum, ac per hoc, idem est in instrumento continentia effectus et actualis productio eius. Ergo ex hoc ipso quod l ridentinum docet sacramenta valida semper continere gratiam, et non sem-

inudo validum est, eodemque modo verum, sixe sit obex impediens gratiam, sive non sit. Et hic nota quod locutiones istae, *sacramentum, formatum, sacramentum informe,* quae nusquam occurrunt apud veteres theologos, nullum legitimum sensum habent, aut habere possunt, *si ad rigorem litterae accipiantur.* Neque enim gratia est forma seu perfectio sacramenti, ut formatum vel informe sacramentum dicas, prout effectum gratiae de facto habet vel non habet. Sed sacramentum, aut nullo modo est, aut si est, est undequaque in se perfectum, non magis validum magisve verum in uno casu, minus validum minusve verum in altero. Alias, aliquis prae alio esset magis baptizatus aut magis ordinatus : quo nihil absurdius dici potest. Oportet igitur ut semper sit eadem adaequalio inter sacramentum practice significans, et rem significatam quam de facto ponit et ponere debet, ne sua veritate careat. Hoc autem est evidenter impossibile in sensu eorum qui dicunt sacramenta significare gratiam immediate in se et secundum se. Sed difficultatem non habet in sententia quam praesens thesis tuetur, in qua sacramenta non significant gratiam nisi ut in dispositione *ile se* eius exigitiva *de se,* inquam, hoc est, modo ex parte suscipientis impedimentum non apponatur. Huiusmodi enim dispositionem quae alio nomine *res et sacramentum* dicitur, sacramentum validum semper confert, ac per hoc suam veritatem semper habet, etiamsi gratia propter obicem a suscipiente positum de facto non conferatur.

per illam ·I tn conferre, necesse est ut intelligat gratiam contineri in sacramentis, non immediate secundum se, sed in dispositione qua' it gratiae exigitiva quantum est ex parte ipsius, id est, nisi impletio exigentiae per obicem impediatur.

Alitui quoque argumentum est, quia sacramenta licte suscepta quae postea remoto obice reviviscunt, profecto ari ipsam gratiae substantiam actione sua non pertingunt : quomodo enim agerent, quando amplius iam non sunt? In his ergo rerum adiunctis, influxus sacramenti in gratiam totus est in inductione praevia illius dispositionis quam vocamus *rem et sacramentum,* et non est excogitabilis alia causandi ratio praeter eam quae definitur *instrumentaliter dispositive.* Atqui in casu reviviscentiae gratia tam vere tamque proprie effectus sacramenti est. ac si vel a primo instanti fuisset inducta ; nam certe adultus qui ad baptismum fictus accessit, et postea fictionem suam deponit divini ope auxilii, non minus dici debet *renatus ex aqua et Spiritu Sancto,* ac infans unius diei qui impedire non potuit quominus statim baptismatis beneficio adoptionem filiorum Dei reciperet. Nunc autem, si causalitas instrumentalis mere dispositiva in casu reviviscentiae satis est ad salvanda Scripturae et Sanctorum dicta quibus baptismus N. L. vera gratiae causa ex opere operato asseveratur, satis etiam est in quocumque casu. Nihil igitur ex divinis litteris, nihil ex traditione Patrumque auctoritate rite afferri potest unde oporteat nos ampliorem quemdam causalitatis modum affirmare ; *et* quia in his quae naturam superant, non est aliquid audendum ultra id quod requirunt auctoritates, sequitur reficiendam esse vel solo hoc nomine sententiam Caietani, qua sacramenta dicuntur actione sua ad ipsam gratiae substantiam sese immediate porrigere.

Accedit et ratio adhuc efficacior quia absonum prorsus foret duos diversos adstruere causandi modos in uno eodemque sacramento; non enim sacramentorum causalitas in casu reviviscentiae, specialis causalitas est de qua specialis facta sit revelatio. Certe non poterit unquam peculiare quoddam afferri testimonium Scripturae, aut peculiaris traditio. Sed illud quod recentiores *reviviscentium* vocaverunt, nihil aliud est quam con-

chisio theologica a sanctis Doctoribus (1<«1ικ.ι,ι ex modo quo semper sacramenta causant. Putasne Augustmum qui in suis libris contra Donatistas principalis est auctor theologiae sacramentorum, specialibus inniti documentis ubi «locet baptismum in haeresi acceptum, tunc solum incipere ad salutem prodesse cum homo orthodoxam fidem amplectitur ? Minime gentium, sed generalis ei occurrebat difficultas, aut potius quaestio: Baptismus nunquam potest repeti, aliunde vero impossibile est ut fictus consequatur justificationis gratiam ; quid igitur de his qui absque debitis dispositionibus baptisma receperunt, et postea convertuntur? Considerans itaque Augustinus proprium modum quo gratia a sacramento pendet, vidit gratiam sacramentalem indifferenter induci, sive statim sive postea, ad primam dispositionum praesentiam. Quippe, sacramenti causalitas immediate non respicit nisi *rem et sacramentum*, scilicet characterem ; character autem nulla fictione potest impediri, nulla ratione deleri; denique semper exigit atque appellat baptismalem gratiam a Deo infundendam, modo obex prohibens non adsit C1). — Restat nunc, ut praecipuis adversariorum instantiis fiat satis.

Obiiciunt enim primo : *Concilium Tridentinum, Sess.* 7, *can. 6, definivit sacramenta N. L. continere gratiam quam significant, ct gratiam ipsam non ponentibus obicem conferre. Ergo*

<> Vim huius argumenti quidam elevare conantur dicendo quod reviviscentia est per accidens, et quod ubi investigantur propriae rationes rerum, oportet considerare id quod est per se, et praescindere ab eo quod est per accidens. — At vehementer negandum est revivi-scendam esse per accidens, et occurrit observatio similis ei quae facta est cum sermo esset de sacramentis vivorum in ordine ad collationem gratiae primae, hiem enim est ac si diceres quod quando sacramentum ftete susceptum, remoto obice, consequitur effectum gratiae, hoc est praeter naturam sacramenti. et praeter vim quam ex institutione sua accepit a Christo. Quo nihil magis absonum cogitari potest. Igitur per accidens ibi est, et praeter institutionem Christi, quod quis fictus accedat ad sacramentum. Sed quod fictione supposita et postea remota sacramentum reviviscat ex principiis diversis ab iis quae sibi sunt in institutione iudrta, ne in cogitationem quidem venire potest.

immediatus effectus sacramentorum est gratia ipsa, et non tantum aliquid distinctum ab ea.

Respondeo: Sacramenta dicuntur continere gratiam eo modo quo causa instrumentalis dici potest continere effectum suum f1), sive sit causa instrumentaliter perficiens, sive instrumentaliter disponens tantum, ut supra. Quare, ex hoc solo quod gratia est vere effectus sacramentorum, vere dicitur contineri in sacramentis, et non refert an sit effectus proxime inductus per sacramentum. an solum ultimus et mediatus. — Quod autem in secundo inciso dicat Concilium, gratiam *ipsam* non ponentibus obicem conferri, immerito prorsus supponitur, vocabulum *ipsam* ad hoc fuisse adiectum, ut signaretur gratia tanquam effectus ad quem virtus sacramenti immediate se porrigit. Nam e contra, satis apparet pronomen ideo additum, quia de gratia iam dictum erat in inciso praecedenti, et de hac eadem, seu de hac ipsa procedit etiam assertio subsequens. — Ceterum, definitionem Tridentinam confirmare potius expositionem nostram, iam dictum est satis.

Urgent secundo: *Ex dictis, sacramenta non conferunt nisi dispositionem ad gratiam. Ergo non sunt causa gratiae ipsius, quod tamen necesse est, ut salventur dicta Concilii et Sanctorum.*

Respondeo: *Dist. antec.* Non conferunt nisi dispositionem quae sit de genere removentis prohibens, *neg. antec.* Quae sit titulus aliquis *per se* necessario connexus cum gratia, eamque infallibiliter appellans, modo homo impedimentum non ponat. *cone, antec.* Unde et negatur consequentia, vel distinguitur sic:

f) « Multipliciter aliquid dicitur esse in alio, inter quos duplici « modo gratia est in sacramentis; uno modo sicut in signo, nam sacra« mentum est signum gratiae; alio modo sicut in causa, nam sacramentum N. !.. est instrumentalis gratiae causa. Unde gratia est in sacra« mentis N. L., non quidem secundum similitudinem speciei, sicut «effectus est in causa univoca; neque etiam secundum aliquam for« main propriam et permanentem et proportionatam ad talem effectum, «sicut sunt effectus in causis non univocis; sed secundum quamdam « instrumentaient virtutem, quae est fluens et incompleta in esse natu« rae, ut infra dicetur». S. *Thom. hic.* art 3. in corp.

Sacramentum non est causa ipsius gratiae p,-t iiciens *cone* No il est causa, «sicut homo est causa hominis, ci, nendo» (›), *neg.* – Vide supra (·), divisionem causae efficientis in perficientem et disponentem.

Instant tertio : *Homo generans, ex hoc q)it·d in materia induc-it dispositiones exigentes infusionem animae rationalis, potest quidem dici, et recte dicitur causa filii geniti, nusquam tamen dicetur causa animae. Ergo a pari, esto quod in modo nunc assignato, sacramentum sit causa hominis grati, non tamen dici poterit causa ipsius gratiae.*

Verum, ad hanc instantiam responsio in promptu est. Nam omittendo interim quod ne ipse quidem Deus dici debeat in rigore terminorum causa gratiae, eo quod gratia, cum sit accidens, proprie non fit, sed fit homo secundum eam (3), aperta disparitas est inter animam et gratiam. Anima enim rationalis est substantia, habens proprium esse independens a corpore ; unde, qui solum est causa quod anima infundatur in corpus, nondum dici potest causa cur simpliciter sit. Sed gratia est accidens; accidentis autem esse est inesse, iuxta tritum axioma, et ideo illud quod est causa quod gratia insit, est etiam causa quod sit. Bene ergo sequitur, sacramentum esse instrumentale™ causam gratiae, pro quanto dici potest accidens fieri et habere causam.

Obiiciunt quarto : *Iste modus dicendi reducitur tandem ali·*

(') Paludanus, cit, supra.

ff Prolegom. \ i, n. i.

(·) · Dicendum quod, sicut, dicit Boetius, accidentis esse est inesse. « l. nde omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat, sed «quia eo aliquid est : unde et magis dicitur entis quam ens .. Et quia «eius est fieri vel corrumpi, cuius est esse, ideo proprie loquendo nullum « accidens neque fit, neque corrumpitur ; sed dicitur fieri vel corrumpi, «secundum quod sublectum incipit vel desinit esse in actu secundum «illud accidens. Et secundum hoc etiam gratia dicitur creari ex eo «quod homines secundum ipsam creantur, id est, in novo esse consti- « tuuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud Eph II m- « Cr^a/i *in Chruto lesu in operibus bonis».* S Thom 1« m art. *e,* ad 3«“. ' 1 · Φ no,

quando ad sc itentiam praecedenler exclusam de. causalitate morali. Explicat enim causalilatem sacramenti per hoc quod sacramentum inducit dispositionem quae moveat Deum ad conferendum gratiam. Quod autem Deus dicatur moveri per dispositionem inductam a sacramento, vel per sacramentum ipsum, ad idem redit.

Respondeo negando omnia et singula quae hic affirmantur. In primis non est verum quod idem sit si dicas Deum moveri per dispositionem inductam a sacramento, vel per sacramentum ipsum, quia si hoc alterum dicis, aufertur a sacramento omnis ratio causae efficientis. Re enim vera sacramentum nihil efficienter causât, nec in subiecto suscipiente ut in terminis asseritur, nec in Deo in quo nihil potest effici. At si diceres Deum moveri a dispositione inducta per sacramentum, salvaretur saltem quaedam efficiens causalitas sacramenti, quod in tantum influeret in quantum efficeret id per quod Deus moveretur. — Absit tamen ut dicamus Deum moveri per dispositionem illam, cuius causalitas tota est in ordine causae materialis, in quantum scilicet constituit subiectum cui est debita gratia, eodem modo ac dispositiones inductae ab homine generante constituunt subiectum cui debita est animae rationalis infusio.

Obiiciunt quinto: *De hac ipsa dispositione ad gratiam ambigitur, quia vel est dispositio ultima, vel non ultima. Si non ultima, sacramentum efficiendo eam, non ideo erit causa gratiae. Si ultima, nunquam esse poterit sine gratia in actu, quia semfer dispositio ultima est simul cum forma.*

Respondeo eligendo primum membrum cum distinctione. Est ultima in ratione dispositionis exigentis formam, *conc.* In ratione dispositionis removentis etiam obicem ad eam. *neg.* Et contradistinguo consequentiam: Si esset ultima tam in genere dispositionis appellantis formam, quam in genere removentis obicem ad eam, nunquam esse posset sine gratia in actu, *conc.* Alias, *neg.* — Ad rationem additam, quod semper dispositio ultima est simul cum forma, dico hoc verum esse quando sermo est de dispositione quae utramque rationem dispositionis includit, minime vero, si dispositio appellans habeat coniunctum obicem

qui non removetur. Et sunt quaedam dis,›...itiones quae secum necessario afferunt remotionem omnis ob„ quaedam vero non sicut patet ex. gr. in iuribus. Nam ius ad aliquid est dispositio ultima ad illud, et potest esse simul cum obice qui opponitur, non iuri ipsi, sed ei quod consequenter se habet, id est impletioni iuris. et sic etiam est in sacramentis. Hoc ergo sensu dicimus rem et sacramentum exigere gratiam, quantum in se est.

Obiiciunt sexto: *Si potest esse vera exigentia gratiae, licet gratia propter obicem de facto non ponatur, cur pari ture non posset esse validum sacramentum, etiam quando propter similem causam non ponitur actu id quod significatur per sacramentum exterius? Non ergo valet ratio superius deducta ex hoc quod contingit sacramenta valide confici, effectu gratiae non secuto.*

Respondeo negando paritatem, quia validitas sacramenti exterioris convertitur cum *veritate signi practici,* quae veritas stat in adaequatione actu effecta inter signum et significatum, ut explicatum est supra. At vero dispositio quae est res et sacramentum, non habet rationem signi practici, sed exigentiae gratiae, et haec ratio semper salvatur, etsi actualis impletio exigentiae absit propter obicem persistentem.

Obiiciunt septimo: *Sacramenta N. L·. stint causae instrumentales gratiae, etiam physice, nam* S. Leo *Serm. 5 de Nativ., dicit * Virtus Altissimi, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit ut regeneraret unda credentem».* Chrysostomus *Horn. 25 in Ioan.: « Quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua·».* Nyssenus. *Orat, de bapt. comparat aquam baptismi, semini ex quo generatur homo, et* CVRILLUS Alex., */. 2 in loan., c. 41, aquae ferventi quae calefacta ab igne, non aliter quam ignis, urit. Istae autem comparationes physicam exprimunt causalitatem. — Item* Tertullianus *l. de bapt. c. 4, dicit aquas baptismi vim sanctificandi combibere.* S. AUGUSTINUS, *Serm. de Epiph., hanc vim esse rore subtiliorem. Haec autem dc irtute physica tantum verificari possunt. — Item* Nyssenus *in Oral. A., dial virtutem el efficaciam bapiismi esse incompre/,ensi. Mem. nullague ratieme vel arte explorari posee;* August.,»vS *l. 19 c. Faustum, esse inenarrabilem, et ideo*

• » *fact. yo in Ioan.,* t

stupens et mirans exclamat: « Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat? At, si non foret virtus physica, non esset incomprehensibilis et inenarrabilis, neque locus foret admirationi et exclamationi Ita Billuart, *Summa Summae S. Thom., 3 part., de Sacr. Dissert. 2, art. 2.*

Respondeo primo, frustra omnino ex his similibusque locutionibus Patrum trahi argumentum sive pro sive contra in quaestione praesenti, quia, ut cuilibet consideranti facile patebit, nihil aliud volunt Doctores Sancti, nisi quod sacramenta nostra vere conferant gratiam, idque non ex seipsis, sed ex sola virtute Dei, praeter et supra omnem naturae ordinem operantis; tum doctrinam hanc, in qua omnes pariter consentimus, exemplis illustrant, oratorio modo evolvunt, encomiis magnificant. Sed comparationibus et metaphoricis locutionibus serviliter inhaerenti recte reponeres : littera occidit. Alioquin si ita superstitiose ac veluti iudaice Patres interpretari velimus, oportebit et physicam virtutem attribuere passioni et sanguini Christi, quia scriptum est: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato ;* oportebit et Eutychianum dogma amplecti, quia in Symbolo legimus: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

Respondeo secundo, argumentum non esse hic omnino ad rem, quia nondum fuit directe exclusus physicus causandi modus, cui causalitas dispositiva hactenus propugnata *per se* non contradicit. Adhuc enim intelligi posset, sacramentum non causare nisi dispositive, et tamen esse physicam causam gratiae eo modo quo in generatione humana semen est physica causa hominis geniti ; nec defuerunt theologi quibus haec sententia placuit. *Unde* superest nunc declarandum, quid circa hoc ultimum probabilius videatur.

S 3-

Versatur itaque postrema haec inquisitio circa instrumentalem illam virtutem, per quam sacramenta operantur id quod est titulus exigens atque appellans gratiam Opinamur autem, virtu-

tem hanc non esse physicam, sed potiu· intentionalem, adaequatum sui principium habens in institutione Christi legislatoris Novi Testamenti 0).

Ante omnia posset esse ratio a prion, ex repugnantiis inventis in virtute instrumentait physica, tam in ordine ad productionem gratiae ipsius, quam in ordine ad productionem intermediae dispositionis. — Quaeritur in primis cuiusmodi esset ista physica virtus, an spiritualis, an corporea Si corporea, quid potest influere in rem spiritualem ? Si spiritualis, quomodo potest subiectariin instrumento corporeo et materiali? Nec valet si dicas quod est incompletum et diminutum quid. Sit completum, sit incompletum, semper erit in genere entis physici spiritualis, cui ex toto genere suo repugnat ut sit dependens a materia. — Sed hoc pratermisso, quaeritur secundo quodnam sit subiectum praecisum ac determinatum huius virtutis. Dices, sacramentum. Bene. Sed sacramentum *physice* consideratum, non est unum, sed multa. Constat enim elementis quae in sue esse physico non solum sunt distincta, sed nequidem coeunt in unum : quippe sacramentum est unum quid, si formaliter accipiatur ut signum, ac per hoc, in ordine intentionali, minime vero si physica eius entitas consideretur (2). Unde cum quaeritur de sacramento in ratione physici subiecti physicae virtutis, non oportet uti his nominibus *materia* et *forma,* quae faciunt ibi fucum : quasi scilicet, sicut res naturalis vere est causa activa, licet sola forma sit activitatis principium, sic etiam totum sacramentum esset causativum spiritualis effectus, licet sola sacramentalis forma virtutem reciperet ad causandum. Ideo enim res naturalis vere est causa activa, quia ibi forma non est aliquid in se seorsum subsistens, neque etiam materia, sed subsistens non est nisi compositum ex utroque, et in hoc subsistente vere per se uno, activitas est ratione formae. At in sacramentis nihil tale invenitur, quia sacramentum physice sumptum nihil aliud est quam aggregatum duorum elementorum

V) Vide supra, Proleg. 1, n. 2, differentiam inter virtutem ordinis physici, et virtutem ordinis intentionalis.

‹) S. Thom. supra, q. 60, a. 6 ad 2um.

a se invicem penitus independentium et nullo nexu entitativo colligatorum. Et ideo, ad hoc ut sacramentum ipsum sit physice causativum, non sufficit ut causativa virtus sit in uno solo ex duobus elementis quibus constat, sed oportet plane ut sit in utroque simul. Mune autem, si physica illa instrumentalis virtus sublectatur in utroque elemento (tum in re tum in verbo), sequitur evidenter quod erunt duae virtutes realiter inter se distinctae; distinctae, inquam, non specifice, cum ambae sint ad unurn simplicissimum terminum producendum a quo speciem sortiuntur, sed solo numero. Si autem solo numero, oportebit dimidiam effectus partem singulae cuique adscribere. In quo quidem non est nisi cumulus contradictionum. — Sed rursus, admisso quod physica virtus instrumentalis sit in sola forma, aut melius in solo verbo et quod hoc sufficiat ad salvandum causalitatem ipsius sacramenti, eritne haec virtus in tota enuntiatione verbali, vel in aliqua indivisibili eius parte tantum? Si in tota enuntiatione verbali, statim sequitur quod spiritualis effectus paulatim educetur in actum, sicut cum aqua paulatim calefit, quo nihil absurdius cogitari potest. Si autem in indivisibili parte tantum, hoc est in ultimo terminativo, sequitur quod hoc indivisibile tantum, causa erit effectus sacramentalis. Non enim dici potest quod causabit in virtute antecedentium, quia virtus antecedentium certo certius non se extendit ad hoc quod *physica* virtus descendat a Deo in ultimam syllabam verborum formae. — Porro haec omnia inconvenientia nequaquam inveniuntur si loco virtutis physicae ponas virtutem intentionalem quae est eiusdem generis cum virtute significativa, imo nihil aliud quam quaedam eius ampliatio. Nam primo intelligetur quomodo virtus intentionalis possit esse in sensibilibus elementis quae adhibentur in signa, hoc enim in propatulo est, et in usu quotidiano. Intelligitur deinde quomodo possit esse in toto sacramento prout constante re et verbo, quae tunc et tunc tantum vere accipiuntur ut coeuntia in unum, secundum analogiam materiae et formae. Intelligitur denique quomodo possit esse in toto sacramento secundum quod per successionem temporis, et non in uno indivisibili instanti perficitur. Nam licet significatio practica non exserat vim suam nisi in ultimo terminativo formae verbalis, vere

tamen exserit illam in virtute omnium am. -lentium, quae sicut influunt in significationem nunc primo terminatam, ita et eodem modo influunt in significationem qua practn ,mi et efficacem. Sed iam, post rationem a priori, veniendum est ad argumenta proprie theologica.

Et primum argumentum sumi potest ex decreto pro Armenis, in quo dicitur sacramenta tribus perfici, rebus, verbis, et intentione ministri faciendi quod facit Ecclesia. Ad hoc enim ut cum omni verborum proprietate dicantur sacramenta perfici tribus praedictis, necesse est ut virtus efficax quae in omnibus veris ac validis sacramentis requiritur, et sine qua nec vera nec valida esse possunt, sit virtus quam ponit et sectim affert intentio ministri. Eiusmodi autem virtus non est virtus physica, sed pure intentionalis, in institutione qua tali suam originem habens, quia intentio suapte vi id solum efficere potest, ut scilicet opus operatum substet institutioni Christi, et sit illud ipsum quod Christus per suos ministros fieri mandavit.

Aliud quoque argumentum sit, quia sacramenta sunt in genere signi. Id testatur definitio vel quasi definitio apud omnes recepta. Id etiam manifeste deducitur ex documentis ecclesiasticis quae ut regula habentur in theologia : puta cum edocemur sacramenta constare rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma. Cum enim unum et ens convertantur, unumquodque in eo genere entis reponitur, in quo unum sunt essentialia eius constitutiva. Sed nonnisi in ratione signi unum quid efficiunt res et verba quibus sacramenta constant. Ergo sacramenta revera sunt sub genere signi, ac per hoc, necesse est ut virtus eorum causativa sit virtus intentionalis, ad quam pertinet delatio et investitura ordinationum rationis; nam signa qua signa, nullam aliam in se recipiunt aut recipere possunt.

Ultimo demum argumentari licet ex hoc quod sacramenta non sunt, ut fert calumnia Protestandum et modernorum protestantizantium, magica instrumenta. Magicum autem instrumentum dico illud quod apparenter tantum, et non vere assumitur in operi> effectionem. Sicut quando praestidigitator occulta arte aliquid mirum facit, adhibendo contactum virgae, vel quando divini seu

sortilegi ritus suos peragunt in ordine ad portenta quae de diaboli virtut· xspectantur. Cui similitudini inhaerentes veteres et novi haenii l. vim magicam in sacramentis nostris irridenti1!, cum eis videatur impossibile quod sacramenta sint *vere* sanctificationis instrumenta, *aliquid de suo ad effectum illum conferendo.* Porro haec illorum calumnia in sola positione virtutis intentionalis plene refellitur, quia si physicum quid imaginaberis, iam significatio se tenens ex parte eius quod sacramentum affert de suo, non plus revera connexionis cum causalitate habebit, quam contactus virgae magicae cum efficientia effectus occulti. Si autem bene teneas quod virtus sacramentorum illa est quam patitur natura signorum, intelliges quomodo sub Deo principali agente, vere et non existimate tantum, influere possint intentionale illud quod est dispositio exigitiva gratiae : quatenus ipsa vis significativa quae ex propriis pertingit ad solam significationem, ulterius elevatur ad effectivam eiusdem significationis applicationem ac veluti investituram. Sed haec maiorem forsitan lucem accipient ex responsionibus ad argumenta adversariorum.

Dices igitur primo : *Sacramenta transcendunt rationem signi; sed modus assignatus non transcendit rationem signi; ergo reiiciendus.*

Respondeo : *Dist. mai.* Sacramenta transcendunt rationem signi, quatenus non solum significant, sed etiam vere causanc, gratiam quam significant, *conc. mai.* Quatenus eorum causandi modus transcendit modum causalitatis qui signis in quantum huiusmodi communicari potest, *neg. mai. Contradist. min.* et *nego consequentiam.* Sane vero, aliud est negare sacramentalibus signis rationem causae, aliud vero est removere ab eis eam causae rationem, cuius signa qua talia, capacia non sunt. Porro signa qua talia non possunt fieri physica instrumenta, cum propria eorum(*)

(*) « Ces symboles (sacramentels; ne portent pas la moindre atteinte «à la Majesté divine, s'il est bien entendu que leur efficacité n'a rien «de magique, et si, au lieu de s'interposer entre Dieu et Γ homne, ils « ne font que rappeler *h* celui-ci la présence perpétuellement bienfaisante «de son Créateur». Loisy, l'Ev. et l'Eg., p. 220.

o|>eratio. non in ordine physico, set! in (>ntentionali consideretur.

Dices secundo: *Signa qua talia nequv-/ ad hoc elevari possunt ul causae exsistant, quia significa/v est relatio, et relatio nec est nec potest unquam ex quacumque elevatione fieri operative.*

Respondeo: *Neg. assumptum,* cuius falsitas evidenter appareret in contractibus, institutionibus, aliisque huiusmodi innumeris, in quibus, mediantibus signis, iura creantur, conferuntur jurisdictiones, inducuntur obligationes, etc. Ad rationem vero additam dico significationem esse relationem, si significatio sumatur pro connexione quae est inter signum et rem signatam qua talem, *conc.* Si significatio sumatur pro fundamento illius connexionis, *neg.* Sic enim significatio est quaedam virtus spiritualis sive intentionalis ad notificandum, et quando practica efficitur, tunc est virtus instrumentalis, non tantum ad notificandum, sed et ad imponendum conceptum ordinem rationis imperantis, ut supra in prolegomeno fuit declaratum.

Dices tertio: *Illud quod in Baptismo, Confirmatione, et Ordine, titulus est ad gratiam, est physica qualitas, nempe character. Sed ad physicam qualitatem non sufficit virtus mere intentionalis. Ergo, esto quod in Matrimonio, Poenitentia, et Extrema Unctione, instrumentalis virtus sit ordinis intentionalis, non tamen in iis sacramentis quibus character imprimitur.*

Respondeo: *Disl. mai.* Illud quod in Baptismo, Confirmatione et Ordine, titulus est ad gratiam, est character, praecise et formaliter in quantum character physicam qualitatem audit, *neg. mai.* Est character in quantum dicit aliquid intentionale, videlicet certam deputationem hominis ad functiones cultus Dei in religione christiana, *conc. mai.* Transmitto minorem, et nego consequentiam. Haec ut melius intelligas, attende exemplum a S. Thoma, in quaestione sequenti, art. r in corpore propositum: «Quicumque, inquit, ad aliquid certum deputatur, consuevit ad « illud consignari, sicut milites qui adscribebantur ad militiam , antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insi- * gniri, eo quod deputabantur ad aliquod corporale». Et certo

quidem on potentia illa quam miles accipit cum miles efficitur, non ! t ei posse physice, sed solum posse legaliter pugnare. ut ilicet occidens hostem non habeatur pro latrone, ut pote qui per auctoritatem publicam bellator sit institutus ; quare, potentiam hanc esse ordinis intentionalis seu moralis, evidentius est quam ut demonstratione indigeat. Nihilominus adiungitur aliquid exterius et physicum scilicet nota corporalis aut specialis quidam ac distinctivus habitus, ad hoc ut deputatio publicae auctoritatis cuius miles est minister et instrumentum, perspicue appareat ; alias, cadens in manu hostium iuste puniretur ut latro, et non protegeretur legibus quas inter belligerantes ius gentium introduxit. Hoc exemplum transfer in spiritualibus, et cum proportione ratiocinare. Nam sicut in humanis deputatio ad militiam trahit secutn exteriora insignia per quae homo exterius notatur ut instrumentum publicae potestatis, ita in spiritualibus deputatio ad cultum Christianum et ad varia eius officia, annexam habet physicam qualitatem qua quis interius signatur ut instrumentum Christi; Christi, inquam, summi hierarchae tabernaculi veri quod fixit Dominus et non homo. Nunc autem, id quod gratiam exigit et appellat, non est praecise physica obsignatio in quantum huiusmodi, sed officium quod suscipitur. Cutis rei signum evidens est quod absolute loquendo, deputatio ad officia religionis Christianae potuisset esse absque physici characteris impressione, et tamen eodem semper modo gratiam appellasset, quia ea est Christiana religio quae sine gratia debito modo omnino nequeat exerceri; unde quisquis adeam quocumque modo mancipatur, hoc ipso titulum accipit de se exigitivum gratiae. Patet igitur quod virtus intentionalis est sufficiens ad causandum id quod in charactere formaliter consideratur ut titulus ad gratiae infusionem, et ideo, non aliter in praesenti sentiendum est de sacramentis imprimentibus characterem, ac de aliis supra memoratis fl).

(') Caelerum si quaeras quomodo sacramentum causet ph\sicam obsignationem characteris, respondeo quod proportionaliter causal illam sicut decretum ducis causât physicum insigne in milite quem ad certum

Dices quarto: *In Eucharistia salte doctrina fallit qUitl f* hoc sacramento titulus ad gratiam e>. esentia corporis ei sanguinis Christi sub speciebus panis et vim. -ed praesentia Christi per virtutem intentionalem causari omni io non potest. Ergo oportet in verbis consecrationis vim instrumentaient physicam agnoscere.*

Respondeo, proprium esse huic sacramento, ut effectus ad gratiam praevius in quadam miraculosa materiae immutatione consistat, hoc est, in conversione totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi ; ideoque applicanda sunt in praesenti ea quae alias fuerunt dicta circa modum quo creatura aliqua potest instrumentaliter operari ad effectionem miraculorum, praesentando naturae imperium Dei fl). Cum autem in hac causandi ratione nihil physicum insinuetur, dicendum est verba consecrationis nequaquam physice elevari ; sed si cum debita intentione, a ministro rite ordinato, super debitam materiam proferantur, ponunt in materia ipsa infallibilem designationem atque ordinationem ad hoc ut virtute divina statim immutetur, transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem. Et haec est causalitas *per modum imperii,* quam in hoc mysterio signanter innuit Ambrosiaster, l. 4 de Sacr. c. 4 (P. L. 16, 441-42) dicens: «Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam «omnem mutare consueverit, et mutet, cum vult, instituta na« turae... Urgebatur populus ludaeorum ab Aegyptiis, interclu-

gradum exercitus promovet. Et sane, decretum illud, ex hoc quod directe causât militarem gradum cui iuxta institutionem legis accedere debent exteriora insignia ut necessarium complementum, ad haec quoque rectissime et verissime comparari dicitur ut causa, tametsi, ut consui, non sit causa physice conficiens et applicans. Et eodem pacto sacramentum, ex hoc quod causât deputationem ad certum munus religionis, causal quoque interiorem notam qua in anima signatur qui baptismate fit Christianus, et ordinatione sacerdos, etsi causa physice operans illam non sit nisi solus Deus. Quae omnia ex dicendis in quaestione sequenti de natura characteris melius innotescent.

e) Ci. Oe Vert» incarnato. Quaesi. 13, ubi de potentia animae Christi, et de virtute instrumental! ad operationem miraculorum

«sus erat mari; divino imperio virga Moyses tetigit aquas, et « se unda divisit, non utique secundum Suae naturae consuetu- «dinem, l secundum gratiam caelestis imperii... Ex his igi- « tur omnibus non intelligis quantum operetur sermo caelestis? « Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo caele- « stis in aliis rebus, non operabitur in caelestibus sacramen- « tis ? »

Dices iterum quinto: *Si virtus sacramentorum virtus intentionalis est, causalitas etiam, ad aliquid intentionale directe et formaliter terminatur. Sed ens intentionale, ens rationis est: rursus ens rationis dividitur contra ens reale. Ergo a primo ad ultimum, sacramenta non essent causae reales, reale quid efficacitate sua inducentes.*

Respondeo, ens rationis non dividi contra ens reale, sed contra ens naturae seu physicum, quod in decem praedicamenta distribuitur. Caeterum, aliud est ens rationis quod in sola consideratione intellectus consistit, sicut cum cogito relationem Dei ad creaturas ; aliud vero ens rationis quod per veras et reales intellectus practici ordinationes in rebus inducitur, ut sunt iura. officia, obligationes, jurisdictiones, tituli, deputationes ad certa munera, etc. Et tale ens rationis quod moderni *morale* appellant, suo modo reale, imo et realissimum esse, nemo non somnians denegabit.

Dices sexto: *Si verum esset quod sacramenta significando causant, eo quod omne instrumentum debet exercere operationem instrumentalem exercendo operationem propriam (sicut serra scindendo facit scamnum): sequeretur quod non possent ministrari infantibus vel idiotis vel sensibus destitutis, quorum respectu significativa esse non possunt, ut constat. Porro, consequentiae/alsitas ostendit falsitatem principii.*

Respondeo negando antecedens, quia etsi generale principium de instrumento idem sit tam in physicis quam in inten-

(«) Ampliores declarationes quoad Eucharistiam, cuius specialis conditio est, vide in Q. 78» Thes. 50. ubi de efficientia verborum consecretionis.

tionalibus, diversimode tamen applicatur p,.. materiae diversitate. Formalitas enim principii in hoc est. q.... Iin,. instrumentum, ut vere instrumentum sit, debet aliquid ‹|‹ .til› conferre ad effectum. Et hoc quidem in physicis est sim, dicker impossibile si propria instrumenti operatio non attingat per prius ipsum subiectum operationis instrumentalis, sicut patet de serra et de penicillo et de scalpro, atque ita porro. At in intentionalibus instrumentum quod est in genere signi adhuc confert de suo, et aliquid praestat in ordine ad operationem instrumentalem, etiamsi significatione sua non percellat sensus vel intellectum subiecti cui applicatur. Adhuc enim est de se delativum conceptionum et ordinationum rationis ad extra, ac per hoc, sufficiens semper fundamentum ponit, cui ulterior superveniat elevatio ad esse causativum investiturae earumdem. Nec alia sane ratio est cur verba promulgatoria legis, exempli gratia, habeant eamdem vim inducendi obligationem, tam in iis qui legere sciunt quam in iis qui nesciunt

Dices demum septimo : S. *Thomas in sacramentis physicam virtutem agnovit. Ait enim in praesenti, art. 4 tn corp.; « Ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, « necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. l·A * haec quidem virtus proportionatur instrumento. Unde compa tratur ad virtutem absolutam et perfectam alicuius rei, sicut « comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum A enim non operatur nisi in quantum est motum a principali t agente, quod per se operatur : et ideo virtus principalis agen- *tis habet permanens et completum esse in natura, virtus autem a instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud, et inconi- *pletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in pa· « tiens ».*

Respondeo, S. Thomam explicare ibi virtutem instrumentalem prout a virtute perfecta et absoluta causae principalis distinguitur, et modum loquendi sumere a physicis causis, physicisque instrumentis, utpote notioribus et magis conspicuis. Caeterum statim post verba allata, in responsione ad iu'" assiπ ‘l i

expresse virtutem sacramentorum, virtuti quam ex institutione accipiunt vis humanae ad excitandos in audientibus responden tes conceptus: «Sicut et in ipsa voce sensibili, inquit, est quae- « dam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quan- « tum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis « est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum «spiritualem». Et infra. Q. 78, a. 4, de verbis consecrationis lo- quens ait: «Cum enim haec verba ex persona Christi proferantur, « *ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentaient* Con- stat autem quod ex mandato Christi : *hoc facite in meam com- memorationem,* nulla vis physica potest verbis illis advenire. Item intellectum physicae virtutis procul removent ea quae habentur in art. seq. : « Sicut ex contactu carnis Christi vis regenerativa « pervenit non solum ad illas aquas quae Christum tetigerunt. « sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura saecula, ita « etiam ex prolatione ipsius Christi, haec verba virtutem con- « secrativam sunt consecuta, a quocumque sacerdote dicantur, * ac si Christus ea praesentialiter proferret ». Ubi evidens est. considerari virtutem aliquam quae ab institutione, tota quanta est, dependeat, adeoque non alius ordinis sit quam intentiona- lis. Et alia multa in decursu tractationis ex eodem S. Doctore proferentur, eiusdem sensus, eiusdemque tenoris, ex quibus pro nata occasione nostra interpretatio convenientem accipiet confir- mationem f1).

(*) In fine huius disputationis aequum iudicium feres de principali ratione qua nonnulli sententiam hactenus expositam evertere conantur. Supponunt imprimis, et nobis imponunt huiusmodi processum : *Impossi- bile est ut sacramentum causet immediate gratiam, quia gratia est habitu- supernaturalis qui non est nisi in potentia obedienliali subiecti, et ideo per solam virtutem infinitam reduci potest in actum. Cum igitur nullum crea- tum instrumentum capax sit infinitae virtutis, etiam sub motione Dei, di- cendum restat quod sacramenta non pertingunt ad ipsam gratiae substa r- Ham, sed solum ad dispositionem gratiae exigitivam.* Quo deinde processu supposito, subsumunt dicentes *Atqui de dispositione illa evidenter redit eadem impossibilitatis ratio, cum et ipsa ordinis supernaturalis necessario dicenda sit, et quod attinet ad potentiam obedientialem virtutemque infini- tam, eiusdem cum gratia conditionis.* Tum demum concludunt : *Ergo sen-*

THESIS VIII.

(Art. 5).

Virtus salutifera in sacramentis derivatur a divinitate per Christi humanitatem, sic tamen ut ex eius sacratissima passione specialiter habeat efficaciam.

Argumentum quo S. Thomas utitur in praesenti, supponit fuisse alibi demonstratum quod humanitas Christi pro nobis crucifixi est *instrumentum coniunctum* divinitati in unitate suppositi, ad omnem instaurationem gratiae in genere humano lapso. Quo ex principio sic ratiocinari licet: Agens principale per coniunctum instrumentum movet instrumenta separata, sicut per suam manum movet calamum scriptor, et pictor penicillum. Sed in ordine gratiae divinitas est agens principale, humanitas Christi instrumentum coniunctum, denique sacramenta sunt instrumenta separata. Ergo necesse est ut virtus gratiae causativa derivet in sacramentis a divinitate, mediante humanitate Christi qui illa instituit per suos ministros dispensanda.

lentia de causalitale dispositiva, velit nolit, rcincidit in difficultatem pro qua evitanda fuit adinventa, ita scilicet ut secum ipsa non stet, et frustra deflectat a via in scholis modernis iam dudum trita et firmata. Et illi quidem sic ratiocinantur. Sed totius ratiocinationis vitium facile tibi constabit duabus observationibus factis.

Prima est, quod processus noster non ille revera fuit, quem adducit adversarius. Imo vero, expresse ab initio notatum est, quod cum praesto essent duae viae possibiles, a priori una, a posteriori altera, propositum intentionis erat praescindere a prima, argumenta exclusive trahendo a conditionibus sacramentorum quas positive nobis revelat in praesenti oeconomia, Dei institutio. Cui proposito fideliter inhaesimus, ut videre est supra, Thes. 7, \ 2. Quapropter, etiamsi processus ab adversario suppositus, nec legitimus nec sibi ipsi constans inveniretur, adhuc nihil destrueretur de fundamentis et rationibus allatis, quia semper intacta remanerent fundamenta proprie theologica quibus demonstratum est» sacramenta nostra non causare gratiam efficienter perfective, sed solum efficienter dispositive.

Insuper cum iuxta divinam ordinationem (1), Christi humanitas non sit principium efficiens gratiae in nobis nisi dependenter a causalitate meritoria quae fuit per mortem crucis, sequitur sacratissimam hanc passionem esse assignandam ut specialem rationem efficaciae sacramentorum. Ideo legitur, Rom. XI-3: «An « ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in « morte ipsius baptizati sumus?» Ideo etiam, Eph. V, 25-27, asserit Apostolus Christum dilexisse Ecclesiam, et seipsum tradidisse pro ea, ut eam mundaret lavacro aquae in verbo vitae, id est, ut baptismo suo acquireret vim mundativam et sanctificativam animarum. Ideo denique dicuntur sacramenta nostra effluxisse e latere Christi pendentis in cruce, fuisseque figurata in manante aqua et sanguine ex sacratissimi vulneris apertura, eo quod per susceptionem sacramentorum virtus passionis nobis

Altera observatio est, quod praedictus processus, etsi de facto praetermissus, videtur tamen optimus, et recte concludens, et indicatus a S. Thoma, de Pot. Q. 3, a. 4 ad 8um. Ad id autem quod adversarius, ait, redire de dispositione ipsa eamdem impossibilitatis rationem, respondeo cum distinctione: Si dispositio ista esset aliquid physicum, *cone.* Si aliquid intentionale, *neg.* Et ratio disparitatis est quia, cum forma intentionalis nihil aliud sit quam passiva ordinatio qua quis in certa functione, vel iure, vel obligatione constituitur, vim requirit mere applicativani; applicativam autem dico ordinationis quae ab ordinante descendit, et subiectum investit. *Porro* eiusmodi forma, etiamsi sit de supernaturalibus, utpote habitudinem dicens ad gratiam et finem vitae aeternae, et pro tanto transcendens omnem subiecti exigentiam, adhuc tamen per signa creata causari potest. Neque in hoc oportet ad subtilitates recurrere, cum per se statini appareat, tam late patere aptitudinem quam habent signa ad imponendas applicandasque ordinationes rationis, quam late patet aptitudo ad significandum eas. Et ideo, tam ad naturalia quam ad supernaturalia in hoc genere, instrumentalis eorum virtus potest sese extendere.

(1) « Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti. « In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem « tuam, etc. » *Id est, in* capite omnium decretorum quibus causae sanctificationis hominum ordinantur, est decretum de morte satisfactoria crucis, a qua alia media dependent.

copulatur. «Vigilanti verbo, inquit An- ti,ul3 evangelist» «usus est. ut non diceret, latus eius p. ɾ‹ ussit, aut vulneravit «aut quid aliud, sed *apcruil,* ut illic quod nnmodo vitae ostium «panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine qui· «bus ad vitam quae vera vita est, non intratur... Propter hoc « prima mulier facta est de latere viri dormientis... Hic secundus « Adam, inclinato capite, in cruce dormivit, ut inde formaretur «ei coniux, quae de latere dormientis effluxit. O mors unde « mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius, quid vulnere « isto salubrius ?».

Vides ergo quanta sit sacramentorum Novae Legis sanctitas ac veneranda efficacia ; vides quomodo non sint sterilia quaedam signa, sed effectrices causae, foetae sanctitate quam promittunt. Sed haec adhuc magis nunc eminebunt, comparatione eorum quae fuerunt in Veteri Testamento, de quibus sit sequens propositio.

THESIS IX.

(Ar t . 6).

Sacramenta antiqua non causabant gratiam, attamen in quibusdam saltem ex eis conferebatur iustificatio quasi ex opere operato , idque non in vi sacramentorum significantium, sed fidei significatae, hoc est, intuitu meritorum Salvatoris prout erant in ipsis sacramentis tamquam certis fidei in Christum protestationibus, quodammodo iam praesentata.

Sacramentorum veterum nomine illa intelliguntur quae fuerunt ante Christum , ex quibus quaedam sunt quae legem mosaicam praecesserunt, scilicet circumcisio Abrahae data pro masculis ex eius semine oriundis, itemque sacramentum in lege naturae

(I Tract, rao in loan., n. 2 (P. L. 35, 1953).

corresponde!! quod ab initio mundi traditum, de iure mansit usque ad l'. ·η novam pro omnibus illis qui circumcisioni su biecti non ı rant ; alia vero sunt quae a Moyse fuerunt primum introducta).

Cum ·›··.-ni dicuntur sacramenta vetera non causasse gratiam, asserti·) est intelligenda absque ulla restrictione. Et facile probatur ex Apostolo, qui ubique extenuat vim antiquorum sacramentorum, vocans ea *infirma et egena elementa,* Gal. IV-9, quae nuinquam valuerunt emundare conscientiam et perfectum facere servientem, Heb. X, 10-12, etc. Unde etiam, Rom. III-28 et seq., docet Apostolus justificationem non fuisse unquam ex vi legis antiquae datam, id est, ex vi observantiarum seu sacramentorum quae per legem illam imponebantur, et quorum ianua fuit circumcisio. Quapropter in decreto pro Armenis (2) dicitur: « Illa (sacramenta vetera) non causabant gratiam, sed eam solum

ſ « Sacramenta proprie dicuntur illa quae adhibebantur Dei cui-« toribus ad quamdam consecrationem... Cultus autem Dei generali « quidem modo pertinebat ad totum populum, sed speciali modo per-« tinebat ad sacerdotes et Levitas, qui erant ministri cultus divini. Et «ideo in istis sacramentis V. L., quaedam pertinebant communiter ad «totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros. Et circa « utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu «colendi Deum, et haec quidem institutio communiter quantum ad « omnes fiebat per *circumcisionem,* sine qua nullus admittebatur ad «aliquid legalium; quantum vero ad sacerdotes, *per sacerdotum consecrationem.* Secundo requirebatur usus eorum quae pertinent *ad divi-*« num cultum, et sic, quantum ad populum erat *esus paschalis convivii....* «et quantum ad sacerdotes oblatio victimarum, et *esus panum firoposti-*« *tionis,* et aliorum quae erant sacerdotum usibus deputata. *Tertio* • requirebatur remotio eorum per quae aliqui impediebantur a cultu » divino, scilicet immunditiarum; et sic quantum ad populum erant institutae quaedam *purificationes...* et etiam *expiationes a peccatis,* quan-« tum vero ad sacerdotes et Levitas, erat instituta *ablutio manuum et pedum,* et rasio pilorum. Et haec omnia habebant rationabiles causas, et litterales secundum quod ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo, et figurales, secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum, ut patebit per singula discurrenti ». S. Thom. 1-2, q, lO2, a. 5.

(·) Enchirid., n. 695.

« per passionem Christi dandam esse ii diant ». Quod pulchre expressit Pallavicini, cum Christian. aeramenta extollens supra ea quae prius erant, ait: « Alt· (.l aliam praesignifi. «cabant per futura sacramenta legis nova (onferendam, altera « vero significant tamquam conferendam a ipsis, eo fere modo «quo pluviam significant, tum ranae in paludibus coaxantes, «tum nubes in aere constrictae; illae significant pluviam a ven- « turis nubibus effundendam, hae vero pluviam qua ipsae gra- ividae sunt, et quam ipsae profundent fl).

Ratio demum theologica sumenda est ex dictis in propositione praecedenti. Nam in veteri lege nondum aderat instrumentum coniunctum, mediante quo in praesenti ordine providentiae moveri debent omnia instrumenta separata, gratiae effectiva.

§ 2·

Iam difficilioris probationis est altera assertio, qua adstruitur in quibusdam saltem e veteribus sacramentis, (circumcisionem dico, et correspondens sacramentum legis naturae), fuisse nihilominus collatam gratiam *quasi* ex opere operato, hoc est, ad solam positionem ritus exterioris, obice non existente (2).

Et principale quidem argumentum est communis fere Ecclesiae sensus, post Augustinum l. 2 de nupt. et conc., c. 11 (P- L. 44,450): «Ethoc (peccatum originale) in illo (infante octo dierum) « significabatur expiari circumcisione octavi diei, hoc est sacramen- « to Mediatoris in carne venturi, quia per eamdem fidem venturi « in carne Christi, et morituri pro nobis, et tertio die qui post «septimum sabbati fuerat futurus octavus resurrecturi, etiam «iusti salvabantur antiqui... Ex quo enim instituta est circum «cisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiae fidei,V)

V) Hist. Conc. Trid., I. 9, c. 4.

(·) Ideo particula diminuens *quasi* non afficit id quod ex parte hominum ad consequendam iustificationem requirebatur, sed tantum modum efficaciae sacramenti, in quo non veri instrumenti, sed merae conditionis ratio est agnoscenda

< ita ad signili· aionem purgationis valebat et in parvulis original is vet ') |"e peccati, sicut et baptismus ex illo valere «coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus». Unde S. Thomas infra, Q. 70, a. 4 : *Ab omnibus communiter ponitur quod in circumcisione peccatum originale remittebatur.* Cum autem peccatum originale nonnisi per gratiae infusionem possit remitti, cum insuper parvuli sint incapaces justificationis ex opere operantis, manifestum est contineri in hac communi Doctorum sententia quidquid intendimus in praesenti.

Caeterum si quaeras quibus fundamentis sententia ista ultimo nitatur, dico : Innititur primo super revelationem voluntatis Dei salvificae erga omnes, nam in vi huius voluntatis debuit ab initio institui pro parvulis medium salutis, et hoc medium non potuit esse aliud quam ritus quidam populo Dei aggregativus, in cuius susceptione gratia justificationis infundebatur. Huiusmodi autem ritus fuit sacramentum quod vocant legis naturae, cui postea pro masculis de genere Abrahae successit, ut dictum est, circumcisio. — Innititur secundo quoad circumcisionem, super sensum traditionalem verborum Scripturae, Gen. XVII-i4 : « Masculus cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur «anima illa de populo suo»; delebitur, inquam, quasi non pertinens ad spiritualem Abrahae progeniem de qua superius dictum fuerat: «Et statuam pactum meum inter me et te. et inter « semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, « *ut sim Deus tuus et seminis tui post te* Sed si incircumcisus infans a spirituali progenie Abrahae manebat exclusus, ergo circumcisus ad eamdem per consortium gratiae assumebatur. *Hinc* Innocentius III, cap. *Maiores* de baptismo, ait: «Caute notan- « dum est, quanto plus baptismus hodie conferat christianis, « quam quondam ludaeis circumcisio contulisset. Dictum est in « fine praedictae auctoritatis inductae de veteri lege, *peribit de « populo suo:* in evangelica vero veritate subiunctum est, *nisi « quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in « regnum Dei.* Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per « circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, « non tamen perveniebatur ad regnum caelorum quod usque ad

«mortem Christi fuit omnibus obseratum. d per sacramentum «baptismi, Christi sanguine rubricati, cub remittitur, 'vitatur «periculum, et ad regnum caelorum etiam pervenitur, cuius « ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit».

Quomodo tamen adhuc verum sit, circumcisionem non causasse gratiam, restat explicandum. Explicatio autem pendet ab iis quae in thesi addita sunt: *non in vi sacramenti significandi sed fidei significatae,* sive, ut Q. 70, art. 4, S. Thomas dicit; « Ex fide significata, non ex circumcisione significante ».

Primum omnium supponendum est, omnem influxum gratiae in statu naturae lapsae esse per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum, iuxta illud Eph. I-22-23: «Ipsum dedit «caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et ple« nitudo eius ». Et quia sacramenta sunt quaedam media quibus provenit ad nos capitis influxus, necesse est ponere alium atque alium modum derivationis gratiae in sacramentis, prout oportuit Christum alio atque alio modo influere in eos qui ante, et in eos qui post ipsum fuerunt.

Cum enim nos comparemur ad Christum ut ad caput iam exsistens, ipse in nos plenissime exercet capitis munus, *efficienter influendo,* et vim causativam communicando sacramentalibus instrumentis ab ipsomet institutis ; quo fit ut in nova lege iustificatio habeatur vi ipsorum sacramentorum significantium. At vero in antiquos viatores non potuit influere Christus per modum causae efficientis, quia causa efficiens nequit esse ordine durationis et temporis suo effectu posterior. Debuit ergo influere secundum quod fuit *finis Legis ad iustitiam omni credenti,* ut dicitur Rom. X 4. Est enim proprium finis ut quodammodo praesubsistat in anima, quando est apprehensus et desideratus ab ipsa, et ideo vetera sacramenta in quantum erant signa protestativa fidei et spei in Redemptorem desideratum, quamdam habebant continuationem cum futuris eius meritis, quorum in-

tuitu conferebatur a Deo sanctificationis donum, ipso interim signo sacrament.ili per moduin nudae conditionis se habente. Et similiter contingit ut ad exhibitionem schedulae detur summa argenti, non in vi schedulae significantis, sed in vi valoris significati. Caeterum cum gratia dicitur fuisse collata in circumcisione ex fide significata, non intelligitur, ut patet, fides ministrantis vel suscipientis sacramentum, sed fides quam ex ipsa institutione sua promebat circumcisionis signaculum, id est fides obiectiva de venturo Redemptore.

Hinc vides differentiam inter nova et vetera sacramenta totam provenire ex diversa habitudine ad Christum, per quem, ut dicitur Ioan. I. gratia et veritas facta est, et sub quo proposuit Deus omnia *recapitulate:* ἀναχβψαλαιώβααθαί τὰ πάντα ἐν τφ Χριστφ (α).

Quaest. LXIIL

DE CHARACTERE SACRAMENTORUM

Sacramentalis characteris nomine venit spirituale quoddam signaculum, indelebiliter animae impressum, quo homo consignatur ut deputatus ad certa quaedam officia cultus divini, secundum ritum christianae religionis. Dicitur *character,* quia hoc nomen erat in usu ad designandam corporalem notam, inustam iis qui antiquitus adscribebantur militiae ; per hanc enim signabantur ut instrumenta publicae auctoritatis, a qua sola esse potest militandi ordo, et potestas, et officium (2). Et recte quidem,

¶ Eph., I-io.

(·) In modernis societatibus, *characteri militiae* successit *habitus militaris,* sine quo nemo ius et potestatem habet militandi ; unde si quis in bello deprehendatur pugnans absque habitu regularis exercitus, ex iure gentium capitis plectitur; non enim habet legitimam deputationem ad belligerandum. — Inveniebantur etiam olim, quodam corporali charactere signari ii qui erant damnati ad triremes, ut possent agnosci quocumque fugissent. Verum comparatione characteris triremium Patres non ututntur ; nam per sacramentales characteres, non ad duram servitutem Christiani mancipantur, sed imo ad servitium illius, *cui servire, regnare est.*

ait Caietanus, ab hac corporali nota tr.m umptum est nomen designativus spiritalis signaculi de quo nun. loquimur, propter inventam proportionalem similitudinem inter homines mancipatos ad militiam terrestrem, et eos qui deputantur ad spiritualem cultum in religione Christi ; quippe haec religio, militia illius est qui dicitur *dominus foriis et potens, dominus potens in praelio,* ad debellandas aereas potestates vincendumque mundum. Unde Augustinus, l. 2 c. epist. Parmeniani, n. 29 (P. L. 43, 71), ostendens rationem propter quam baptismus nunquam repeti debet: « Aut si forte, ait, illum militiae characterem in corpore suo non « militans (desertor) pavidus exhorruerit, et ad clementiam impe «ratoris confugerit, ac prece fusa et impetrata iam venia, mi- «litare iam coeperit: numquid, homine liberato atque correcto, « character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An «forte minus haerent sacramenta Christiana, quam corporalis «haec nota...? An ducenda de militia similitudo non fuit, cum « et Apostolus de agonisticis certaminibus clamet et aperte «dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus. ‹ ut ei placeat cui se probavit? ».*

Verum etsi a charactere militiae principalis comparatio ducebatur, ab aliis etiam corporalibus signaculis Patres sumebant similitudines. Utuntur enim passim comparatione notae qua obsignatur moneta tamquam auctoritate principis ad usum commutationum deputata, aut etiam characteris quo in dcrso notantur oves velut ad gregem unius domini de iure pertinentes. Ad rem iterum Augustinus, ubi contra partem Donati probat characterem sacramentalem semper manere verum, etsi forte fuerit impressus a non habente legitimam missionem, id est, extra veram Ecclesiam ad quam solam pertinet in sacramentis dispensationis auctoritas: «Neque enim, inquit (1), propterea mutan- « dus vel improbandus est regius character in homine, si er- «roris sui veniam et militandi ordinem a rege impetraverit, « quia eumdem characterem quo sibi satellites congregaret, de-

(1) August., contra Cresconium Grammaticum, l. i, c. 30 (P l »3. 464).

« sertor infixi'; ut propterea *signa nudanda sunt ovibus, eunt « dominico g› sociantur, quia eis dominicum signum fugiti «.vus servus impressit »*. Et alibi ¶ : «Si enim aliqui furtim «et extra ordinem in *monetis publicis aurum vel argentum vel « aes percutiendo signaverint,* cum fuerit deprehensum, nonne « illis punitis aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum « thesauris regalibus congeretur? » Et Basilius, catechumenos exhortans ut cito baptismum recipiant (2): «In acie duces « tesseram tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se « invicem inclament, et si in conflictu fuerint cum hostibus com- « mixti, queant citra confusionem seiungi. Agnoscet te nemo. « nosterne sis, an hostium, nisi mysticis signis necessitudinem « affinitatemque ostenderis... Quomodo vindicabit te angelus? «Quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? *Quo-* « modo dicturus es tu, Dei sum, si notas ac insignia non exhi- «beas? An ignoras, exterminatorem domos signatas praeteriisse, « in his vero quae signatae non erant, primogenita occidisse? *« Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest: ovi «signo carenti tuto struuntur insidiae».*

Nunc igitur, characterum sacramentalium demonstranda est in primis exsistentia; tum praeterea, penitius investiganda eorum quidditas ac natura; denique inquirendum remanebit an per omnia N. L. sacramenta, et quatenus negative, a quibusnain imprimatur.

THESIS X.

(Ar t . i).

Sunt in nova Lege sacramenta characterem imprimentia.

Propositio est de fide definita in Tridentino, Sess. 7, can. 9 de sacramentis: «Si quis dixerit, in tribus sacramentis... non «imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spi-

(») Id., contra epistolam Parmeniani, l. 2, n. 29.

(·) Basilius, Homil. 13, exhortatoria ad sanctum baptisma, n. 4 (P. G. 31. 43«)·

«rituale et indelebile, unde ea iterari possunt, anathema « sit ».

Principale autem argumentum qu.. veritas characterum sacramentalium a Tridentino definita demonstratur, est divina Traditio, cuius testis omni exceptione maior fuit Augustinus in longo illo certamine quod nomine totius Ecclesiae contra Donatistas sustinuit (1). Ideo ipse unus loco aliorum omnium esse posset, quoniam etsi per se loquendo, singulorum Patrum auctoritas non sit irrefragabilis, contingit tamen ut unius etiam testimonium suppeditet inconcussum divinae revelationis argu-

(1) Schisma Donatistarum occasionem habuit ex iis quae acta sunt sub finem persecutionis Diocletiani. Diocletianus enim edictum vulgaverat, quo *ecclesiae ad solum usque dirui, sacri vero codices fl'animis absumi* iubebantur. Hinc quidam in Africa timore perterriti, sacros codices tradiderunt persecutoribus, et ob id *Traditores* sunt appellati. Huius criminis accusatus est Felix episcopus, qui fuit consecrator Caeciliani episcopi Carthaginensis. Inde ambitiosi quidam sumpserunt occasionem insimulandi legitimitatem Caeciliani, et alium episcopum loco eius ordinaverunt. Quae res ad Melchiadem Papam delata est, qui in Concilio Romano Caeciliani auctoritatem confirmavit, et excommunicavit perturbatores. Schismatici autem non acquieverunt, sed contra, inceperunt magis invalescere, et totam Africam sua seditione repleverunt, constituentes episcopos suae communionis per singulas civitates, imo teste Augustino, epist. 53, n. 2 (P. L. 33,196), mittentes unum e suis Romam usque, ut apoçtolicam Petri sedem tenere viderentur. — Ex schismate autem in falsa dogmata et haereses varias prolapsi sunt. Nam quia praetextus schismatis erat, quod Caecilianus habendus esset ut ementitus episcopus, eo quod a *Traditore* receperat ordinationem, hoc deinde colligebant: «In sola Donati parte mansisse Ecclesiam catholicam, et illam «periisse in aliis orbis partibus propter crimina Caeciliani, cum quo «aliae ecclesiae communicabant. Ad haec, sacramentorum efficaciam «a ministrorum virtute pendere asserebant, adeoque baptismum extra «communionem Donati esse nullum. Quapropter catholicos qui ad eorum partes deflectebant, iterato baptizabant In quo etiam se muniebant auctoritate S. Cypriani, qui olim in sua ecclesia probaverat usum rebaptizandi venientes ex haeresi. — Promotus est autem Augustinus ad cathedram Hipponensem, 70 fere annis post prima initia schismatis, quod undem eius potissimum opera compressum est. — De his vide *Psalmum abecedarium contra partem Donati,* in tomo 6 OnKriim Augustini fP. L. 43, 23 sq.). perum

mentum, «pi ·›·lo ex adiunctis causae, communis et antiqua fides referri et de!· ndi intelligitur.

Atqui Augustinus, tota probante et consentiente Ecclesia, haec tria vehit ad fidem ab apostolis traditam pertinentia adversus pra·-dictos haereticos constantissime atque acerrime defendit: **Primo**, sacramentorum validitatem non pendere a bonitate vel fide ministri, adeoque ipsa vere dispensari etiam ab haereticis schismaticisve, quamvis illicite. **Secundo**, quaedam sacramenta esse quae sine sacrilegio repeti nunquam possunt, nequidem in eis qui ea in haeresi vel schismate acceperunt, et postea ad verae Ecclesiae unitatem convertuntur **Tertio**, huius initerabilitatis rationem hinc desumendam esse, quod sacramenta ista habent pro effectu omnino infrustrabili indelebilem quemdam characterem, qui tam in bonis quam in malis esse potest, et a quocumque quomodolibet infixus nunquam corrigitur, eo quod si contingat rebellem haereticum ad clementiam Christi confugere, incipit character ille valere ad salutem, cum antea valeret ad poenam.

Insignis locus est in l. 6 de bapt., c. i (P. L. 43, 197): «Cum « et hi, inquit, qui in ipsa unitate perversi sunt et perdite vivunt, « appareant remissionem peccatorum nec dare posse nec habere,.., « habere tamen, et dare, et accipere baptismi sacramentum, satis « eluxit pastoribus Ecclesiae catholicae toto orbe diffusae, per quos « postea plenarii concilii auctoritate originalis consuetudo firmata « est : *etiam ovem quae foris errabat, et dominicum characterem a «fallacibus depraedatoribus suis foris acceperat,* venientem ad chri« stianae unitatis salutem ab errore corrigi, a captivitate liberari, « a vulnere sanari, *characterem tamen in ea dominicum agnosci « potius quam improbari·».* — Insignis etiam responsio *ad* famosum dilemma Petiliam: Vel baptismus noster bonus est. vel non. Si bonus est, ergo tenemus veram Ecclesiam. Si non est bonus, ergo eos qui ex nobis transeunt ad vos, rebaptizare oporteret, nec esset cur timeretis destruere quod dedimus. « Petilianus « dixit: Venite ergo ad Ecclesiam, populi, et aufugite *traditores,* si cum iisdem perire non vultis. Nam ut facile cognoscatis quod « cum ipsi sint rei, de fide nostra optime iudicent, ego illorum

« infectos baptizo, illi meos, quod absit, recipm i aptizatos ; quae «omnino non facerent, si in baptismo nostro ‹ , aliquas agno- «vissent. Videte ergo, quod damus quam sit . .netum, quod de· «struere metuit sacrilegus inimicus. Augustinus respondit... «Non vestrum est quod destruere metuimus, · .l Christi, quod «et in sacrilegis per se sanctum est. Nam venientes a vobis reci- « pere non possumus nisi quod vestrum est destruamus. *Destrui-* « *mus enim perfidiam desertoris, non destruimus characterem im-* *operatoris.* Proinde tu ipse considera, et destrue quod dixisti: « *Ego,* inquis, *illorum infectos baptizo, illi meos, quod absit, re-* *ocipiunt baptizatos.* Tu enim non infectos baptizas, sed ut tui «erroris fraude inficias, rebaptizas. Nos autem, non tuos recipimus « baptizatos, sed destruimus errorem tuum unde sunt tui, et susci- « pimus Christi baptismum unde sunt baptizati » (1). — Insignis demum inter alia multa, exhortatio ad errantes, quae habetur Tract. 6 in Ioan. n. 15, 16 (P. L. 35, 1432-33): « Puta te esse militarem. « Si characterem imperatoris tui intus (in exercitu) habeas, securus « milites; si extra habeas, non solum tibi ad militiam non prodest « character ille, sed etiam pro desertore punieris. Veni ergo, veni «etnoli dicere: iam habeo, iam sufficit mihi. Veni (ad catholicam « Ecclesiam), columba te vocat, gemendo te vocat... Sed sollicitus « es forte, et dicis : Foris baptizatus (extra catholicam), timeo ne « inde sim reus, quia foris accepi. Iam coepisti cognoscere quid « gemendum sit; verum dicis, quia reus es, non quia accepisti, sed «quia foris accepisti... Tene ergo quod accepisti, emenda quod « foris accepisti... Quod accepisti, approbo ; quia foris accepisti, « improbo. Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agno- «scitur; *character est Regis mei, non ero sacrilegus ; corrigo de·* « *seriorem, non immuto characterem* ▮. Et haec quidem de cha- ractere *Baptismi.* — De charactere autem *Confirmationis* luculen- tum exstat testimonium in l. 2 contra litteras Petiliani, c. 104. Item de charactere *Ordinis.* l. 2 contra epistolam Parmeniani c. 13, n. 28. Quae omnia suis locis proferentur.

Augustino consentiunt alii aetate aequales aut anteriores :

p) August. I. 2, c. litteras Petiliani, cap. ultimo (P. l

Chrysostomii Gyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Epiphaniu Gregorius N .,|. izenus. et Ambrosius, qui omnes, praeter sanctificantem gratiam, alium spiritualem effectum baptismi agnoscunt, eumque pari modo comparant cum charactere militum, cum obsignatione annuli in cera, cum circumcisionis nota, etc. Quorum testimonia videre est apud Bellarminum, de Sacram. l, 2, c. 21.

Atque hinc tandem manuducimur ad intelligentiam obscuriorum locutionum priorum Patrum, et ipsius etiam Scripturae, quae diversis in locis (2 Cor. 1-21, Eph. I-13, et IV-20), meminit spiritualis cuiusdam obsignationis, ab unctione gratiae distinctae. « Nam cum Apostolus ait : *Unxit nos Deus, qui et « signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris,* voce * illa, *signavit,* non obscure characterem descripsit, cuius pro« prium est aliquid signare et notare» (l).

Ratio demum convenientiae est apud S. Thomam in praesenti ; nam sacramenta nostra sunt sanctificativa, non solum sanctificatione gratiae, sed etiam sanctificatione deputationis ad certas functiones sacras secundum ritum christianae religionis. Ergo in nova lege sacramenta sunt, per quae non solum infunditur gratia, verum etiam character imprimitur. Consequentia probatur quia etsi deputatio praedicta, absolute loquendo, fieri potuisset absque physica aliqua obsignatione, per solam ordinationem rationis applicatam et veluti affixam subiecto, sicut fit in civilibus et fiebat in veteri lege, hoc tamen non conveniebat perfectioni legis evangelicae et sacramentorum eius, quorum est, non exterius tantum, sed etiam interius notare eos quos irrevocabiliter consecrant ad aliquod munus vel officium religionis. Et ideo, sicut qui antiquitus deputabantur ad militiam, solebant quadam nota corporali consignari, ita necesse est eos qui per Christiana sacramenta divino cultui mancipantur, spirituali charactere signari, ad cuius intrinsecam quidditatem intimius investigandam nunc veniendum est.

/) Catech. Cone. Trident., de sacr. in gen., n. 30.

THESIS XI.

(Art. 2).

Character sacramentalis secundum suam intrinsecam naturam consideratus, est quaedam potentia ministerialis, qua homo sub Christo summo sacerdote, " potest in actiones hierarchicas,,. Consideratus autem in sua habitudine ad sacramentum exterius a quo imprimitur, rationem habet signi, sive notae distinctivae ordinum et officiorum in Ecclesia Christi.

Habemus ex supradictis, quod charactere sacramentali insignitur homo ut ad cultum Dei deputatus secundum ritum Christianae religionis. Est autem observandum, cultores Dei in Christiana religione hierarchiam quamdam constituere sub Summo Principe Christo, sumendo nunc hierarchiam prout dicit multitudinem uno modo ordinatam sub principis gubernatione ζl). Porro, « non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitu- « dine diversi ordines non essent. Ipsa ergo ratio hierarchiae re- «quirit ordinum diversitatem. Quae quidem diversitas ordinum « secundum diversa officia et actus consideratur, sicut patet quod • in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus;

C) «Hierarchia est sacer principatus. In nomine autem principatus «duo intelliguntur, scilicet ipse princeps, et multitudo ordinata sub prin- «cipe. Quia igitur unus est Deus princeps, non solum omnium ange- llorum. .. sed et totius creaturae, ideo.... totius rationalis creaturae «quae sacrorum particeps esse potest, una est hierarchia... Sed si con- « sideretur principatus ex parte multitudinis ordinatae sub principe, sic « unus principatus dicitur, secundum quod multitudo uno et eodem • modo potest gubernationem principis recipere. Quae vero non possunt «secundum eumdem modum gubernari a principe, ad diversos princi- • patus pertinent, sicut sub uno rege sunt diversae civitates, quae di- • versis reguntur legibus et ministris». Ita S.Thomas, i, q. 108, a. i in corp Unde, art. seq. concludit. « *Una hierarchia est una multitudo ordi- • nata uno modo sub principis gubernatione».*

« nam alius ,t ordo indicantium, et alius pugnantium, et alius « laborantin.,i in agris, et sic de aliis» (*). Et hinc sumitur notio *acti· m hierarchicarum* de quibus in praesenti. Nihil enim aliud sunt quam functiones cultus exterioris ex officio pertinentes ad diversos ordines in quos distribuitur multitudo populi christiani, prout est directa ad sacrum finem sub sacro Christi principatu. Isti autem ordines ad tres reducuntur. Unus eorum est, quibus competit ex officio *tradere divina,* iuxta illud i Cor, IV: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores -« mysteriorum Dei ». Alter eorum, quorum est *sacra recipere,* qui nempe per baptismi ianuam Ecclesiam ingressi, divinorum sunt receptores. Tertius demum intermedius, ad quos ex officio et speciali deputatione pertinet per fidei confessionem *divina defendere* contra exterius impugnantes (2). Et de explicatione terminorum hactenus. Sequitur statim consideratio characteris, tam secundum se, quam secundum comparationem ad sacramentum sensibile a quo imprimitur.

§ !·

Vestigiis antiquorum Patrum, praesertim vero Augustini qui in hoc puncto doctrinam fidei plenius atque abundantius expressit, fideliter inhaerendo, oportet ponere characterem sacramentalem esse proportionaliter in christiano, sicut militaris character in milite. Atqui character militaris est quaedam potentia ministerialis, qua quis sub civili principe potest in actus *militiae proprios. Ergo* eodem modo character sacramentorum, potentia ministerialis est qua quis sub Christo Summo Sacerdote potest in actiones sacras ad Dei cultum pertinentes.

(") S. Thom., ibid., a. 2.

(·) « Quamvis multi sint unius civitatis ordines, *omnes tamen ad tres* .«*possunt reduci,* secundum quod quaelibet multitudo perfecta habet prin- « cipium, medium, et finem. *Unde et in civitatibus triplex ordo* hominum « invenitur : quidam enim sunt supremi, ut *optimates;* quidam autem sunt «infimi, ut *vilis populus;* quidam autem sunt medii, *ut populus honora-* ‹. *bilis* ». S. Thom., ibid.

Maior argumenti constat ex testimoniis r;us allàtis; nam etsi Patres, ut dictum est, aliis etiam utaiitui nparationibus et similitudinibus, tamen alia omnia exempla sum deficientia et imperfecta; comparationem vero militiae esse a-i icquatam et perfecte analogam, ipsa rerum natura clamat. Distinctio enim graduum in exercitu respondet plenissime distinctioni characterum in Ecclesia; item in Ecclesia unicuique characteri proprium officium attribuitur, sicut in exercitu unicuique gradui .suum munus; illic publica potestas cuius instrumenta et ministri sunt omnia exercitus membra, ibi vero Christus initiator ritus novae legis, *Sanctorum minister et tabernaculi veri quod fixit Dominus et non homo;* a quo omnes qui in eius religione sunt, ad Dei cultum applicantur. Atque ita discurrenti per singula, apparebit plenam proportionem esse, in tantum ut ex natura militaris characteris liceat determinare et definire quae propria sit characteris sacramentalis ratio, salva interim proportione corporalium ad spiritualia.

Nunc autem deputatio ad militiam considerata per ordinem ad actum suum, est per se potentia ordinis moralis, quae non dat *posse physice pugnare,* sed solum *posse ex officio;* nam per hoc potissimum miles a latrone distinguitur. Insuper haec po-

a quaedam
ris gubernii
ini attribuit
orporali illa
lusinodi tes-
ditari gradu»
at suo modo
acteri sacra-

cogitandi ut
stianum ordi-
picio, sive *ex*
'alide agere id
e nequit, vali-
itione actus, sed

tota prov ex hoc quod lex institutionis specialem in ministro, vel etiam suscipiente, requirit deputationem aut designationem (1). Jn ut manifestius appareat, singulos characteres considera. Qn·.modo in primis differt confessio fidei coram tyranno, in eo qui *Confirmationis* characterem habet, et in eo qui non habet, nisi quia unus ex speciali officio agit, alter vero non ut proprius minister ad hoc institutus? Sed haec differentia profecto ordinis physici non est. Vide nunc characterem *Baptismatis.* An forte somniabis ibi physicam potentiam suscipiendi effectus sacramentales? Sed anima est per seipsam physice susceptiva horum effectuum; alioquin ad ipsum baptismi effectum oportuisset dari aliquem characterem antecedentem, et sic in infinitum. Considera tandem ipsum characterem *Ordinis.* Certe actio qua sacerdos baptizat, non differt physice ab actione qua baptizat laicus. imo vero nec quoad validitatem diflert, eo quod lex institutionis baptismi nullam specialem requirit in ministro deputationem, ut sit valida collatio sacramenti. Cum tamen procul dubio sacerdos semper baptizet ut proprius minister vi sacerdotalis consecrationis, laicus vero nequaquam, impossibile omnino est ut character signans atque constituens ordinarium baptismi ministrum, physice influat in actionem baptizandi. Haec igitur et alia permulta quae brevitatis gratia omittuntur, satis ostendunt non esse(*)

(*) Nota bene quod actus ad quos ordinat character, et quorum respectu potentia dicitur, *non sunt semper* actus qui a non habentibus characterem *nullo modo* exerceri possint. Nam character *Ordinis* datur etiam ad ministrandum baptismi sacramentum; quo tamen non obstante, simplex laicus valide baptizat. Item character *Confirmationis deputat* ad confessionem et defensionem fidei Christianae contra tyrannos; *atqui* ille etiam qui hoc charactere destituitur, confiteri potest et defendere fidem Christi: quin imo, occurrente necessitate, potest ad id obligari. Simili quodam pacto, etsi in exercitu humano *diversi* sint officialium gradus, quibus singulis sua officia constant, occurrente tamen necessitate, simplex etiam miles facit id quod pertinet ad centurionem, vel centurio id quod gregarii militis est. Recte ergo dictum est quod character *per se* nihil aliud confert quam *posse ex officio:* consequenter vero, dat *posse aliquid valide agere,* si ad validitatem actus specialis deputatio requiratur.

hic fingendam potentiam activam physice eli< it <m operationis, aut potentiam passivam physice receptivam a< . sed facultatem ordinis legalis, quae in speciali deputati··: tota consistit, licet non detur nisi cum physica obsignatione q ia homo intus in anima obsignatur ut alicui servitio sacro in domo Christi mancipatus. Et ideo dicendum quod character .·· ramentorum vere habet rationem potentiae ministerialis qua quis potest in actiones hierarchicas, eodem fere pacto quo militans character accipitur ut potentia per ordinem ad actus militares.

Hinc apparet differentia inter characterem et gratiam. Etenim primo, gratia habitualis ad quam consequuntur virtutes infusae, physice influit in actus supernaturales meritorios vitae aeternae; character autem, inter principia physice operativa non computatur. — Praeterea gratia sanctificans facit hominem divinae consortem naturae, ut scilicet *connaturaliter* exerceat actus ad Dei visionem conducentes, et ideo *gratia est in anima, sicut quaedam forma habens esse completum in ea* (1). Sed character est in anima *sicut quaedam virtus instrumentalis* (2); competit enim homini christiano, non in quantum sui iuris est, sed secundum quod servus est Christi, a quo huic vel illi officio mancipatur. — Denique gratia vere et proprie pertinet ad speciem *habitus,* character vero non reducitur ad habitum, sed magis ad *potentiam,* quia se habet tam ad bonum quam ad malum usum; quidam enim bene eo utuntur, alii vero male, quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis nullus male utitur, et habitu malitiae nullus bene. « Secundum Philosophum, inquit S. Thomas « in IV, D. 4, q. i, a. i, habitus est quo habemus nos ad pas- < siones bene vel male; et universaliter consideranti haec appa- « ret differentia inter *habitum* et *potentiam,* quia potentia est « qua possumus aliquid simpliciter, habitus autem, quo possu- « mus illud bene vel male: sicut intellectus quo consideramus, « scientia qua bene consideramus; concupiscibilis qua concupi- «scimus, temperantia qua bene concupiscimus; intemperantia

(·) S. Thom., hic. art. 5 ad iu,"
(·) Ibid.

«qua male... Cum ergo character ordinatur ad aliquid simpli « citer, non ad illud bene vel male, quia sacerdos potest confi- « cere (Eucharistiam) bene vel male, non potest esse quod qualitas super quam fundatur relatio characteris sit habitus, sed « magis *potentia... qua* (quis) *potest in actiones hierarchicas, quae usant ministrationes et receptiones sacramentorum, elatiorum « quae adfideles pertinent.* Et ad hoc quod has operationes bene «exerceat, indiget habitu gratiae, sicut et aliae potentiae habi- « tibus indigent ». — Hactenus de charactere sacramentali prout in sua essentia consideratur.

S 2.

Sed nunc considerandum est ulterius quod actiones exteriores ad quas ordinat character, in Ecclesia visibili sunt exercendae, et ideo necesse est ut character innotescat iis qui sunt de Ecclesia, sitque signum distinctivum quo discerni possit quinam ad has vel illas sacrorum seu ministrationes seu receptiones sint admittendi. Hinc Concilia dicunt, characterem sacramentalem esse *spiritua/e quoddam signum a ceteris distinctivum et indelebile (').*

Iam age. Impossibile est ut character in sua seorsum essentia consideratus, rationem habeat signi distinctivi ; sic enim est omnino invisibilis. Relinquitur ergo ut rationem signi induat propter suam necessariam connexionem cum sacramento exteriori. quod dicitur, *sacramentum tantum.* Et hinc nova apparet differentia inter characterem et gratiam. Nam etsi *gratia conferatur* per sacramenta, non tamen confertur per sola sacramenta ; character vero nonnisi per visibilia sacramentorum *signacula imprimitur.* Insuper potest homo recipere sacramentum, et tamen carere gratia, quia est indispositus; impressio autem characteris semper et necessario sequitur validam collationem sacramenti, quia

(·) Decret, pro Arm., Enchirid. n. 695. — Cfr. Trid., Sess. 7. can 9, de -Sacram.

nulla est possibilis indispositio voluntatis qua.· characteri contrahetur^). Solus ergo character habet cum aeramento exteriori eam absolutam et infallibilem connexion» m. ex qua nanciscitur visibilitatem, atque denominari solet rr.c *ei sacramentum.* Ideo tandem character baptismalis requiritur ut quis sit de visibili corpore Ecclesiae, gratia vero minime.

COROLLARIUM.

(Art. 3).

Ergo character sacramentalis est specialiter character Christi, cuius sacerdotio fideles configurat.

Postquam dictum est de charactere considerato, tum in sua essentia, tum in sua necessaria connexione cum exteriori sacramento, restat ut declaretur per ordinem ad principatum a quo derivat. Porro loquendi modus hic desumi solet a charactere corporali, quem constat esse figuram qua res vel homo configuratur personae, cuius auctoritate ad certum usum vel munus deputatur. Hoc pacto character monetae configurat monetam principi; hoc pacto «milites qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur» (2). Et idem nunc *metaphorice* dicitur de charactere sacramentorum: metaphorice, inquam, quia figura est quaedam terminatio quantitatis; unde proprie loquendo est in solis rebus corporeis, non autem in anima spirituali quae subiectum est characteris. Sed figura ponit in eo quod configuratur alteri quamdam eius participationem ab eo expressam et derivatam, et quia servata proportione, character sacramentalis quaedam est participatio vel(*)

(*) Excipe defectum intentionis recipiendi sacramentum; sed tunc sacramentum exterius caret una e conditionibus ad validitatem necessariis. De quo infra, ad quaest. 64.

(·) S. Thom., hic, in resp. ad 2uni.

dependentia potestatis sacerdotalis Christi, ideo dictus est configurare homirx·π» Christo sacerdoti, sicut militare stemma configurabat militem imperatori.

Sic igitur explicatis terminis, assertio iam facillime demonstratur. Etenim, illius est sacramentalis character, cuius auctoritate mancipantur fideles officiis sacris secundum ritum Christianae religionis Sed iste est Christus, totius christiani cultus auctor atque initiator. Ergo character sacramentalis est specialiter *character Christi:* Christi, inquam, qui nunc debet considerari, non secundum quamcumque conditionem, sed *secundum sacerdotium,* quia sacerdotis est principatus cuiusque religionis, seu verae seu falsae.

Et nota, nullum esse posse in ipso Christo characterem sacramentalem ; non enim habet potestatem diminutam et ab alio principali participatam quae in ratione characteris importatur, sed inest ei tota plenitudo sempiterni sacerdotii. Hinc ad Heb. VIII, 1-2 : « Talem, inquit, habemus Pontificem, qui consedit « in dextera sedis magnitudinis in caelis, sanctorum minister et « tabernaculi veri, τὼν αγίων λειτουργὸ », hoc est, supremus sacrorum antistes, a quo semper et in perpetuum derivat omnis cultus Ecclesiae. Consistit enim cultus ille in actionibus hierarchicis in quibus, ut dictum est, involvitur respectus ad Christum tamquam ad principalem mandantem et supremum imperantem, sive actiones sint ministrantium divina, sive recipientium, sive defendentium contra exterius impugnantes.

THESIS XII.

(Art. 5)·

Character inest animae omnino indelebiliter.

In fontibus et documentis divinae revelationis superius relatis (') diserte proponitur character ut indelebilis, *saltem in*

(·) Thes. io.

praesenti vita. Hoc enim ad minus definiunt (. ilia; hoc docet Traditio, quando characteris indelebilitatein ignat veluti rationem ex qua fit ut quaedam sacramenta ii i.iri omnino non possint il'. Evidentissime ergo proponitur character uti indelebilis, saltem pro statu in quo sacramenta recipiuntur, id est, pro statu huius vitae.

Verum, etsi non esset forte haereticus qui diceret characterem esse quidem indelebilem in via, sed non manere in futura vita, certo tamen certius temere contradiceret sententiae in Ecclesia universaliter receptae. Doctores enim communissime tenent absolutam characterum sacramentalium indelebilitatem, quam sequens ratio theologica satis demonstrare videtur.

Quidquid non habet corruptivum ex parte causarum secundarum, nullum novit finem essendi, quia Deus omnia conservat secundum quod sunt capacia perseverandi in esse, iuxta illud Eccl. 111-14. «Didici quod omnia opera quae fecit Deus, persevecrent in perpetuum». Atqui character sacramentalis non habet, nec habere potest huiusmodi corruptivum. Ergo manet indelebilis, tam in praesenti, quam in futura vita. — Minor declaratur, nam commune est omni accidenti ut habeat duas causas desitionis in esse, videlicet si corrumpatur subiectum, vel etiam si in subiecto inducantur alterationes seu dispositiones contrariae, sicut cum per mortale peccatum gratia amittitur. Praeterea vero, accidentia illa quae per modum virtutis instrumentalis considerantur, quorum *esse* non est completum et absolutum in subiecto,

(') Nota bene quomodo exinde confirmatur doctrina superius tradita de modo causalitatis in sacramentis. Si enim sacramentum *primo et immediate* solum characterem inducit, ex indelebilitate characteris evidentissime sequitur inilerabilitas sacramenti. Sin autem, ut quibusdam placet, character et gratia essent effectus *aeque immediati,* nulla foret connexio, saltem ex natura rei. Nam licet sacramentum repetitum non haberet adaequatum illum effectum quem per se causare natum est, adhuc tamen haberet effectum immediatum principalem, scilicet effectum gratiae, *quae semper potest augeri, vel etiam amitti.* Ratio etgo initerabilitatis sumi omnino nequit ex parte characteris, nisi ponas sacramentum non inducere gratiam nisi mediante characterе, et dependenter a charactere prius natura producto, ut in Thesi VI dictum est.

tertiam desitiom ausam habere possunt, scilicet desitionem potentiae principali› uius sunt quaedam dependentia. Sed character sacramentalis nullo ex capite potest corrumpi. Non propter primam causam, quia anima est immortalis. Non propter tertiam, quia potestas sacerdotalis in Christo immobiliter manet. Non denique propter secundam, quia impossibile est ut in anima inducatur indispositio ad characterem . quantumcumque enim anima variet per proprias operationes, nihil impedire potest quominus maneat de iure mancipata ad divinum cultum secundum ritum sacerdotii Christi.

Obiiciet tamen aliquis contra permanendam characteris in futura vita, quod tunc cessabunt omnes functiones ad quas character nos ordinat ; non enim ibi erunt sacra aut tradenda aut suscipienda, non impugnantes contra quos defendatur fides. Erit ergo character inutilis, et ideo delebitur, sicut totaliter desinente fine, desinere debet id quod est ad finem. At facile respondetur cum S. Thoma in praesenti, semper fore rationem permanentiae characteris, videlicet ut sit electis in honorem, damnatis autem in confusionem, sicut si militaria insignia remanerent in militibus post adeptam victoriam, ad gloriam quidem his qui suo officio strenue functi sunt, ignavis vero et desertoribus ad ignominiam.

THESIS XIII.

(Art. 6).

Non per omnia sacramenta imprimitur character, sed per tria duntaxat, per quae homo consequitur novum statum, quantum ad ea quae sunt publici cultus in Ecclesia Dei.

Argumentum principale est auctoritas divinae Traditionis, quae tria tantum sacramenta omnino initerabilia agnoscit. Baptismum videlicet, Confirmationem, et Ordinem. — Certe ordinationem baptismo aequiparat Augustinus quoad initerabilitatem, l. *2* contra epist. Parmen, n. *28 (P.* L. 43. 70): « Illud, ait, quod « quidam eorum(in parte Donati) veritate convicti dicere coeperunt,

«*baptismum quidem no*» *amitti! qui recedit* „ *'dclesia sed ius* «*tamen dandi amittit,* inultis modis apparet i) ,tra et jnanjter «dici. Primo quia nulla ostenditur causa cur illo qui ipsum bapti- « sinum amittere non potest, ius dandi potest amittere. *Utrum-* «*que enim sacramentum est, et quadam conseci atione utrumque* «*liamini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideo-* «*que in Catholica utrumque non licet iterari.* Nam si quando «ex ipsa parte (Donati) venientes etiam praepositi, pro bono «pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est «opus esse ut eadem officia gererent quae gerebant, non sunt « rursum ordinati ; sed sicut baptismus in eis, ita Ordinatio man· «sit integra, quia in praecisione fuerat vitium quod unitatis pace «correctum est, non in sacramentis quae ubicumque sunt, ipsa i «sunt. Et cum expedire hoc iudicatur Ecclesiae, ut praepositi eo- arum venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non «administrent, non eis tamen ipsa Ordinationis sacramenta detra- « huntur, sed *manent super eos.* Ideoque non eis in populo manus « imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria». — Et simili modo baptismati coniungitur Confirmatio, l. 2 contr. litt. Petii., n. 329 (P. L. 43, 342): «In hoc unguento *sacramen-* « *tum Chrismatis vultis interpretari,* quod quidem *in genere vi-* « *sibiliuni signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus,* «*sed potest esse et in hominibus pessimis,* in operibus carnis vi- ttam consumentibus, et regnum caelorum non possessuris... Di- « scerne ergo visibile sanctum sacramentum quod esse et in bo- « nis et in malis potest, illis ad praemium, illis ad iudicium, ab « invisibili unctione charitatis quae propria bonorum est. Discerne «ista, discerne; discernat te Deus a parte Donati, et in Catho- « licam revocet, unde te illi catechumenum abreptum mortiferi «honoris vinculo ligaverunt Porro cum Augustinus meminit *sacramenti quod esse ei in bonis et in malis potest,* non nomi- nat sacramentum exterius seorsum consideratum, quia illud non est *in* homine, sed transeunter homini applicatur. Nominat igi- tur *rem et sacramentum* ; res autem et sacramentum quod in genere signaculorum invenitur, profecto character sacramentalis est. Ergo traditio Christiana tria agnoscit sacramenta quae in-

delebilem quamll r.i consecrationem conferunt, et pro tanto ite rari nequent. Mullum autem aliud fuisse unquam ut tale agni tum, adeo notum est ut demonstratione non opus sit.

Concordat et ratio theologica, quia character non imprimitur nisi in iis sacramentis quibus deputatur homo ad ea quae iu Ecclesia publice aguntur. Hinc per Poenitentiam et Extremam Unctionem imprimi non potest; nam sacramenta ista sunt solum in remedium alicuius accidentalis defectus, scilicet peccati post baptismum, et per ea simpliciter restituitur homo in statum pristinum. Similiter nec in Matrimonio imprimitur, quia licet per matrimonium deputentur coniuges ad generandam et *educandam prolem* ad cultum Dei, ut sic provideatur perpetuitati populi fidelium, tamen huiusmodi munus non est publicum officium, sed magis domesticum, dispositive tantum se habens ad actiones hierarchicas; quo fit ut per matrimonium non consequatur homo novum statum, quantum ad ea quae sunt publici cultus in Ecclesia Christi. In Eucharistiae vero sacramento duo possunt considerari: scilicet ipsa sacramentalis actio consistens in consecratione materiae, tum praeterea usus sacramenti. Et de consecratione quidem, an imprimat characterem, quaestio esse non potest, quia actio illa nihil ponit in anima, sed ad exteriorem materiam terminatur et sic non consecrat cultorem Dei, sed est potius ipse supremus cultus, scilicet Ecclesiae sacrificium. De usu vero dicendum etiam est, quod in eo character non imprimitur, idque ratione perfectionis tanti sacramenti, quod non ordinat hominem ad aliquid ulterius agendum vel recipiendum in sacris, sed est potius omnium sacrorum finis et consummatio, ut Dionysius dicit, c. 3 Ecclesiast. Hierarch. ¶.

(*) « Illud sancte videamus, quam ob causam id quod praecipuis «quoque aliis sacramentis commune, et huic (Eucharistia) per excel- « lentiam prae caeteris sit attributum, ut singulariter communio et synaxis «appelletur; cum unumquodque sacramentum divisas quoque vitas nc>- « stras ad uniformem colligat dedicationem, atque deiformi dissitorum «coagmentatione, cum *illo* uno communicet uniatque. Dicimus igitur, « caeterorum hierarchicorum symbolorum participationibus, ex divinis • huius perfectivisque muneribus accedere consummationem. Vix enim

Relinquitur ergo ut per tria alia sacramen .. imprimatur character, quia uti iam explicatum est, deputant ,:<l divina ex officio. vel *ministranda,* vel *recipienda,* vel *defendenda* contra impugnantes.

« fas sit ullam hierarchici muneris obire functionem, nisi divinissima ‹ Eucharistia, cuiuslibet initio consecrationis, initiandi cum illo uno per- «ficiat conjunctionem, divinitusque tradito consummantium mysteriorum «dono, divinam ipsi conferat communionem» (P. G. 3, 423).

DE CAUSA SACKAMENTORUM

Quaest. LXIV.

Deinde considerandum est de causis sacramentorum, sive per auctoritatem, sive per ministerium, ut suus cuique gradus convenienter assignetur. Et primo quidem agendum de causa cui competit in sacramentis *potestas auctoritatis,* quae est solus Deus. Deinde de causa cui competit *potestas excellentiae,* sive ministerii principalis, quae est Christus in quantum homo. Tertio de causa cui competit *auctoritas dispensandi,* quae est vera Christi Ecclesia. Quarto demum de causa quae nudum et *simplex praebet ministerium,* et quae est Minister immediate conferens sacramentum.

THESIS XIV.

(Art. *1-2).*

Solus Deus operatur per modum agentis principalis interiorem effectum sacramentorum ; et ipse solus potestate auctoritatis sacramenta potuit instituere.

Interior effectus sacramenti est gratia. Sed solus Deus potest virtute propria causare gratiam, quia *donum gratiae est* quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem naturam creatam. Et ideo necesse est quod solus Deus deificet, naturae divinae consortium communicando, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis *C).* Alius interior sacramen-

(») S. Thom., 1-2, q. 112, a. *l.*

torum effectus est character, de quo procedit f. re eadem ratio ac de gratia, quia etsi character non sit ipsa d. ificatio est tamen aliquid quod deificationem appellat et quantum in se est exigit. Et hoc etiam a propria virtute creaturae evidenter removetur. Licet igitur verum sit quod homo etiam causât atque operatur interiorem effectum in sacramentis, non tamen causât nisi ministerialiter, in quantum scilicet ministro utitur Deus, sicut et sacramentali ritu, tanquam instrumento, iuxta illud Florentini in decreto pro Armenis: «Cum principalis causa ex qua «baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis «autem sit minister qui tradit exterius sacramentum, si expri«mitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae « Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum». Quae omnia ex antea dictis sufficienter patent.

Quod autem attinet ad secundam assertionis partem, iam omnia fuerunt praeoccupata in superioribus. Nam ille solus potest *potestate auctoritatis* sacramenta instituere, qui ut principalis auctor dat virtutem sacramentis. Iste autem est solus Deus. Nec occurrit ibi specialis difficultas; unde etiam, non aliam ob causam apposita est prima haec propositio, nisi quia, cum oporteret sub uno capitulo proponere totam seriem causarum a quibus sacramenta pendent, non debuit omitti causa principalis quam aliae omnes praesupponunt. Sed nunc ampliores declarationes requirit *potestas excellentiae,* de qua sit sequens assertio.

THESIS XV.

(Art. 3-4).

Potestas excellentiae in sacramentis competit Christo secundum quod homo; qui etsi potuisset potestatem hanc quibusdam suis ministris aliquatenus communicare, eam nihilominus propter Ecclesiae utilitatem sibi ex toto reservavit; quo fit ut omnia N. L. sacramenta fuerint ab eo immediate instituta.

Potestas excellentiae in sacramentis intelligitur potestas *ministerii principalis,* cuius radix in eo est, quod quis, uti supponitur, contulit merita ad quorum applicationem ordinantur sacramenta. Convenit enim ut ille cuius merita aliis dispensantur, speciale dominium habeat in media per quae sunt dispensanda, principalitatemque obtineat respectu omnium qui in iisdem aliquod exhibent ministerium. Eiusmodi autem dominium ac ministerii principalitas in tribus consistit. Nam homo ille debebit, ut divinitatis organum, institutor esse praefatorum sacramentorum; tum illa eadem per proprios suos ministros iugiter administrare: denique, etiam sine sacramentis, justificationem quam aliis meruit, poterit eis conferre.

Sed haec omnia propria sunt Christo, ipse enim per passionem et mortem suam merita acquisivit quae in N. L. sacramentis dispensantur. Consequenter vero, ipse esse debuit sacramentorum institutor, sicut de Eucharistia diserte narratur Matth. XXVI, 26-28, et de Poenitentia Ioann. XX, 22 23. Ipse similiter principalis manet ministrans, cuius nomine ministrant eaeteri omnes, iuxta illud Ioan. I-33 ; « Super quem videris Spi- ‹ ritum descendentem et manentem super eum, *hic est qui baptizat in Spiritu Sancto* ». Ipse demum virtutem habebat quae sacramentis alligata non erat, quia sine sacramentis *effectum* sacramentorum poterat conferre, sicut cum Luc. *VII48,* solo verbo peccata remittebat.

Eadem etiam excellentiae potestas coosequitur vel solam unionis gratiam : cum enim sanctissima Christi humanitas sit coniuncta Verbo in persona, necesse est ut *principalitatem* habeat respectu omnium aliorum instrumentorum, puta Ecclesiae * et ministrorum eius.

§ 2.

Nunc autem difficultas occurrit quantum ad id quod secundo loco additur: videlicet, *Christum potuisse hane potestatem aliis communicare.* Nam si potestas excellentiae primo et radicaliter in hoc est, quod quis possit acquirere merita per sacramenta aliis applicanda, videretur requiri in eo vis merendi infinita: tum quia in praesenti ordine meritum gratiae debet coniungi cum condigna satisfactione pro peccato, quam infiniti valoris necesse est esse, sicut in materia de Incarnatione ostensum est; tum etiam quia oportet meritum praedictum constituere thesaurum inconsumptibilem qui semper maneat per sacramenta dispensandus, quantumcumque multiplicentur homines ad sacramenta accedentes. Sed milia pura creatura est capax infiniti meriti, vel infinitae satisfactionis. Ergo nulli purae creaturae potuisset a Christo communicari potestas excellentiae in sacramentis.

Praeterea, si alii praeter Christum potuissent habere dictam potestatem, ergo in nomine eorum ministrarentur sacramenta, et sic diversa essent capita a quibus proveniret influxus gratiae, quod in praeiudicium necessariae unitatis Ecclesiae exsisteret; unius enim corporis unum esse caput necesse est.

Denique impossibile est ex praedictis, quod homo instituat sacramentum nisi ut organum divinitatis. Esse autem organum divinitatis, videtur esse proprium illius cuius humanitas est Deo coniuncta in persona. Ergo iterum, idem ac supra.

Sed haec omnia facile solventur si animadvertas sensum praesentis assertionis solum esse, quod de potentia absoluta potuit quidem puris creaturis communicari potestas excellentiae, *non tamen in ea perfectione et eminentia secundum, quam competit Christo.* Et quamvis S. Thomas hànc restrictionem explicite non apponat, clare tamen illam indicat in responsione ad 3ª, dicens quod si praedictam excellentiae potestatem Christus aliis contulisset, ipse nihilominus esset caput principaliter, alii

solum secund fa igitur restrictioni eubin tradictionis app ' in hoc quod alicui puro homini tanta fuisset a Christo colluta gratiae plenitudo, ex qua aliis hominibus meruisset ille gratiam per sacramenta dispensandam. Si enim nunc, homo de condigno meretur sibi augmentum gratiae et vitam aeternam, cur non posset mereri in alio ordine providentiae, non quidem sibi, sed aliis gratiam simpliciter Ex hoc autem primo consequerentur alia tria superius assignata veluti pertinentia ad potestatem excellentiae. Verumtamen non decuit ut potestas ista reipsa communicaretur, ne scilicet sequerentur inconvenientia quae enumerantur in responsionibus ad Γ" et ad 3UI». « Ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ec- « clesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant, *ego sum Pauli, * ego autem Apollo, ego vero Cephae,* ut dicitur i Cor. I-12».

Ad i"m ergo dicendum quod obiectio procedit de potestate excellentiae *omnino primaria* prout est in Christo, non autem de illa *subordinata* et *quasi secundaria* de qua nunc sermo est. Sic enim non includeret id quod pertinet ad condignam satisfactionem pro peocato, sed solum id quod pertinet ad meritum, illudque ultimo innixum meritis ipsius Christi. Nec etiam oporteret ut homo ille purus « haberet efficaciam infinitam in me- « rendo... quia non cooperaretur respectu omnium, nec ita plene « sicut Christus » fl).

Ad 2um iam patet responsio ex praedictis.

Ad 3"ra denique dicendum quod nihil prohibet quominus in organum divinitatis assumatur etiam pura creatura, sicut patet in prophetis per quos locutus est Spiritus Sanctus.

§ 3-

Restat demum demonstrandum, omnia Sacramenta N. L, fuisse de facto a Christo immediate instituta.

Et prima ratio demonstrativa est, quia apostoli se ubique(i)

(i) Thom.. i° ,v· D· 5. ‹l· o a 3. q 3. sot. 2. ad 2"".

dicunt dispensatores mysteriorum Dei atqm «i ministros, institutores autem se negant: « Numquid Paulu rucifixus est pro «vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis J .. Quid igitur est ‹ Apollo, quid vero Paulus ? Ministri eius ‹ u i edidistis... Sic «nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis «quis inveniatur» (1). Si autem ab institutione sacramentorum ex delegata potestate ipsimet excluduntur apostoli, a fortiori excluduntur alii omnes, cum nihil in Ecclesia esse possit pertinens ad fidem et essentialia constitutiva cultus, praeter id quod fuit ab apostolis traditum. Unde Ambrosiaster, de Sacram., l. 4, c. 4 (P. L. 16, 439): « Auctor sacramentorum quis est, nisi Do- « minus Iesus? De caelo ista sacramenta venerunt». Et Augustinus, de vera relig., c. 17 (P. L. 34, 136): «Quae (gratia Dei) «ubi venit, ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto a quo in «libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima consti- ‹tuta sunt, quae societatem christiani populi, hoc est, sub uno » Deo liberae multitudinis, continerent».

Alia item ratio est, quia in omni societate duo genera legum et institutionum distinguuntur. Primum genus procedit ex potestate quam moderni *constituentem* appellant, et comprehendit ea omnia quibus statuitur regiminis forma, itemque quidquid pertinet ad media immutabilia seu fundamentalia, qualia utique sunt in societate religiosa, sacramenta et sacrificium. Alterum genus procedit ex potestate quam moderni mere *legislativam* dicunt, et se extendit solum ad quasdam fundamentalium determinationes, pro variis temporum et locorum adiunctis societati semel constitutae et in eadem sociali forma permanenti vel utiles vel necessarias. Nunc ergo, quanto magis necesse fuit ut Christus amplissimam potestatem legislativam Ecclesiae suae committeret propter absolutam eius perpetuitatem et catholicitatem, tanto etiam magis soli sibi debuit reservare quidquid quolibet modo ad constituentem potestatem refertur; ut scilicet inter multiplices varietates accidentales quas locorum et tempo-

(») 1 Cor. I-13, 111-5, IV-I.

ruin ratio exi ıs 'I semper et ubique esset substantialis unitas, non in fide tantum, sed et in communione eorumdem fontium gratiae, qui sunt sacramenta.

Est etiam assertio theologice certissima ex communi Doctorum consensu, et ex Tridentino, Sess. 7, can. de sacram.: « Si quis dixerit, sacramenta N. L. non fuisse *omnia a Iesu « Christo Domino nostro instituta*... anathema sit »(1). Quo quidem in canone, etsi particula *immediate* sit omissa, ex natura tamen rei subintelligi debet. Sicut enim ea quae praecipiuntur ab Ecclesia ex potestate a Christo recepta, non dicuntur esse iuris divini, sed iuris ecclesiastici, ita omnino instituta quae mediate tantum a Christo processissent, nusquam dicerentur simpliciter institutionis Christi, sed aliorum. Et confirmatur, quia infra, Sess. 14, ‹Je Extrema Unctione loquens Concilium, solam promulgationem Iacobo apostolo attribuit, pronunliatque anathema contra eos qui dicerent, ipsam Unctionem extremam non esse sacramentum *a Christo Domino nostro institutum et a Beato Iacobo apostolo promulgatum.*

Denique in mentem revocabis id quod superius, Thes. 2, notatum fuit : nequaquam necesse esse ut immediatus institutor semper per semetipsum determinet materiam et formam *in individuo,* sed satis esse ut instituat in confuso ea elementa quae sint ad determinatam significationem sacramentalem idonea, committendo inferioribus ministris ut ex pluribus signis aliunde aptis, unum designent. Assignatio enim huiusmodi non versaretur nisi circa aliquid quod est praerequisitum ad constitutionem *signi* in esse sacramenti, et ideo non esset *necessario ab* institutore etiam immediato in quantum huiusmodi. Et de potestate quidem excellentiae hactenus.

Sequitur nunc ordine logico, consideratio causae quae sub Christo habet *auctoritatem dispensationis in sacramentis.* Confitemur enim unum baptisma in remissionem peccatorum, et unam, sanctam, catholicam, apostolicam, Romanam Ecclesiam, a qua.(*)

(*) Denzinger. 844·

modo i»m declarando, omnis ubique trrr..... sacramentorum ministratio dependeat. Hinc :

THESIS XVI.

(L. 4 cont. Gent., c. 76).

In sola Ecclesia catholica residet ex institutione Christi suprema dispensationis auctoritas, et ideo, extra commissionem ab ea acceptam, illicita est et sacrilega sacramentorum administratio.

Ostensum est, apud Deum esse *potestatem auctoritatis* in sacramentis, apud Christum vero, in quantum est homo, *potestatem excellentiae.* Sed tam Deus quam Christus prout sedens ad dexteram Patris, sunt invisibiles. Oportet autem ad visibilia sacramenta visibiles esse dispensatores, et quia quae a Deo sunt, ordinata sunt, necesse est invenire in mundo quamdam supremam visibilem auctoritatem, a qua omnis sacramentorum dispensatio aliquo modo descendat.

Porro supremam *auctoritatem dispensationis* voco illam, cui subordinate omne ministerium in sacramentis, sive quoad legitimitatem, sive quoad validitatem. Quoad legitimitatem quidem, quatenus auctoritas illa est fons unde derivat omnis facultas legitime ministrandi. Quoad validitatem vero, quatenus penes ipsam est regula cui intentio ministri implicite saltem, conformari debet, ad hoc ut valeat sacramentum. Ut autem bene teneas quid distet inter legitimitatem et validitatem, adverte quod aliquid potest, vel fieri simpliciter, vel fieri etiam secundum debitum ordinem. In primo validitas, in altero legitimitas administrationis consideratur.

Supponitur fuisse aliunde probatum, solam Ecclesiam catholicam cui Romanus praesidet Episcopus, esse veram Ecclesiam Christi. Nam, testante Evangelio, aedificatur vera Christi Ecclesia super petram quae est apostolus Petrus in persona suorum successorum in finem usque permansurus. Igitur supremum verae

Ecclesiae regin""| necesse est esse penes successionem apostoli Petri, eamque .| i 'Jcm et conspicuam ; qui enim dicit *super hanc petram,* l | lesiam fundat super fundamentum quod per sensus externos potest attingi. Rursus, cum conspicua ac visibilis successio non sit nisi per continuam pastorum seriem in qua eadem semper moralis persona noscitur permansisse, necessario est concludendum, ibi solum esse Ecclesiam veram, ubi ascendendo ab eo qui nunc praeest, ad eos qui ante illum idem gesserunt munus, invenitur apostolus Petrus totius seriei initiator. Hoc, inquam, est breve compendium demonstrationis catholicae quo usi sunt antiquissimi Patres, Graeci pariter et Latini i1'.

(') Ex Graecis citari potest *Irenaeus,* l. 3 c. haeres., c. 3 (P. (·. 7. 848 sq.) : «Quoniam valde longum est omnium ecclesiarum enumerare «successiones, maximae et antiquissimae a gloriosissimis duobus apostolis • Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet «ab apostolis traditionem, per successiones episcoporum pervenientem « usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo, «praeter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter po- « terniorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, «hoc est, eos qui sunt undique fideles. Fundantes igitur et instruentes «beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae «tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus : post eum tertio loco ab «apostolis, episcopatum sortitur Clemens. Huic autem Clementi succedit « Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis con- « stitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, ac deinceps Hyginus, post « Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc « duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. Hac ordi- « natione et successione, ea quae est ab apostolis in *Ecclesia* traditio et *ve·* « ritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio. « unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in *Ecclesia* ab apostolis « usque nunc sit conservata, et tradita in veritate· — Inter Latinos adest *Optatus,* de schismate Donatistarum, l. 2, c. 2-3 (P. L. 11, 947 sq. . « Igi « tur negare non potes scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram «episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium apostolorum «caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur. Ergo «cathedram unicam quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus : cui « successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus. Anacleto « Evaristus, Evaristo Alexander. Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, « Telesphoro Hyginus, Hygino Anicetus, Aniceto Pius. Pio Soter, So-

speciatimque Augustinus in populari illa . ilena quam inscripsit *Psalmus contra partem Donati* (P. L. 4 . 30);

> Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vit· .
> Dolor est, cum vos videmus praecisos ita iao l
> Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede,
> Et in ordine illo Patrum, quis cui successit, vi<b-t<.
> Ipsa est Petra quam non vincunt superbae inA nim portae
> Omnes qui gaudetis de pace, modo verum iudi- .ite.

His igitur praemissis, ostenditur *primo,* a sola Ecclesia catholica esse posse legitimam sacramentorum dispensationem, quatenus omnis qui ab ea missionem non habet, eo ipso illicite mi- I

• teri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zephyrinus, Zephyrino Cal-
«listus, Callisto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Antherus, An-
«thero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus,
• Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutychianus,
« Eutychiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Sylvester, Sylvestro Marcus,
« Marco lulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius...,
• cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos originem red-
«dite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare».

Haec brevis et simplex demonstratio est, quae usque nunc vim suam ex integro servat, imo tanto est illustrior, quando plura saecula transierunt, et longior Pontificum series, tot inter mundi vicissitudines, indisrupta conspicitur. Haec demonstratio est, quae in ingressu Basilicae S. Pauli extra muros, splendore veritatis, etiam lippientes percellit oculos. Hac demonstratione innixi non egemus commendatitiis epistolis ad omnem conscientiam hominum coram Deo, sed fidenter illud apostolicum assumimus *Pro Christo legatione fungimur:* et iterum : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Una enim apostolica Sedes est immobiliter constituta, quae a Christo immediate (Matth. XVI-19; loan. XXL 17) suam habet potestatem; aqua una, apostolicitas, id est, legitima missio, in totum corpus ecclesiae ei adhaerentis, per omnes hierarchiae gradus refunditur. E contra quibuslibet praecisarum ecclesiarum ministris recte reponeres : Qui estis vos, et in cuius potestate ministerium vestrum exercere praesumitis ? Quis misit, quis munus demandavit? Ubi sunt tituli, ubi litterae commendatitiae ? Ad has certe quaestiones, nullus schismaticus, nullus haereticus, nullus Protestans potuit unquam respondere.

nistrat, et omni- qui recipiendo sacramentum, peccato ministri communicat, «crilege recipit. Ostenditur *secundo,* non legitimitatem tantum, sed et validitatem sacramentorum aliquo modo a subordinatione ad veram Ecclesiam dependere, ratione scilicet intentionis in ministro requisitae, prout infra suo loco magis declarabitur.

§ '·

Et primo quidem, quod attinet ad legitimitatem, principale argumentum inde desumitur, quod auctoritas dispensationis in sacramentis. tota provenit ex missione data apostolis, Matth. XXVII! 19: «Euntes docete.,., baptizantes,..., ecce ego vobiscum sum «omnibus diebus usque ad consummationem saeculi»; et iterum, Ioan. XX-22 : ‹ Accipite Spiritum Sanctum, quorum re- « miseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis re- « tenta sunt»; et iterum, Luc. XXII-19: «Hoc facite in meam commemorationem ». Sed missio apostolica in *sola Ecclesia catholica* est et perseverat. Ergo et auctoritas dispensationis sacramentorum. — Maior est certissima et ab omnibus admissa, quia licet esse possit quod quis dispenset de facto bonum alterius, non accepta ab eo commissione, certo tamen certius nemo dispensat legitime id quod alterius est nisi de mandato eius. Nunc autem sacramenta sunt bonum Christi. *Ergo* ab iis solis legitime dispensantur, qui a Christo missionem habent, scilicet ad quos derivat missio apostolica. Unde maior est omnino inconcussa. Minor vero probatur brevi et obvio argumento, *quia eo* ipso quod in sola catholica est successio Principis *.tposlolorum* in ea etiam, eaque sola, tota est missio apostolis *olim* concredita.

Etenim primo missio ista fuit a Christo data collegio apostolico tanquam hierarchiae seu principatui uni, id est. in partes indépendantes minime *divisibili,* iuxta *illud* loannis XVII *21 :* ‹ Ut « omnes unum sint..., ut et ipsi in nobis unum sint ut credat « mundus quia te me misisti». Cum autem huius unitatis visibile

principium non sit nisi apostolorum caput et pim- i ps ab ipsomet Christo in pastorem universalem agnorum et ı . mm designatus, omnino est impossibile ut in quolibet coetu a summitate seu vertice apostolatus separato ac seiuncto, portio vel exigua apostolicae auctoritatis inveniatur. Quare, cum penes solos n· cessores Petri habeatur fontalis seu originalis apostolicitas, a qua in totum Ecclesiae corpus apostolicitas participata refundatur necesse est, plane sequitur missionem apostolicam in ea sola Ecclesia iugiter perdurare, in qua semper a successoribus Petri *venerandae communionis iura in omnes dimanant.* — Et confirmatur magis quia de facto, in omnibus communionibus a Sede Apostolica separatis evidentissima apparet impossibilitas ut quacumque imaginabili via ministerium suum derivent ab apostolis ; sed e contra factis luce meridiana clarioribus constat illas omnes saeculo quinto, vel undecimo, vel decimo sexto, *a seipsis incepisse.* Certe Michael Caerularius cuius praedecessores supremam Romani Pontificis jurisdictionem ab antiquo agnoverant, anno 1043 missis litteris ad episcopos Occidentis, sese a communione Romanae Sedis separavit, et vinculum subiectionis definitive abrupit. Ex subdito igitur factus est caput independens suae ecclesiae. Iam age. Potestas hierarchae subordinati et potestas capitis independentis non sunt una eademque potestas, sed diversae. Illa ergo potestas independens quae saeculo XI incepit in Patriarchis Constantinopolitanis, inanetque usque nunc fons totius ministerii sectae Graecorum, vel eis advenit via successionis sive haereditalis, vel communicata est per institutionem alicuius qui ad hoc habuit potestatem, vel si neutrum ex his dici potest, fuit usurpata, et si usurpata, ergo non apostolica. Et simile ratiocinium adhibebis circa omnes sectas Protestandum, puta circa Ecclesiam Anglicanam, quidquid nunc sit de validitate ordinationis episcoporum eius, quae omnino est praeter quaestionem, imo vero, abstrahendo etiam a facto illo notissimo, quod ex suprema auctoritate reginae Elisabeth, in qua certe nihil fuit apostolicum, tota prodiit novellae ecclesiae constitutio. Itaque concludamus oportet, in sola catholica permanere, cum missione legitima, auctoritatem dispensationis in sacramentis.

Aliud <]H .]ue argumentum est, quia repugnat ut sacramenta sint b' i n haereticorum vel schismaticorum ; non ergo ab eis legitime dispensantur. — Consequentia est evidens; antecedens vero multis rationibus demonstratur.

Etenim in primis, sectae separatae non sunt sanctae sanctitate principiorum . ergo nulla sacramenta possunt cis esse *propria,* cum sacramenta sint principia sanctitatis. Dico sectas non esse sanctas sanctitate principiorum ¶. quia cum vera religio illa sit, quae ex suis propriis principiis ducit hominem ad religionis finem qui est coniunctio cum Deo ultimo fine, prorsus impossibile est ut sit sanctitas principiorum, ubicumque vera religio non est. Quare, si forte in sectis inveniantur vera sacramenta, non sunt in eis nisi *ut alienum bonum,* quod ad salutem prodesse non potest ei qui *sciens et prudens* ab eis illud accipit, quamdiu utique separationis sive schismatis error non correctus perseverat. — Adhuc, sectae qua tales vocantur synagoga Satanae, cuius capita antichrist! sunt, ut dicitur i Ioan II-r8 et seq. Impossibile igitur est ut legitime detineant bona quae a Christo fuerunt Ecclesiae concredita. — Adhuc, sacramenta sunt natura sua verae fidei protestationes ; ergo iterum, ad illam solam Ecclesiam pertinent ut bonum proprium, cuius est vera atque indefectibilis fides. — Hinc Augustinus, l. r de bapt., c. 14 (P. L. 43, 121), Frustra ergo nobis dicunt : « Si baptismum nostrum acceptatis, quid minus « habemus, ut nobis de vestra communione consulendum putetis? « Respondemus enim : Non baptismum vestrum acceptamus, quia « non est baptismus ille schismaticorum vel haereticorum, sed Dei « et Ecclesiae, ubicumque fuerit inventus, et quocumque transla- « tus. Vestrum autem non est, nisi quod *prave* sentitis, et *sacri- st lege* agitis, et impie separamini » (2).

(*) Hinc ulterius sequitur, nullam sectam esse pusse sanctam *sanctitate membrorum;* nam. si contingat aliquos ibi esse qui vere iusti sunt coram Deo, hoc non est nisi *pe>- accidens, hoc est,* praeter vim et influxum propriorum principiorum. Nulla autem societas denominatur ab iis quae in ea sunt per accidens.

C) Notandum est quod ab Ecclesia catholica derivat quandoque, etiam in haeretico, vel schismatico, vel vitando, facultas ministrandi.

Hactenus ergo de necessaria subordination· d veram Ecclesiam, quantum ad legitimitatem ministerii. Rest .i nunc dicendum de validitate.

§ 2·

Supponitur notum ex certissimis divinae i'l aditionis documentis *in sequenti thesi afferendis,* posse extra l a (lesiam veram, et praeter missionem ab eadem acceptam, *valide confici sacramenta* (') ; adeoque, divinam legem excludentem haereticos vel schismaticos a dispensatione sacramentorum, non osse legem irritantem, sed prohibentem tantum. Voluit enim Christus ex abundantia suae bonitatis, ut etiam extra Ecclesiae fines remedia salutis possent inveniri, non quidem iis profutura qui ex certa scientia illegitimo ministro adhaererent, sed certe iis qui a peccato communicationis cum falsa secta, vel per poenitentiam absolverentur, vel praesertim ratione bonae fidei aut carendae usus rationis, totaliter excusarentur. In huius rei figuram, flumina irrigantia terrestrem paradisum egrediebantur de loco voluptatis et circumibant totam terram, uti pulcherrime exponit Augustinus, l. 4

scilicet *in fasti necessitatis,* ut fert notissima regula iuris. Quare baptizans vel absolvens in tali necessitate, non est amplius minister illegitimus, ut constat,

ł Quaedam restrictio facienda est quoad sacramentum Poenitentiae, ad cuius validitatem requiritur jurisdictio quae per ordinationem non datur, sed per solam communicationem a praelatis Ecclesiae. Unde in seclis Graecorum, ubi sunt presbyteri et episcopi valide ordinati, sacramentum Poenitentiae nullum est, nisi in articulo mortis, in quo omnis sacerdos habet a Catholica, ut possit absolvere. *Forte tamen dici posset. Ecclesiam supplere in quibusdam regionibus, ubi adest communis error, scilicet bonafides, et titulus coloratus ex parte sacerdotum.* — Esset etiam quaedam restrictio facienda pro Matrimonio, post decretum Tridentini inducens impedimentum clandeslinitatis. De quo tamen alias, praesertim quia praesens consideratio procedit de illis sacramentis quae nata sunt confici per exercitium potestatis sacrae, et ad quorum regularem administrationem ordinat character sacerdotalis; cuiusmodi Matrimonium non e'l·

ï'iÜé

de bapt., c. i J'· E- 43. I53): «Ecclesia, inquit, paradiso cornpaît rata indicat m. bi posse quidem eius baptismum homines etiam « foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel « percipere vel tenere. Nam et flumina de fonte paradisi, sicut Scrip- « tura testatur, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe « commemorantur, et per quas terras fluant, et quia extra para- « disum constituta sunt, omnibus notum est. nec tamen in Me- « sopotamia vel in Aegypto, quo illa flumina pervenerunt, est « felicitas vitae quae in paradiso commemoratur. Ita fit ut cum « paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi « intra paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiae potest esse extra « Ecclesiam, munus autem beatae vitae nonnisi intra Ecclesiam « reperitur, quae super petram fundata est, quae ligandi et sol- « vendi claves accepit. Haec est una quae tenet et possidet « omnem sui sponsi et Domini potestatem ».

Quae igitur cum nota supponantur, statuendum nunc est. requiri ad validitatem sacramenti ut minister etiam illegitimus, sit *aliquo modo* catholicae minister Ecclesiae, per intentionem saltem implicitam faciendi quod facit Catholica. Ratio est quia, ut infra dicetur ζl), ad sacramentorum valorem necessaria est intentio, eaque interna, faciendi id quod Christus instituit. Sed id quod Christus instituit, necessario convertitur cum eo quod indefectibiliter in finem usque facit et faciet Catholica, iuxta illud Evangelii: « Ecce ego vobiscum sum (docentibus, baptizantibus), *i* usque ad consummationem saeculi ». Ergo ad valorem sacramentorum requiritur intentio saltem implicita, faciendi quod facit Catholica. Et nota quomodo non valeat argumentum de quacumque secta: primo quidem quia, quod in aliqua secta fiat id quod Christus instituit, tam potest esse quam potest non esse: praeterea vero, quia nunquam secta reduplicative ut secta, exsequitur institutum Christi. Hinc, qui solam haberet intentionem faciendi quod facit Anglicana vel Lutherana in quantum huiusmodi, profecto non conficeret: quippe istud quod Lutherana facit qua Lutherana, non illud est quod faciendum mandavit Christus.

(») Infra, Thés. XVIII.

Nec dicas quod si ita res se habeat. \i poterit unquam contingere ut minister haereticus habeat intenti--nem sufficientem ad valide conficiendum. Nam hoc non sequitur, et potest apte illustrari exemplo matrimonii *inter baptizatos*. 1. hoc enim quod Christus elevavit ipsissimum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti, ita ut nequaquam valere possit in ratione contractus quin simul sit verum sacramentum, statim consequitur quod Christianus habens pro intentione praedominante voluntatem faciendi verum contractum, ipso facto habet implicite intentionem faciendi sacramentum, et hoc modo est minister Christi, ptsi forte contingat ipsum non credere in Christum, vel non habere matrimonium ut sacrum. Et tunc solum non esset validus sacramenti minister, adeoque nec vere contraheret, si haberet pro intentione praedominante voluntatem non faciendi id quod fuit institutum a Christo; praedominans enim ista intentio destrueret aliam quam habet, vere contrahendi. — A pari, quia Catholica indefectibiliter facit usque ad mundi finem, id quod sibi fuit demandatum. quisquis habet pro intentione praedominante voluntatem faciendi id quod instituit Christus, vel certe ritum qui apud Christianos creditur a Christo institutus, eo ipso habet implicite voluntatem faciendi id quod facit Catholica, etiamsi iorte contingat ipsum ignorare Catholicam, vel credere illam esse falsam. Et tunc solum non haberet intentionem sufficientem ad valorem sacramenti, si praedominans intentio eius esset voluntas non faciendi id quod facit Catholica, quia praedominans ista intentio destrueret aliam quam forte habet, faciendi verum sacramentum. Constat autem, casum hunc vix ac ne vix quidem posse contingere.

Concludendum ergo est, ministrum etiam illegitimum non conficere sine subordinatione ad veram Ecclesiam, quia actio sacramentalis non elevatur instrumentaliter, nisi in quantum procedit ab intendente facere illud quod facit illa Ecclesia, cuius vere sunt sacramenta.

Pulchre Augustinus veritatem hactenus propositam typice figuratam ostendit in iis quae leguntur de uxoribus Patriarcharum; omnia enim in figura contingebant illis, et sensu allegorico significabant quae eventura erant in temporibus Novi Testamenti.

Tres recenset series factorum in tribus patriarchis. Abraham, Isaac, et Iacob. — Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et alium de libera ; sed solus Isaac de libera natus, in benedicto Abrahae semine computatus est, eiecto Ismaele qui contra legitimam matrem et filium eius superbe insurrexit. — Iacob autem habuit filios duodecim, alios ex ancillis, alios ex liberis Lia et Rachel natos, qui tamen omnes in duodecim tribubus haereditatem domus Abrahae consecuti sunt. — Denique Isaac habuit duos gemellos ex una libera, et cum essent ambo iure nativitatis pares, solus Iacob electus est, Esau vero reprobatus, quia primogenita vendidit et donum acceptum non servavit.

Vide nunc, quid ista mystice significent. — In duobus Abrahae filiis, Ismael figurat eos qui baptizati inter haereticos gratiam baptismatis vel non consequuntur vel non servant, et e domo Dei eiiciuntur, eo quod contra Catholicam Ecclesiam, legitimam ac liberam uxorem, cuius proprium bonum est baptismus, rebelles se exhibent. — In duodecim filiis Iacob, illi qui ex ancillis nati erant, figurant eos qui baptizati inter haereticos gratiam baptismatis consequuntur, et ideo, simul cum aliis computantur in spirituali Abrahae semine, eo quod contra legitimam matrem Catholicam Ecclesiam non insolescunt, sed vel ad eam convertuntur, vel certe voto implicito se ei subiiciunt, in bona fide et voluntate servandi omnia mandata perseverantes. — Denique in duobus filiis Isaac, Esau significat eos qui in ipsa Catholica baptizati gratia baptismatis carent, quia primogenita vendunt ; de quibus spiritualiter accipitur illud Malachiae : « Et posui « montes eius in solitudinem, et haereditatem eius in dracones « deserti ».

• Videntur, inquit Augustinus (x), sibi ,qme quaerere . utrum generet filios baptismus Christi in parte l)onati, an non «generet: ut si consenserimus quod generet, s-i.:m esse asseve· « rent Ecclesiam matrem, quae filios potuit de Christi baptismate «generare... Quasi vero ex hoc generet unde separata est, et «non ex hoc unde coniuncta est. Separata est enim a vinculo • chaiitatis, sed iuncta est in uno baptismate, itaque est una « Ecclesia, quae sola Catholica nominatur: et quidquid suum « habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, « *per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illae...* « Ergo ipsa generat, *et per uterum suum, et per uteros ancil-* • *larum,* ex eisdem sacramentis tanquam ex viri sui semine. «Non enim frustra dicit Apostolus, omnia illa in figura esse « gesta. Sed qui superbiunt et legitimae matri non adiunguntur, « similes sunt Ismaeli, de quo dictum est: *Eiice ancillam et fi-* • *Hum eius, non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo* • *Isaat.* Qui autem pacifice diligunt legitimam patris sui coniu- « gem, similes sunt filiis Iacob, quamvis de ancillis natis, sed « tamen eamdem haereditatem sumentibus. Qui autem de utero « ipsius matris intus in unitate nati negligunt gratiam quam «acceperunt, similes sunt Esau filio Isaac, qui reprobatus est, « Deo attestante et dicente: *Iacob dilexi, Esau autem odio ha-* • *bui,* cum ambo ex uno concubitu concepti, ex uno utero nati « sint ».

Ergo absurdum est dicere, quempiam esse Protestantem, Lutheranum, Calvinistam, Anglicanum *baptismate.* Baptismate

(') August. l. t de bapt, c. 10 (P. L. 43, 116, 117). — Ubi obiter nota quod cum dicuntur sectae haereticorum figuratae in ancillis patriarcharum, non oportet ut ratio typi ad antitypum teneat in omnibus. Et non sequitur ancillas illas nullo modo fuisse in conscientia uxores, sicut sectae nullo modo sunt legitimae sponsae Christi. Comparatio igitur tenet quoad ancillatum, non quoad reliqua. Quatenus, ut Bellarminus ait, quamdiu viguit dispensatio a Deo data circa polygamiam, duo genera uxorum erant. Quaedam ductae non solum ad procreandos filios, sed etiam ad domus gubernationem, liberae et nobiles. Aliae in conscientia etiam uxores, non tamen admissae ad communionem bonorum, ancillae inferioris conditionis.

enim accipit uni quisque characterem christianitatis; christianitas autem tota st in Catholica, quae sola est exercitus imperatoris Christi, Ιηιη sectae qua tales non sunt nisi desertorum et rebellium <«mgregationes. Sicut ergo impossibile est militem incorporari legioni rebellium per ipsum imperatoris characterem, ita impossibile est aggregari hominem sectae haereticae, ipso sacramento. Sed si de facto aggregatur, hoc non contingit nisi ex voluntaria adhaesione quae contradicit nativae virtuti characteris, et characteris obligationes nullatenus valet auferre.

Hinc omnes infantes apud haereticos vel schismaticos valide baptizati, quousque ad annos discretionis pervenientes suae sectae *voluntarie* adhaereant, seseque cum illa voluntario vinculo communionis innectant, non tantum de anima, sed et de corpore verae Ecclesiae exsistunt, *suntque veri nominis catholici.* Et ratio evidens est, quia in eis nullus esse potest actus contrarians naturalem vim characteris et sacramenti. Quo fit ut si contingat postea ipsos de via salutis dubitare, recte eis dici possit, discessum a sua secta reditum fore ad Ecclesiam sui baptismatis. Constat autem, huiusinodi considerationem esse posse magni ponderis apud protestantes vel schismaticos haesitantes ; iuvat enim ut intelligant, se, veniendo ad Catholicam, minime renuntiare baptismati quod olim secundum morem paternum receperunt, sed magis, errore detecto, reverti ad illam ipsam Ecclesiam ad quam vel ab initio *iure simul et facto* pertinuerunt.

Hinc etiam omnes adulti charactere baptismati insignit), sin minus re, at certe *iure et debito,* catholici dicendi sunt. Quare Ecclesia catholica in eos, non secus ac in filios, plenissimam habet jurisdictionem, sicut legatus imperatoris potest in omnes qui ad militiam adscript) sunt, sive adsint isti intra fines exercitus, sive inveniantur apud desertores. Non ergo limites sui iuris prae tergressa est Ecclesia, quoties exercuit in quoslibet baptizatos potestatem coactivam, subtrahendo etiam pueros a potestate paterna, ubi aliter provideri non potuit catholicae educationi eorumdem.

Ergo demum, in adultis sine subiectione ad Ecclesiam eatholicam, vel in re vel in voto, sacramentorum susceptio effectum

gratiae habere nequaquam potest. Ratio est qui,, in adulto requiritur dispositio, dispositio autem ad gratiam n ▮ est nisi sit voluntas se subiiciendi Christo secundum institutum ab eo ordinem et modum. Sed ille modus et ordo stat in subicctione ad caput ministeriale, mediante quo fieri debet coaptatio ad caput principale quod est Christus ipse, sicut in corpore naturali pectus non unitur capiti nisi mediante collo.

THESIS XVII.

(Art. 5-9).

Bonitas vel fides ministri ad sacramentorum valorem minime requiritur; nihilominus, ministrantes ex officio sacramenta in statu peccati, mortaliter peccant.

Postquam dictum est de *potestate auctoritatis* in sacramentis, tum de *potestate excellentiae,* necnon et de *auctoritate dispensationis,* superest ut dicatur de causa ad quam pertinet *ministerium immediatum.*

Supponitur autem, ministerium illud de lege saltem ordinaria non pertinere ad angelos, sed ad solos homines (J), tametsi non quilibet homo, imo nec quilibet christianus sit validus minister cuiuslibet sacramenti, ut definivit Tridentinnm, Sess. 7, can. 19. Cum tamen conditiones ministri varient pro sacramentis singulis, nihil aliud nunc, determinandum venit nisi id quod aut *nunquam* ad ministerii validitatem requiritur, aut e contra *semper* requiritur. Porro primum horum declaratur in praesenti, alterum vero in sequenti propositione exponendum remanebit.

(·) S. Thom., hic. art. 7: "Tota virtus sacramentorum a passione • Christi derivatur, quae est Christi secundum quod est homo, cui in • natura conformantur homines, non autem angeli. Et ideo ad homines • pertinet dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem ad • angelos ».

Quod bonitas vel fides nunquam requiritur in ministro ad valorem sacramentorum. — Qua in re statim notandum est satis esse ut demonstretur non requiri *fidem,* quia fides potest quidem esse sine bonitate, non tamen bonitas sine fide ; unde, si fides non est necessaria ministri conditio, a fortiori nec bonitas. Tota igitur quaestio revocatur ad validitatem sacramentorum ab haereticis collatorum, quae quidem fuit in praecedentibus supposita, sed nunc debet ex professo vindicari ut fidei dogma iam ab antiquo in Ecclesia definitum.

Porro nulla in praesenti afferri potest ratio demonstrativa ex natura rei ; nullum etiam invenitur sufficiens Scripturae testimonium ; quare argumentum sumitur ex divina Traditione, cuius praecipua documenta extant in celebri controversia inter Cyprianum et Stephanum Pontificem exorta, necnon et in disputationibus Augustini contra Donatistas.

Agrippinus scilicet Carthaginiensis episcopus, qui saeculo III floruit, ducentis circiter annis ante Augustinum, introduxerat in ecclesia sua morem rebaptizandi eos qui ex haeresi redibant ad Catholicam, existimans baptismum ab haereticis datum, esse nullum. « Quondam, inquit Lirinensis (1), venerabilis memoriae * -Agrippinus..., primus omnium mortalium, contra divinum ca- « nonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum « omnium consacerdotum, contra morem et instituta maiorum. « rebaptizandos censebat ». Porro Cyprianus Agrippini successor, etsi non immediatus, hanc sententiam et novellum morem cum nonnullis aliis Orientis et Africae episcopis approbavit, imo in Concilio Carthagine celebato lata lege sancivit. Quod ubi rescivit Stephanus Papa, decretum tulit vetans ne quid innovaretur, praeter id quod traditum fuerat (-). Non acquievit Cypria-

(·) Vincentius Lirin., Communit., n. 6 (P. L. 50. 645).

(q Cf. Enchirid, n. 46 et nota obiter, quomodo in hoc facto spienleat illustre signum inerrandae Romanae cathedrae. Nam certe, non

nus, imo et verbis durissimis ex irae impetu idversus Pontificem reclamavit (1). Stephanus tamen qui communicationem minitatus fuerat, ad exsecutionem non venit, et nunquam ruptum est vinculum communionis. Interim vero, martyrio affectus Cyprianus reliquit fluctuantem Africanam ecclesiam, donec in plenario Concilio de quo saepe loquitur Augustinus, scilicet in Nicaeno (2). antiquissimus mos fuerit penitus confirmatus, ac per hoc, validitas sacramentorum ab haereticis collatorum, auctoritate totius Ecclesiae definita. Quae omnia breviter complexus est ipse Augustinus, ubi ostendens auctoritatem Cypriani frustra obiici a Donatistis, ait I. 2 de bapt., c. 9 (P. L. 43, 135): «Nondum « factum erat (de baptismo haereticorum) transmarinum vel universale concilium, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terra- « rum, et haec sola (consuetudo) opponebatur inducere volentibus -novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea « tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur et quae- « ritur, non solum inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii « auctoritatem roburque perducta, post Cypriani quidem passio-

parvae auctoritatis erat Cyprianus cum suo Concilio; praeterea rationes quibus innitebatur, etsi falsae, non erant tamen contemnendae : imo, ut dicit *Augustinus, l. 2 de bapt., c. 8 et 9* (P. L. 43, 134-35), solutio earum non erat inventa, et nihil poterat opponi praeter antiquam consuetudinem Ecclesiae. His non obstantibus. Pontifex minime dubitans Statim principiis obstat: *nihil innovetur, nisi quod traditutu est.*

(1) Vide apud Augustinum, 1.1 de bapt., c. 18 (P. L, 43, 124-25), excusationes pro Cypriano, quarutn principalis ea est, quod mansit in unitate Ecclesiae catholicae, et falce martyrii omnia purgavit. — Quidam multum abutuntur obiurgationibus Cypriani adversus Romanum Pontificem, sed profecto sine causa. Nam Cyprianus ex irae impetu loquens, Cyprianus sententiam falsam propugnans.Cyprianus a caeteris catholicis Patribus in hoc derelictus, divinae traditionis testis non est. Quare exaestuanti Cypriano liceat opponere Cyprianum pacato animo loquentem, et pro cathedra Romana in libro *de unitate Ecclesiae,* et alibi, tot egregia testimonia proferentem. — Caeterum, decretum Stephani non erat dogmaticum, quid credendum sit definiens, sed decretum disciplinare vetans ne contra morem antiquum, venientes ex haevesi rebaptizarentur

(2) Enchirid., n. 55-56.

«nem. sed m quam nos nati essemus. Hanc autem fuisse con-
«suetudinem Ecclesiae (non rebaptizandi), quae postea, multi
«discussi; ibagibus perspecta veritate, plenario concilio con-
« firmata es , satis ostenditur et ipsius beati Cypriani verbis in
«eadem ad lubaianum epistola... Ait enim: *Sed dicet aliquis.*
« *quid ergo fiet de his qui in praeteritum de haeresi ad Eccle-*
« *siam venientes, sine baptismo admissi sunt?* Ubi certe, quid
« fieri soleret satis ostendit, et eo ipso quod concilium Agrip-
« pini commemorat, aperte indicat fuisse aliam consuetudinem
« Ecclesiae... Quapropter, illud unum isti (Donatistae) conside-
« rent, quod omnibus patet: Si auctoritas Cypriani sequenda est.
« magis eam sequendam in unitate servanda, quam in Ecclesiae
« consuetudme commutanda. Si autem concilium eius attenditur,
« huic esse universae Ecclesiae posterius concilium praeponen-
« dum, cuius se membrum esse gaudebat, et ut se in totius cor-
« poris compage retinenda caeteri imitarentur, saepius admone-
* bat». Ex qua Augustini auctoritate tria in comperto sunt, quae rem omnino conficiunt.

Primum quidem in comperto est, veterem atque immemorabilem fuisse Ecclesiae consuetudinem non rebaptizandi eos qui veniebant ex haeresi : in qua certe consuetudine implicite continebatur fides validitatis baptismi ab haeretico ministro collati. — Constat praeterea, oppositionem Cypriani et aliorum eiusdem sententiae, nequicquam officere certitudini traditionis, quia radicem non habebat nisi in quibusdam theologicis rationibus difficilis solutionis, quae contra morem observatum militare *videbantur,* siinulque eius illegitimitatem demonstrare: «Nec ob *aliud r* illis temporibus, quando ista quaestio contra veterem consue-
«.tudinem discutiebatur, visum est quibusdam etiam egregiis viris
« antistitibus Christi, inter quos *praecipue* beatus *Cyprianus emi-*
« nebat, non esse posse apud haereticos vel *schismaticos bapti-*
« sinum Christi, *nisi quia non distinguebatur sacramentum ab*
« *effectu vel usu sacramenti.* Et quia eius effectus atque usus
« in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud haereticos
« non inveniebatur, ipsum quoque sacramentum non illic esse

«putabatur» (l). — Hinc tertio, sponte sua .. usequitnr, veritatem de valore sacramentorum ab haereticis ‹ l i itorum esse de genere eorum dogmatum quae communi praxi. magis quam instanti et expressa praedicatione in prima aetat< ‹ inservabantur; cui primaevae aetati successit tempus in quo inceperunt proponi apparentes rationes contra consuetudinis legitimii.item ; tum orta est apud quosdam haesitatio, imo et oppositio, apud alios vero studium introspiciendi penitius radices traditionis et solvendi rationes in contrarium, donec tandem, re discussa, post solemne iudicium Ecclesiae consensus unanimis fuerit in perpetuum confirmatus.

Ratio demum theologica ad eiusdem dogmatis declarationem his terminis continetur. — *Primo,* non requirebatur ex natura rei bonitas vel fides in ministro ad valorem sacramentorum, nam absque vera fide vel statu gratiae potest homo esse minister Christi, id est, ministerialiter peragere id quod Christus in sacramentis instituit; idque ex dicendis in propositione sequenti luculenter apparebit. — *Secundo,* potuisset tamen Deus constituere ut nullus nisi de corpore verae Ecclesiae exsistens valide ministraret sacramenta, sed ex abundantia bonitatis suae, ut dictum est, hanc restrictionem non opposuit ; de quo nos certiores reddunt documenta revelata. — *Tertio,* potuisset etiam statuere ut intra ipsum visibile verae Ecclesiae corpus, nullus sine interiori fide et sanctitate validus minister exsisteret. Sed hoc ultimum esse omnino non debuit : tum quia homines fuissent de facili in errorem inducti, putantes sacramenta habere virtutem ex merito ministrantium ; tum praesertim quia, ut plurimum, nequidem morali certitudine constare potuisset de sacramentorum validitate. Unde omnia forent anxietatibus et incertitudinibus plena, dum semper occurreret timor ne defuerit in ministro interior fides, vel, quod frequentius contingere potest, status gratiae. Constat autem, huiusmodi inconveniens pertingere usque ad veram repugnantiam quoad sacramenta imprimentia chara-(*)

(*) August., l. 6 de bapt., η. i (P. !.. 43,

cterem, cum de ratione characteris sit, ut cum morali certitudine innot- ,-t iis qui sunt de Ecclesia.

§ 2·

Quod nihilominus mali ex officio ministrantes sacramenta mortaliter peccent. — Etenim, exhibere Deo immundum instrumentum ad divinissimos effectus producendos, constituit irreverentiam gravem in genere suo, cum rectus ordo postulet ut minister qui est quoddam instrumentum animatum, Domino conformetur, iuxta illud Levit. XIX-2: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Ergo conficere sacramenta in statu peccati, peccatum est grave ex genere suo. — Dixi *ex genere suo,* quia propter aliquam imperfectionem in genere talis actus, potest tolli deordinatio. Unde dicit S. Thomas, Q. 64, a. 6 in responsione ad 3'im, non esse peccatum nisi in eo qui ministrat ex officio, hoc est, formaliter ut deputatus ad tale ministerium vi characteris. Cuius ratio est, quia baptizans in articulo necessitatis deficit a perfecta ratione ministri, ideoque operatio eius est quid imperfectum in genere administrationis sacramentorum, non quidem ex parte sacramenti, sed ex parte conficientis; non enim exit operatio ab agente proprio, sed a subveniente extraordinarie ei qui in necessitate versatur. Ex huiusmodi autem imperfectione excusatur actus a mortali, sicut etiam in humanis rusticus per accidens et in casu necessitatis Regi deserviens, non tenetur ministrare cum illo speciali ornatu et decoro, quod in eo desideratur qui est ex officio ad ministrandum deputatus.

Ex dictis resolves, an sit licitum suscipere vel petere sacramenta a *malo ministro.* — Distingue ministrum *illegitimum,* qui scilicet a vera Ecclesia facultatem non habet sacramenta dispensandi, (puta haereticum, vel vitandum, extra casum necessitatis), et ministrum *legitimum* qui tamen est indignus ratione status peccati in quo versatur.

Ab illegitimo ministro nunquam licet vel petere vel etiam suscipere sacramentum. Ratio est quia, si minister est illegiti-

mus, illegitima est ministratio sacramenti s- udum se, et per consequens illegitima susceptio. Nota tamen κ strictionem superius factam quoad illegitimitatem ministri ; *in casu enim necessitatis,* omnis homo est legitimus minister baptismi, et omnis sacerdos est legitimus minister poenitentiae, idroque *per se loquendo,* cessat prohibitio respectu ministri etiam haeretici vel schismatici. Dixi, per se loquendo, quia si tales essent circumstantiae in quibus admittere ministerium hominum eiusmodi, haberi posset ut actus defectionis ab Ecclesia vel adhaesionis ad sectam separatam, ne in ipsis quidem mortis angustiis sacramentum baptismatis vel poenitentiae ab eis liceret accipere, sed tunc sola contritione cordis cum Deo esset agendum.

Nunc autem a legitimo ministro malo semper licet *recipere* sacramentum, nam «ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sa· «cramenta a ministro Ecclesiae, non in quantum est talis per· « sona, sed in quantum est minister Ecclesiae. Et ideo, quamdiu «ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sa· « cramentum non communicat peccato eius, sed communicat «Ecclesiae quae eum tanquam ministrum exhibet» (l). Ab eodem semper etiam licet *petere,* imo *exigere,* si ipse ratione sui muneris tenetur ad ministrandum : nemo enim peccat petendo id quod sibi debetur ; aliunde vero non inducitur minister in peccatum, quia semper potest poenitere et sic licite ministrare, habetque gratiam ad hoc praeparatam. Denique, etiamsi non teneatur ille vi muneris, adhuc sacramentum *petere* licet ex quacumque gravi causa; cum enim actus ministri non sit peccami· nosus secundum se, sed tantum ratione circumstantiae quam ipse per contritionem cordis potest auferre, nonnisi ex charitate tenetur quis omittere petitionem, atqui charitas, ut fert regula iuris, non obligat cum tanto incommodo.V)

V) S. Thorn., hic, a 6, ad 2U“ .

THESIS XVIII.

(Art. 8).

Dogma catholicum est, necessariam esse in ministro ad valorem sacramenti, intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Insuper communis et vera sententia docet non sufficere intentionem, ut aiunt, externam, sed internam omnino requiri.

Dicitur requiri intentio faciendi quod facit Ecclesia, quidquid tandem illud sit in opinione eius qui ministrat sacramentum. Unde S. Thomas : « Quamvis ille qui non credit baptismum esse sacramentum, aut habere aliquam spiritualem «virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, « tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi «illud reputet nihil esse; et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex « consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non «explicite» (»), Sed nec est necesse ut minister cogitet de Ecclesia, vel circa illam non erret ; satis enim erit si feratur intentio eius in aliquid quod sit *idenlice* id quod Ecclesia facit, utputa si agere intendat illud quod instituit Christus, vel quod iubetur in Evangelio, vel quod Christiani facere solent secundum praescriptum suae religionis (2).

(·) S. Thom., in IV, D. 6, q. i, a. 3, q. 3, sol. 2, ad 1"".

(·) Sensus ergo praesentis articuli non est quod debeat esse *forna-Uter* in intentione ministri, id quod est in intentione Ecclesiae. Certe, in intentione Ecclesiae est facere sacramenta vere efficientia id quod significant, et ideo, si oporteret hoc idem esse formaliter in intentione ministri, consequens foret quod incredulus reputans sacramenta nostra nihil aliud esse quam vanas et vacuas caeremonias, nunquam posset illa valide ministrare Hoc autem sustineri nequit, et jam fuit exclusum in propositione praecedenti, in qua ostensum est minime requiri fidem in ministro. Sufficit igitur ut id quod intendit minister sit *identic* a* parte rei, id quod Ecclesia intendit et facit, sicut patet in exemplis al-

Cum autem in asserenda necessitate licatae intentionis convenirent omnes catholici, ecce saeculo XVI introducta est a Catherine nova quaedam opinio, asserens officere intentionem *mere externam.* Porro vocatur externa, non quod considerata in se, interna non sit, sed quia tota versatu i ir< a externam apparentiam; consistit enim iuxta Catharinum. in voluntate qua quis vult se haberi exterius ut serium sacramenti ministrum, quantumvis intus apud se intendat irridere vel simulare. Plerique tamen ex paucis illis theologis qui Catharino consentiunt, dicunt non sufficere praedictam intentionem externam, nisi quando minister rogatus conficit sacramentum, in loco et vestibus sacris iuxta ritum Ecclesiae consuetum, quia, inquiunt, per has circumstantias exterior ritus per se indifferens determinatur ad esse sacramentale.

Porro Catharini opinio non habetur ut Tridentino anathemate perculsa. «Censeo, inquit Pallavicini f1), sententiam Tri« denti proscriptam (2), eamdem esse quam Leo X per suam «constitutionem in Luthero damnavit: videlicet, ita fuisse a « Christo institutum sacramentum, ut etiamsi minister per ma«festam irrisionem ac ludibrium illud peragat, effectum conse«quatur... At vero catholici doctores quos numeravimus, conve« niunt in exigenda ad efficaciam sacramenti voluntatem, non modo « exsequendae illius exterioris actionis physice consideratae quam « praestat Ecclesia (quae voluntas est pariter in homine ludicre « sacramentum administrante), sed voluntatem eius actionis exer-

latis de intentione faciendi *quod Christus instituit aut creditur instituisse,* vel *quod Christiani faciunt secundum ritum suae religionis,* vel *quod intendunt recipere fideles sacramenta petentes,* etc. Unde apparet quomodo tudaeus etiam, vel paganus, possit habere intentionem sufficientem ad baptizandum. Cogita ex. gr. catechumenum in articulo necessitatis constitutum, qui paganum rogaret dicens: Fac mihi, obsecro, hanc misericordiam, ut mihi aquam infundas dicendo, ego te baptizo, etc., cum intentione faciendi id quod ipsemet intendo recipere secundum praescriptum legis Christianorum.

V) Pallavicini, Hist. Cone. Trid. l. g, c. 6.

C) Triden.. Sess. VU, can. ii de Sacram. (Denzinger 854).

« cendae *pe*› ·ı›» *exteriorem caeremoniam hominis serio agentis,* « ac per spe· ı m hominis eo illam dirigentis quo Ecclesia di» «rigit». Nihilominus in contrarium est communissima theologorum do· lina, cui omnino standum est. Docet requiri intentionem *internam,* quae scilicet non tota versetur circa apparentiam exteriorem, sed sit intentio qua minister non solum vult cohibere omnem ostensionem simulationis ab actione quae foris apparet, sed etiam vere apud se intus resolvit : volo facere id quod Ecclesia facit.

1. Requiritur intentio, sicut definivit Tridentinum. loco mox citato: «Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta con- « ficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi «quod facit Ecclesia, anathema sit».

Revelatio autem huius veritatis habetur implicite in iis Scripturae locis, in quibus sacramentorum dispensatores dicuntur *ministri* Christi et Dei, puta in toties laudato testimonio Apostoli, 1 Cor. IV-1. Ad hoc enim ut homo sit actu minister Christi in confectione sacramenti, oportet ut habeat intentionem faciendi id quod instituit Christus et facit Ecclesia. Et ratio est quia minister in quantum huiusmodi, ab inanimato instrumento differt, quatenus est agens voluntarium, dominium habens sui. Necesse est autem ut tale instrumentum moveat seipsum, sese subiiciendo per intentionem suam agenti principali cui debet deservire. Quare, qui per iocum vel irrisionem mere materialiter faceret id quod sibi mandatum est, nusquam diceretur ministrare mandanti, nisi forte mera rei alicuius materialitas ministerio eius commissa esset, quod in praesenti dici omnino nequit (*).

(*) Nimirum, principium generale est, quod minister *in eo quod minister est,* habere debet voluntatem faciendi id quod ministerio eius commissum est, *prout et in quantum est commissum.* Videndum igitur est quid illud sit quod ministerio committitur. Nam si quis ex. gr. a domino mittatur ad pauperem ut ei largiatur eleemosynam, ministerium eius non est ad eleemosynam formaliter ut talem, sed solum ad actum materialem deferendi pecuniam. Et ideo sufficit voluntas solius materialitatis, cum qua bene componi poterit quaevis alia intentio, intentioni domini etiam contraria. Sed qui mitteretur ut minister seu procurator

Ratio quoque theologica ex hactenus (l· us apertissime fluit, nam signa sacramentalia ex sola Christi institutione habent significare *sacramenlaliter,* id est, significatione sacra et practice seu efficaci. Porro institutio Christi non potest efficere ut verba ista, *tc baptizo, tc absolvo,* etc., ex hoc solo quod materialiter proferuntur, aliquid habeant ultra id quod ex vulgari hominum impositione trahunt vel trahere possunt. Certo autem certius ex vulgari hominum impositione, praesertim quoad ablutionem spiritualem, absolutionem a peccatis, aliaque eiusmodi, non praetergrediuntur ordinem simplicium ac nudorum signorum, adeoque non elevantur ad transcendentem conditionem sacramentorum, quae non sunt signa nuda et simplicia, sed efficacia. Itaque ritus baptismi, absolutionis, consecrationis, etc., non potest significare sacramentaliter, nisi aliquid sit *per quod vis institutionis Christi ad eum derivet ipsumque investiat.* Principium autem determinans exteriorem ritum ad substandum institutioni Christi, nullum aliud esse potest quam voluntas ministri intendentis, non quidem iocari, non materialiter recitare formulam, non attentare id quod in sua potestate non est, aut si quid aliud eiusmodi. sed agere illud ipsum quod l. C. in sua religione stabilivit, suoque nomine facere mandavit. Et hoc modo, iuxta decretum pro Armenia, minister intendens facere quod facit Ecclesia, seu abstracte loquendo, debita ministri intentio, se habet ut causa qua efficienter, perficitur sacramentum f1).

ad paciscendum, iste profecto ministri partes non ageret, simulatam tantummodo habendo paciscendi intentionem. Porro, cum Scripturae dicunt, dispensatores sacramentorum {esse ministros Christi et Dei, procul dubio docent eos esse ministros sacramentorum ut sacramenta sunt. Sacramenta autem ut sacramenta non sunt ritus quidam materialiter accepti, sed quorum fonnalitas tota est ab institutione Christi. Unde in hoc quod est esse ministrum Christi in sacramentis, includitur necessario intentio faciendi id quod est institutum a Christo.

Hic nota quod ratione huius intentionis, rectissime dicitur actio ministri esse moralitér seu imputative actio Christi. Nunc autem, cum intentio ministri non se teneat ex parte intrinsecorum constitutivorum sacramenti, sed solum ex parte causae efficientis eius, id quod vere dicitur actio Christi, non est sacramentum ipsum, sed confectio sacra-

2. Requiritur intentio interna. — Huc facit sequens propositio damnata ab Alexandro VIII: -«Valet baptismus collatus «a ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi «observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo «quod facit Ecclesia (x). In qua quiderrf damnata propositione, quidquid adversarii dicant, satis evidenter sermo est de illo qui *serio quoad apparentiam exteriorem,* ritum sacramentalem ponit, prout apparet ex oppositione quae est inter id quod externe peragit, et id quod intus resolvit; nam alias, si tam foris quam intus simulatum se ministrum exhiberet, non esset cur exterior agendi ratio internae cordis intentioni opponeretur.

Caeterum rationes superius allatae ostendunt necessitatem intentionis quae sit determinate *interna.* Non enim *per* solam intentionem quam excogitavit Catharinus, derivare potest in id quod exterius peragitur, vis institutionis Christi; et nequidem habita ratione circumstantiarum loci, vestium, etc. Adhuc enim, cum his omnibus circumstantiis exterior ritus potest esse secundum rei veritatem, vel mera repraesentatio historica, vel derisoria simulatio, vel inanis caeremonia. — Et confirmatur quia qui solum habet intentionem externam, nihil distat ab histrione, nisi quod histrio est irrisor apertus, iste autem occultus. Sed nullus irrisor, sive apertus sive occultus, dici potest in ipso actu simulandi, minister et instrumentum Christi, vere intendens quod Ecclesia facit, ut requirit Tridentinum. — Confirmatur secundo, quia etiam in humanis, ubicumque ad validitatem actus requiritur intentio, requiritur illa quae sit determinate interna. Sicut in omni contractu oportet ut sit voluntas circa ipsum contractus obiectum, et non solum voluntas se habendi exterius per modum

menti. Caeterum constat quod sacramentum ipsum non est *operatio,* sed *operatum,* uti patet vel ex solo elemento formali, quod non est locutio, sed verbum. Est, inquam, *operatum,* in quod virtus institutionis descendit praecise quia confectio operati est actio ipsius institutoris per suum ministrum. Et sic omnia concordant et quadrant. Alias, nihil. Quoti quidem diligenter observa contra auctores causalitatis moralis.

(·) Enchirid., n. 13x8.

consentientis. Nec refert quod in foro Innm·i·. habeatur ut validus contractus, ex hoc solo quod constat d··· onsensu externo. Habetur enim ut validus, quia semper praestipponitur adfuisse simul consensus internus. Si autem utcumque (onstaret de eius defectu, etiam in foro externo actus reputaretur nullus. Idemque dic de iudice proferente sententiam, de superiore ferente legem, etc. Et par est ratio in praesenti.

Obiicitur primo : *In tantum esset necessaria intentio ministri, in quantum requireretur ad determinandum ritum exteriorem, alias indifferentem ad multa. Sed ritus exterior sufficienter determinatur per formam. Ergo non requiritur intentio.*

Respondeo: *Disl. mai.* In quantum requireretur ad determinandum ritum exteriorem, per modum formae quae sit pars intrinsece constitutiva sacramenti, *neg, mai.* Per modum principii continuantis signum sacramentale tam quoad materiam quam quoad formam cum institutione Christi, et facientis derivare in illud vim institutionis eius, *conc. mai.* Contradist. min., et nego consequentiam. — Scilicet, elementum sensibile determinans ritum ut partiale eius constitutivum, est quidem verbum exterius, quod ideo, formae nomine recte designatur. Verum non potest determinare actu ad significationem *sacramentalem,* nisi ut substans institutioni positivae Christi; causa autem per quam, tam materia quam forma, *investituram institutionis consequitur,* nulla alia est aut esse potest, nisi intentio qua vult minister facere illud ipsum quod Iesus Christus Ecclesiae suae commisit peragendum.

Obiicitur secundo : *Fertur in annalibus ecclesiasticis, mimum quemdam, dum in theatro baptizaretur, subito se Christianum confessum fuisse, validitate baptismi etiam per miraculum et visionem confirmata. Sed defuerat intentio, tam ex parte ministri, quam ex parte suscipientis. Ergo intentio ad valorem sacramentorum non requiritur.*

Respondeo, annales ecclesiasticos referre mimum praedictum extraordinaria Dei gratia subito fuisse conversum, adeo ut martyrio paulo post coronatus, nunc ut sanctus ab Ecclesia honoretur. De miraculo autem et visione in testificationem accepti baptismatis, profecto non constat. Admissa tamen veritate facti,

dicendum foret, tam- baptizatorem, quam baptizatum habuisse vere intentio œm dandi et accipiendi id quod Christiani tradunt, quantumvis reputassent illud nihil esse, sed theatri irrisione omnino dignum. Porro nihil refert finis operantis, modo quacumque ex causa adsit interna voluntas faciendi quod facit Ecclesia.

Obiicitur tertio : *Intentio est invisibilis, cum tamen oporteat ut sint visibilia omnia quae ad sacramentorum valorem et characteris impressionem requiruntur. Imo, una e rationibus propter quas superius exclusa est in ministro necessitas fidei vel status gratiae, fuit quia alias, cuncta forent plena anxietatibus et incertitudinibus. Sed eadem ratio militat contra necessitatem intentionis saltem internae.*

Respondeo, intentionem internam esse quidem secundum se invisibilem, sed visibilem effici per actionem externam, cum qua, sin minus metaphysica vel physica necessitate, at certe *morati certitudine,* attento communi modo agendi hominum, connectitur. Omnino enim naturale est ut homo interne intendat id quod agit exterius; et ideo, quando celebrat sacramentum Ecclesiae, per hoc ipsum ostendit se velle facere quod facit Ecclesia, praesertim quia nullo interesse humano pertrahi potest ad simulandum, cum huius suae interioris simulationis nullum haberet reportare temporale commodum, ut constat. Distingue ergo certitudinem moralem a certitudine illa metaphysica quae nunquam in rebus ad humanas relationes pertinentibus requiritur. Quis namque diceret, non sufficienter constare de validitate matrimoniorum vel quorumlibet contractuum, ex hoc quod, nemine diffitente. interior consensus ex parte contrahentium est omnino necessarius ? — Hinc magnum est discrimen inter intentionem internam, et internam fidem vel bonitatem : non solum quia sola *intentio e-v natura rei* in ministerio exigitur, verum etiam quia multis de causis contingere potest ut aliquis gratia destituatur, etiamsi sit apparenter bonus. Quare si esset necessarius status gratiae in ministro, nequidem morali et humana certitudine constaret ut plurimum de valore sacramentorum. Sed intentio interna faciendi quod instituit Christus, vel certe id quod Christiani credunt institutum a *Christo, ita* naturaliter connectitur cum actione exte-

rius ministrandi, ut nisi homo positive nitatur m oppositum eius quod externe facit, (et hoc de lege ordinaria contingere nequit), semper adsit sufficienter. Itaque quoties in act ›ie ministri nihil apparet simulationis, satis constat certitudine morali et humana de valore sacramenti.

Obiicitur quarto : 5. *Thomas in praesenti, at /. 8, ad , dial: « Quidam dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro, nquae si desit, non perficitur sacramentum... Et alii melius di- l eunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, «cuius est minister; in verbis autem quae profert, exprimitur « intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi « contrarium exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacra- *mentum ». Sed intentio quae opponitur intentioni mentali, intentio quae semper habetur, quoties minister non exprimit aliquid contrarium intentioni Ecclesiae, nihil aliud est quam intentio externa a Catharino asserta. Ergo etc.*

Respondeo quod intentio mentalis eodem sensu hic sumitur, ac cum loquimur de oratione mentali per oppositionem ad vocalem. Et oratio quidem mentalis, illa intelligitur, quae cum sit seiuncta ab omni actu externo, intus in anima tota perficitur. Oratio vero non mentalis, seu vocalis, non ea profecto est, quae solam ponit intentionem exterius se habendi per modum orantis sicut hypocritae faciunt, absit ; sed quae actum internum habet coniunctum cum externo, seseque recitationi vocali conformantem. Et sic est in praesenti. Nam *mentalis intentio iuxta S. Thomam, idem est ac intentio non regulata per externam sacramenti celebrationem, sed per propriam mentem seu personalem ministri convictionem, qua scilicet intenderet ille aliquid quod ipsemel reputat et credit verum esse sacramentum efficax sanctificationis.* Et merito excluditur tanquam non necessaria. Intentio autem non mentalis est intentio sese conformans ei quod exterius agitur, semperque cum sufficienti certitudine morali innotescens, ubi minister nihil exprimit contrarium intentioni Ecclesiae quae in verbis formae continetur. Caeterum, de intentione externa Catharini nulla tunc in scholis suspicio habebatur.

Ultimo obiici solet *Augustinus l. ·j de bapt.* c. 53 (P. L.

43, 242), *inter alia dicit: « nihil interesse ad integritatem « sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter an « veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant ».*

At dicendum quod duplex fallacia seu simulatio est. Fallacia qua quis simularet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, et de hac non agit Augustinus. Deinde fallacia qua quis opinans sacramentum nihil esse praeter inanem caeremoniam, personam tamen credentis assumit peragendo ritum sacramenti. Er haec fallacia est de qua Augustinus tractat, ut late ostendit Billuart de Saci. Diss. 5, art. 7. Quae etiam nullo modo est ad rem. quemadmodum ex hactenus dictis satis superque constat.

COROLLARIUM.

Non sufficit in ministro intentio interna mere habitualis; rursus non requiritur intentio actualis; relinquitur ergo quod intentio saltem virtualis requiratur et sufficiat.

Non sufficit intentio *mere habitualis,* intelligendo intentionem quae praecessit et non fuit retractata, sed hic et nunc neque actualiter neque virtualiter induit in actum. Talis enim intentio potest esse etiam in amente, in ebrio, in dormiente, quem tamen nemo dicet validum ministrum sacramenti.

Non tamen requiritur intentio *actualis,* quia ista non est posita in morali potestate hominis, cum saepe contingat ut praeter voluntatem cogitatio ad alia distrahatur. Aliunde vero constat esse impossibile, ut ad valorem sacramentorum requiratur *id quod* non est in morali hominum potestate.

Requiritur ergo et sufficit intentio *virtualis,* quae cum actu praecesserit, *adhuc in virtute manens influit in actum.* Et est illa ipsa quam S. Thomas in responsione ad 3"", habitualem vocat. « Quamvis minister sacramenti debeat niti ad custodien « dum cor suum quantum potest, ut maxime in verbis sacra- « mentalis formae intentionem habeat actualem : quia tamen co- « gitatio est valde labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio

«quando verba profert, dummodo prius inn n h it. et contraria «intentio non intervenerit, sacramentum non impeditur, quia i operatur tunc in vi principalis intentionis. Non enim oportet «quod in opere semper intentio coniungatur in actu, sed *suf-* « *fidi quod opus ab intentione procedat* » fl).

Hactenus de causis extrinsecis, tam proximis quam remotis, a quibus pendent sacramenta. Superest tantum ut occasione eorum quae dicta sunt de intentione requisita in ministro, appendix quaedam adiungatur de intentione, quae est in ipso suscipiente necessaria. Huc pertinet ultima huius capituli propositio.

THESIS XIX.

(In IV, Dist. 6, q. i, a. 2, quaestione. 3).

In adultis, ad validam susceptionem cuiuslibet sacramenti, requiritur intentio saltem habitualis recipiendi sacramentum.

Supponitur ex superius dictis, et ex manifesta fide totius Ecclesiae, characterem baptismalem esse potentiam recipiendi alia sacramenta, ita ut nullum ex his nisi illo praehabito, valide unquam suscipi queat ; est enim baptismus ianua omnium communium bonorum Ecclesiae. — Quaeritur autem in praesenti, utrum ex parte suscipientium aliqua alia conditio ad validitatem requiratur, quae etiam sit universaliter necessaria *pro omni sacramento, ipso imprimis incluso baptismale.* Et distinctione facta inter adultos et infantes vel perpetuo amentes, respondetur requiri *pro adultis* (2) consensum, id est, voluntatem recipiendi sacramentum.(*)

(*) In IV, D. 6, q. 1, a. 2, q. 3, sol. j, ad 4"".

(·) Nota bene quod infantibus non annumerantur nisi *perpetuo amentes.* Nani si quis habuerit aliquando rationis usum, et nunc in insanabilem amentiam inciderit, talis adhuc computatur inter adultos. Quare, si dum erat sui compos, nullam omnino habuit voluntatem suscipiendi sacramenta, nullius sacramenti capax exsistit.

Porro in ntio ista, quantum ad aliquid convenit cum intentione reqni i i in ministro, et quantum ad aliquid differt Convenit in hoc. quod sit prorsus independens a personali convictione ipsius su ipu ntis circa efficaciam et divinam sacramentorum institution i i Sufficit enim ut velit recipere id quod tradit Ecclesia, quidquiil tandem illud sit in eius opinione. Hinc perfectus incredulus, si ut potest conferre sacramenta, ita et ea suscipere. Convenit etiam in hoc, quod non refert an ex plena libertate consentiat suscipiens, an ex quocumque timore coactus, quia huiusmodi timor non tollit voluntarium simpliciter, ut in materia de actibus humanis facile ostenditur. — Differt vero, quia intentio requisita in ministro se habet *ut causons sacramentum,* scilicet ut investiens ritum exteriorem vi institutionis Christi, adeoque debet esse *saltem virtualis,* cum alias positive non influeret. At vero intentio in suscipiente necessaria se habet solummodo *ut removens impedimentum voluntatis contrariae respectu sacramenti recipiendi,* et ideo satis est u| sit *mere habitualis,* qualis potest esse etiam in amente, vel sensibus destituto (*).

Nunc autem in assertionis demonstratione, specialia afferentur pro baptismo argumenta; tunc deinde ad caetera sacramenta se extendet nostra consideratio.

i. Quod ad baptismi validitatem intentio seu consensus suscipientis requiritur. — Expresse habetur declaratum ab In

(*) « In pueris non potest esse contraria voluntas, neque actu neque « habitu, et ideo non requiritur voluntas vel intentio in eis, qua prohi- « bens removeatur. In amentibus autem et dormientibus potest esse « voluntas contraria habitualis, quamvis non sit actualis; et ideo si ante «somnum vel furiam, fuerunt contrariae voluntatis, non recipiunt sacra- « mentum, quia adhuc illa voluntas habituaIiter manet. Si autem habue- « runt propositum recipiendi baptismum, et hoc per aliqua signa innotuit. « tunc in articulo necessitatis debet eis conferri baptismus, et suscipiunt "sacramentum et rem sacramenti, etiamsi furiosus tunc contradicat, quia « illa contradictio non procedit a voluntate rationis, secundum quam est « capax baptismalis gratiae. Si autem necessitas non sit, debet exspe* « ctari in furiosis lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia: si » tamen baptizentur in statu illo, sacramentum suscipiunt, quamvis pec- I cet baptizans ». S. Thom., in IV', D. 6, a. 2, q. 3, sol. 3, *ad* 2U".

nocentio III, cap. *Maiores* de baptismo: ‹ 111e qui nunquam con-
« sensit, sed penitus contradicit, nec rem nec cb n n terem suscipit
« sacramenti. Dormientes autem et amentes, si priusquam amen-
« tiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent,
« quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare,
« etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti.
« Secus autem, si prius catechumeni exstitissent, et habuissent
«propositum baptizandi. *Tunc ergo characterem sacramentalis*
** imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non in-*
• venit obsistentem ». Et ratio intrinseca est, quia Deus cum
magna reverentia disponit nos, regitque unumquodque modo
consentaneo eius conditioni: ergo receptio sacramenti, non secus
ac eius confectio, humana sit necesse est, id est, voluntaria. Hinc
Augustinus, l. 4 de bapt. c. 24 (P. L. 43, 175): «Cum alii pro eis
« i infantibus) respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacra-
it menti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respon-
«dere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius
« respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evan-
« gelio dictum est, quod omnes cum legitur, naturaliter movet:
«*Aetatem habet,* ipse pro se loquatur».

2. Quod eadem est consensus necessitas pro omni sacramento. — Probatur primo, ex auctoritate Innocentii III in cap. *Maiores,* ubi Pontifex referi et reiicit opinionem quorumdam qui dicebant aliqua esse sacramenta, *quae per sc sortiuntur effectum,* id est, ut habet glossa, *absque consensu accipientis.* — Probatur secundo auctoritate theologorum: « In sacramentis homo debet «duo suscipere: sacramentum et rem sacramenti. Ad haec duo « non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed impe-«dimentum removens; et hoc impedimentum nihil aliud est quam «voluntas contraria alteri praedictorum. Hinc in adultis, in qui-«bus solis potest esse voluntas contraria actu vel habitu, requi-ritur contritio sive devotio ad percipiendam rem sacramenti, «et intentio vel voluntas ad recipiendum sacramentum». Ita S. Thomas, in IV, D. 6, q. 1, a. 2, q. 3, sol. 3. Cui sententiae theologi communiter suffragantur: « Communis et vera sententia «ait LugO de Sacr., Disp. 9, Sect. 7, tenet requiri ad valorem

«sacramenti consensum positivum adulti qui illud recipit. *Hanc « docent theologi omnes »*. — Ratio demum intrinseca, illa ipsa est quae superius fuit proposita.

Nota tamen, esse aliquos qui excipiunt Eucharistiam. «Exci- « pio Eucharistiam, ait Billuart, de Sacr. Dissert. 6, art. i. quia «cum consistat in re permanenti, independenter a quavis inten- « tione tam suscipientis quam ministrantis remanet sacramentum». Verum eodem argumento probares, ad validam receptionem Eucharistiae non requiri characterem baptismalem, quia Eucharistia independenter ab hoc charactere manet sacramentum. Unde distinguendo sacramentum ipsum et sacramentalem eius sumptionem, verius tenebis sacramentum quidem esse independens ab inten tione suscipientis, non tamen sacramentalem usum, atque ideo casualem manducationem Eucharistiae in adulto esse nullam, ut si panis consecratus, insciis convivis, in mensa apponeretur, et ab iisdem praeter intentionem pro vulgari cibo sumeretur.

DE NUMERO ET ORDINE SACRAMENTORUM

Quaest. LXV.

Deinde considerandum est de numero et ordine sacramentorum novae legis.

THESIS XX.

(Art. 1-2).

Habet lex nova sacramenta septem, nec plura, nec pauciora; quae quidem ordine naturae hoc modo recenseri debent: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium.

§ i-

Notandum in primis est quod nec in Scripturis sacris, nec in scriptis veterum Patrum, sacramenta omnia in globo, sub uno numero, unoque catalogo comprehensa reperiuntur (1). Quare directa demonstratio praesentis dogmatis exspectanda est ex synthesi tractatuum de sacramentis in speciali, ubi quoad singula hic enumerata, testimonia revelationis proferuntur, ut recte concludatur, sacramenta N. L. non esse pauciora quam septem. Et si quis ulterius consideret, fieri non posse ut vel unum sacramentum a Christo institutum maneat ignotum in Ecclesia, nullumque aliud praeter illa septem, in ea agnosci, aut agnitum unquam fuisse,

(1) Rationes explicatives huius facti, easque optimas, et quae intellectum rectum omnino quietent, vide apud Franzelin, de Sacr. in gen. Thes. 19.

perspiciet qu< ' ipsa nec esse nunc plura, nec posse esse in posterum (').

Adhuc t i ien prostat generalis demonstratio ex consensu Christianorum in fide septem supramemoratorum N. L. sacramentorum Dico autem ex consensu talibus circumstantiis adornato, ut e conspectu non modo theologico, verum etiam historico, invictum suppeditet de apostolica dogmatis origine argumentum.

Certe, quando Protestantes modo duo, modo tria, modo unum, modo nulla esse sacramenta dicere inceperunt, a pluribus saltem saeculis Ecclesia catholica publice et diserte profitebatur tamquam fidei suae dogma, sacramenta illa septem apud nos notissima. Et longum esset, satisque ut puto superfluum, afferre documenta ab ineunte saeculo XII et deinceps, de quibus nemo dubitat, aut dubitavit, aut potest dubitare. Atqui id iam satis est ad certissimam conclusionem theologicam, propriis scilicet theologiae principiis innixam. Quia cum in vi promissionum quae ad Ecclesiam factae sunt, impossibile sit ut a regio revelatae veritatis tramite traditio catholica unquam aberret, unanimis Ecclesiae consensus in quacumque temporis differentia certificatus,

P) Nota quod persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullam ipsi Ecclesiae fuisse a Christo concessam potestatem ad instituendum sacramenta, sed solum, ut Tridentinum ait, Sess. 2r, cap. 2, ad statuendum vel mutandum, *salva illorum substantia,* ea quae suscipientium utilitati, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret. Quare de possibilitate maioris sacramentorum numeri in futuris aetatibus, ne quaestio quidem esse potest. Quod si recentes critici non verentur asserere septenarium de quo nunc agimus numerum non esst immobiliter fixum, id certe consequenter ad fundamentalem eorum haeresim, qua statuunt Christum historicum nequaquam fundasse Ecclesiam, nec instituisse novum ritum religionis : proinde sacramenta quae nunc sunt apud nos, paulatim accrevisse secundum evolutionem conscientiae Christianae, unde repetunt originem. Et hoc quidem supposito, evidenter sequitur possibilitas institutionis novorum sacramentorum, quin ullus ex natura rei terminus praefigatur. Sed iam rem habemus cum iis qui ipsam religionem divinitus revelatam et institutam negant. Et ideo, alius loci est confutatio ultra-haereticalis fundamenti, quo sublato, haereticalis quoque superstructio ipso facto corruit.

demonstratus, exploratusque, signum est ini ('.ile genuinae originis dogmatis quod cum tali consensione al nc retinetur.

At vero, novi et veteres a tempore ‹-; ii Protestantisme adversarii non ii sunt qui tali argumento m‹ antur. Omnibus enim id commune est, ut in traditione catholi aliquid humano maius, id est, supernam assistentiam praecavent m omnem deviationem a dogmate et sensu dogmatis semel a Deo per apostolos accepto, nequaquam agnoscant. Sicut igitur, ex hoc quod aliquid ostenditur per plura saecula in humana traditione firmatum, nondum certo concluditur ad rei traditae veritatem, propter antecedentis cuiusdam suppositionis aut corruptionis aut interpolationis possibilitatem ; ita quoque in praesenti, vana eis conlusio est, si traditionis canalem a saeculo demum XII descendere incipias. Nullum quippe aliud argumentum admittunt praeter historicum, id est, quod ex communibus criteriis quibus profanae etiam historiae facta probari solent, perficitur. Propterea adeo celebrant historiam. In historia totum est. Quidquid praeter historicas demonstrationes est, etiam in rebus divinae traditionis, nullius valoris esse asseritur.

Id quidem nil minus quam apertam haeresim sonat. Sed hoc interim omittamus, id unum pro nunc postulantes ut unicum illud quod admittunt critérium historicum rite adhibeant. Atqui a positivis hominibus vix aliquid accipies praeter fundamenta in aere reposita, cum conclusionibus quae non fluunt e praemissis. Scribit auctor libelli famosi : *Solummodo a saeculo XII traditio occidentalis incipit esse fixa circa numerum sacramentoruin* (1). Gravis sane assertio, de qua historicam probationem expecto, et ne leviter quidem indicatam invenio. Sed, inquies, auctor sese implicite refert ad id quod legere est in omnibus theologiae manualibus, nullum scilicet extare documentum saeculo XII antiquius, in quo synthetica sit septem sacramentorum connumeratio. Optime quidem. Adhuc tamen difficile est videre quale sit critérium historicum legitimans conclusionem : ergo ante saeculum XII non erat fixa de numero sacramentorum traditio.

(1) Loisy, L'Evangile et l'Eglise, pag. 194 primae edit.

Quod si s«'hi·▮ urulisset : ergo non satis constat e conspectu historiae «I- ditione fixa ante epocham illam, aliqua forsitan species for»·'. ı apparentia consequentiae. Nunc autem, cum positive com Inditur ad incertitudinem traditionis, nimis evidenter superat conclusio praemissas. Quasi aliqua posset deduci conclusio quoad sacramenta singulatim et distributive sumpta, ex hoc quod non inveniuntur apud veteres Patres globatim enumerata, ut in hodiernis catechismis et tractatibus theologiae; aut non essent ulla consideratione dignae, rationes facti explicativae, iam dudum a theologis expositae et copioso documentorum apparatu apud eos confirmatae ζ1). Et pergit auctor dicens: *Ecclesia primitiva non agnoscebat nisi duo principalia sacramenta : baptismum cui annexa erat confirmatio, et eucharistiam. Numerus sacramentorum secundariorum erat indeterminatus.* Iterum quaero historicam demonstrationem, et iterum nihil. Forte quia de illis duobus (imo tribus) frequentiora, expressiora, et clariora sunt testimonia? Forte quia de eisdem celebres sunt Patrum catecheses ad illuminandos, ad neophytos, ad infantes, quin de secundariis quae vocat, sacramentis ulla adiuncta mentio inveniatur? Sed alicuius ponderis foret negativum hoc argumentum, si eaedem causae de omnibus indifferenter exstitissent. Quod autem non fuerint, vel prima fronte apparet consideranti quod illa alia sacramenta non erant initiatoria ad vitam christianam, non ab omnibus communiter suscipienda in ipsa Ecclesiae ianua, non susceptiva solemnis illius celebrationis cui solemnis quoque pro temporibus illis in praecipuis anni festivitatibus, puta Paschae et Pentecostes, praemittebatur praeparatio. Sicut patet de Poenitentia in qua post amissam baptismi gratiam unusquisque privatim agit apud sacerdotem, et de Extrema Unctione quae decumbentibus infirmis ministratur, et de Matrimonio cuius celebritas ordinem domesticum non transcendit, et de Ordine qui non ipsi populo, sed iis solis qui populo sacra ministrare debent, destinatur. Quocumque igitur modo rem inspicias, invenies historicos homines in historico argumento plane deficientes, quia sine probatione historica factum assumunt

(') Vide Franzelin de Sacr. Thes. 19.

indecisae traditionis, nt ex eo concludam menta nostra non esse institutionis Christi, sed factum post»n evolutionis.

At longe potiori iure catholici theologi historiam appellant. Conficiunt enim et ipsi historicum suiin rgumentum, oppositae quidem conclusionis, sed solidioris fun< i.unenti, melioris-que consequentiae. Et solidius, imo inconcussum fundamentum quod assumunt, est consensio omnium quotquot sunt, sectarum orientalium cum Ecclesia catholica, circa ipsum de quo nunc agimus dogma. Si enim quaeras a Graecis, a Syris, a Chaldeis, ab Armenis, ab Aegyptiis, ab Abyssiniis, a Ncstorianis etiam et Monophysitis usque nunc perstantibus, et a temporibus Ephesini Chalcedonensisque Concilii' id est a saeculo V separatis, quot a maioribus suis acceperint sacramenta, omnes tibi dabunt responsionem conformem ei quae est in catechismis nostris. Imo, cum Protestantes saeculo XVIII, Orientalium fidem in propriae haeresis confirmationem pertrahere tentaverunt, mira ab eis unanimitate reclamatum est, idque in solemnibus etiam documentis quae relata et ex parte citata invenies apud Franzelin de Sacr. Thes. 18. Atqui tantae consensionis tot dissidentium communionum aliqua ratio sufficiens esse debet, nec eam profecto invenies in supposita illa quam dicis indecisione traditionis usque ad saeculum XII, sed solum in acceptione dogmatis ab uno communi fonte, a quo omnes pendere se profitentur, id est, ab apostolis et viris apostolicis. Et eo magis urget argumentum, quod aemulatio inter Orientales et Occidentales a primis omnino Ecclesiae exordiis suas iam egerat radices, sicut apparet inter alia multa, ex quaestione de celebratione Paschae tempore Polycarpi apostolorum discipuli, ex qua postmodum ortum est schisma quatuordecimanorum. Quomodo ergo supposititia sacramenta a Latinis accepissent Graeci, aut a Graecis Latini? Quomodo schismatici omnes a communione Romana sese alii post alios separantes, septem illa unanimiter retinuissent, si non ab immemorabili, et absque ullo reclamationis vestigio fuissent in Ecclesiae usu et possessione? Quomodo Photius, criticae facile princeps, et omnium iudicio in cognitione antiquitatis ecclesiasticae prodigiose versatus, nullum alium divisionis praetextum

contra Latin invenisset, praeter illa, a Caerulario postmodum recantata, qu (in encyclica ad patriarchas et episcopos Orientis leguntur, dc· azymis Eucharistiae, de unica immersione baptismi, de ministerio confirmationis solis episcopis reservato, de alleluia non cantato in quadragesima, de barba tonsa clericorum, aliisque eiusmodi ? ('). Et de his quidem, hactenus satis.

§ 2·

Iam veniamus ad pulcherrimam illam convenientiae rationem, quam exponit S. Thomas in praesenti. Neque enim mere arbitrarius est sacramentorum numerus, sed omnino in rerum natura fundatur. Cum enim sacramentum novae legis sit illud in quo, *sub tegumento rerum corporalium divina virtus secretius salutem operatur,* statim consequitur, necesse esse ut sacramenta ipsa, prout sunt principia spiritualis vitae, proportionaliter respondeant iis quae requiruntur ad perfectionem vitae corporalis. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: primo quantum ad personam propriam, deinde vero per ordinem ad communitatem, quia homo naturaliter animal sociale est. Hinc iam duplex haberi debet sacramentorum categoria : scilicet ad sanctificationem hominis individui formaliter in quantum huiusmodi; tum ad sanctificationem hominis prout est pars societatis. Rursus, ad perfectionem vitae corporalis in homine individuo quaedam requiruntur per se. et quaedam per accidens; per accidens dico, hoc est ratione alicuius supervenientis corruptionis quae est morbus vel infirmitas. Et similiter in sacramentis quae respiciunt hominem individuum, alia sunt per se requisita, alia autem per accidens tantum.

Sacramenta per se requisita, ad spiritualis vitae perfectionem sunt numero tria, semper insistendo in analogia vitae corporalis. Etenim, in corporali vita oportet primo ut homo nascatur; secundo, ut crescat et ad debitam quantitatem mensuramve perveniat; tertio, ut pro conservatione vitae, sive per generationem

(·) Epistolam Photii vide apud Baronium, arm. S6j, XXXIV.

acceptae, sive ad augmentum perductae, e-j. .seci adiunctione alimenti nutriatur. Hinc primo, sacramentum nativitatis quod est *Baptismus:* secundo, sacramentum augmenti quo perducitur Christianus ad virilem proportionem, fitque robustus miles Christi, scilicet *Confirmatio;* tertio, sacramentum alimeniationis quod est *Eucharistia,*

Sacramenta vero requisita per accidens, id est, supposito morbo peccati post baptismum, sunt omnino duo, iuxta corporalium similitudinem. Nam superveniente gravi infirmitate, oportet primo esse medicinam quae morbum auferat: desideratur praeterea regimen hygienicum, quo pristina valetudo restituatur. Loco igitur medicinae ablativae morbi, habetur in spiritualibus sacramentum *Poenitentiae;* et loco eius quod reddit pristinam valetudinem, habetur sacramentum *Extremae Unctionis;* ipsa enim est quae abstergit peccati reliquias, et reddit hominem paratum ad ingressum gloriae.

Ultimo sunt sacramenta quibus perficitur homo ut membrum spiritualis societatis. Et ista iterum debuerunt esse duo secundum duo elementa quibus omnis societas constat. In omni enim societate invenitur multitudo populi gubernata, inveniuntur et gubernatores. Ergo oportuit dari sacramentum *Ordinis* per quod consecrantur magistratus et duces societatis spiritualis; oportuit et dari sacramentum *Matrimonii* per quod convenienti multiplicationi ipsius fidelis populi providetur f1).

§ 3-

Quod autem ordine naturae convenienter enumerentur sacramenta modo in thesi assignato, iam fere patet ex dictis. Et nota ordinem hunc esse consecratum, non solum usu theologorum, sed etiam doctrina Conciliorum, praesertim vero Florentini in decreto pro Armenis, necnon et Tridentini Sess. VII, can. 1.

Et re quidem vera, ordine naturae prius est aliquem esse

(.) Videomnino S. Thomam.l. 4, com. Gent., c. 58, et Catechismum Cone. Trid., de Sacram, in gen., n. 19 et seq.

in se perfect i quam esse perfectorem aliorum. Unde priora sunt sacramenta quibus aliquis in seipso perficitur, quam duo sacramenta *Ordinis* et *Matrimonii* per quae constituuntur quidam aliorum perfectores. — Rursus, loquendo de iis sacramentis quibus perficitur homo individuus, priora ea sunt quae requiruntur per se, qu.un *Poenitentia* et *Extrema Unctio* quae requiruntur solum per accidens. Sicut autem Ordo praeponitur Matrimonio quia magis participat de ratione spiritualis vitae ad quam ordinantur sacramenta : ita Poenitentia praeponitur Extremae Unctioni, quia ordine naturae prior est restitutio sanitatis, quam perfectae pristinae valetudinis. — Item in sacramentis quae requiruntur per se, primum locum obtinet *Baptismus* qui est prin cipium vitae; ultimum *Eucharistia* per quam habetur coniunctio cum fine. Unde et *Confirmationi* medius relinquitur locus, quamquam sub alio respectu posset praemitti Eucharistia Confirmationi, eo quod in vita corporali nutrimentum non solum subsequitur augmentum sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute, sed etiam praecedit sicut causa.

THESIS XXI.

(Art. 3).

Non omnia sacramenta sunt inter se paria, sed caetera perfectione antecellit Eucharistia.

Praecedenter de ordine naturae dictum est: nunc *de ordine excellentiae de* quo Tridentinuni Sess. VII, can. 3: «Si quis di- « xerit, haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla « ratione aliud sit alio dignius, anathema sit». (1). Hoc igitur modo, primo est Eucharistia, deinde Ordo, tertio Confirmatio, quarto Baptismus, quinto Matrimonium, sexto Extrema Unctio, ultimo Poenitentia, ut docet S. Thomas in praesenti. — Verum tamen sola Eucharistiae praeeminentia expresse commemoratur a Conciliis, de qua sit sequens argumentum.

(1) Denzinger 846.

Sacramenta considerari possunt, vel in i ntum significant sanctificationem nostram, vel in quantum un ausant, vel denique in quantum pertinent ad cultum Dei. Atqu< sub triplici hoc respectu, absolute et simpliciter praeeminet EuJiaristia. Ergo in via perfectionis, supra alia omnia sacramenta .cellit.

1. Eminet in ratione signi omnium causarum sanctificationis humanae. — Est enim primo, excellens signum *rcniemorativum* universalis causae nostrae redemptionis quae est passio Christi, idque ratione duarum specierum panis et vini sub quibus, quantum est ex vi sacramenti, continentur corpus seorsum a sanguine, sanguis seorsum a corpore, et hoc modo fidelium oculis in altari proponitur *Agnus tanquam occisus.* Quare Apostolus, i Cor. XI, 26: « Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, « mortem Domini annuntiabitis donec veniat». — Est insuper excellens signum *demonstrativum* eius quod in nobis virtute eiusdem passionis efficitur, quia est signum spiritualis nutritionis animae per unionem ad Christum, ac per hoc, signum coagmentationis totius corporis mystici cuius Christus est caput, «cuique nos tam«quam membra, arctissima fidei, spei, et charitatis connexione «adstrictos esse voluit, ut idipsum diceremus omnes, nec essent « in nobis schismata » Sicut enim cibus naturalis virtutem suam per totum corpus diffundens, nutrit unumquodque membrum non solitarie sumptum, sed secundum proportionem quam habet ad alia membra quorum cohaesionem mutuosque amores conservat et fovet: ita Eucharistia significando nutritionem animarum per incorporationem perfectam ad Christum, hoc ipso significat gratiam qua unaquaeque anima non solum in seipsa vivit, perinde ac si esset solitaria in hoc mundo, sed coniungitur etiam ad alias animas Christo incorporatas, eisdemque convenienti charitate adhaeret. Unde bene notavit Augustinus (2), materiam Eucharistiae iis speciebus cibi et potus constare, *quae ex pluribus sive granis sive uvis in unum coalescentibus e(formantur.* Bene etiam theologi consueverunt dicere, rem sacramenti Eucha-

'·) Cone. Trid., Sess. XIII, cap. 2 (Denzinger 875).
(·) August. Tract, in loan. 26, η. 17 (P. L. 1614).

ristiae esse corpus mysticum Christi, hoc est, gratiam coagmentantem unumquemque cum Christo et cum membris eius: «Cum « audis, sacramenti Eucharistiae *rem lanium esse gratiam...,* « *unitatem Ecclesiae,* aut *corpus mysticum Christi,* non diversa « intelligas, quoniam haec omnia nihil aliud sunt quam gratia « Dei in suis fidelibus » (1). — Est demum excellentissimum signum *prognosticum* futurae gloriae, utpote ipsummet beatitudinis obiectum continens, nobisque fruendum exhibens. Nam duo sunt quae nobis in patria videnda proponuntur: occultum divinitatis cuius visio nos beatos faciet, et mysterium humanitatis Christi per quam in gloriam filiorum Dei habemus accessum. Haec autem duo in sacramento nobis dantur, adhuc quidem in aenigmate, nondum facie ad faciem; et ideo, ut dicitur in quadam collecta, temporalis illa perceptio sacramenti sempiternam prognosticat fruitionem, qua beatitudinem nostram iam non specie geremus, sed omnino rerum veritate capiemus.

2. Eminet etiam Eucharistia ut sanctificationis causa. — Nam illud quod in caeteris sacramentis titulus est gratiae consequendae, est aliquid derivatum a Christo, ut character, vel aliud eiusmodi. Hic autem, est Christus ipse pro nobis passus substantialiter praesens, et per modum alimenti homini communicanti applicatus. Quare ratio ex qua habet Eucharistia ut sacramentaliter gratiam causet, multo est potior, sicut id quod est per essentiam, semper potius est eo quod est per participationem.

3. Denique excellit Eucharistia ut pertinens ad cultum Dei,

(1) Caietanus in 3.“ Part. q. 73, a. 1. — Hinc apparet solutio difficultatis quam in praesenti articulo S. Thomas primo loco posuit. Quia enim bonum commune praestat bono individui, videretur dicendum, duo sacramenta Ordinis et Matrimonii quae directe respiciunt bonum commune, potiora esse sacramento Eucharistiae quod annumeratur inter ea quibus homo individuus perficitur. Sed hoc nihil est; nam etsi hoc sacramentum primo et proxime faciat hominem in seipso perfectum per coniunctionem ad Christum qui est vita et lux animarum, ulterius tamen ordinatur quam maxime ad commune bonum omni ex parte consummandum, significando et faciendo communem unitatem et pacem.

— Et omnibus quidem sacramentis commun» ‹st quod ad Dei cultum exercite saltem pertineant, quatenus ipsomet exercitio contectionis vel susceptionis eorum protestatur homo divinam excellentiam, suique subiectionem ad Deum tamquam ad indeficiens principium supernaturalis vitae ac beatitudinis, et ideo omnis assumptio sacramenti est actus exterior latriae, ut docet S. Thomas, 2-2, q. 89, in prooemio. Hoc, inquam, commune est omnibus sacramentis, quorum tria, Poenitentia scilicet, Extrema Unctio, et Matrimonium, nihil amplius sub hoc respectu habent.

Ultra hunc modum, quaedam sacramenta sunt magis perfecte pertinentia ad divinum cultum : illa nimirum quae imprimunt characterem, quia character se habet ad animam ut consecratio ad res consecratas ; consecrationem autem nunc dico, qua homo in perpetuum mancipatur servitio Dei, eiusque cultui adducitur secundum ritum sacerdotii Christi.

Sed excellentia horum sacramentorum est eminentiori modo in Eucharistia, quatenus in eius confectione exhibetur Deo ipsissimus supremus et principalis cultus in quo alii omnes consummantur. Etenim, ut S. Thomas dicit 2-2, q. 85, a. 2 : « Hoc « videmus in omni republica observari, quod Summum Rectorem aliquo signo singulari honorant, quod cuicumque alteri « deferretur, esset crimen laesae Maiestatis ». Ita ergo proportionaliter necesse est ut sit in societate religiosa singularis quidam et supremus cultus soli Deo reservatus, quem omnes vocant *sacrificium;* porro sacrificii novae legis victima est Christus in Eucharistia oblatus ac mystice immolatus.

THESIS XXII.

(Art. 4).

Non omnia sacramenta sunt aequalis necessitatis; sed sunt necessaria, vel personis singularibus, vel Ecclesiae in communi; vel ad esse simpliciter, vel ad bene esse tantum: vel absolute, vel ex quadam hypothesi. Omne tamen sacramentum quod in ratione medii ad salutem requiritur, non est necessarium nisi disjunctive, in re scilicet, vel in voto.

§ 1.

« Dicendum quod necessarium respectu finis, de quo nunc «loquimur, dicitur aliquid dupliciter: uno modo, sine quo non « potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitae humanae. « et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dici- « tur esse necessarium id sine quo non habetur finis ita conve- « nienter, sicut equus necessarius est ad iter; hoc autem non « est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo neces- « sitatis, sunt tria sacramenta necessaria: duo quidem personae « singulari, Baptismus quidem simpliciter et absolute, Poenitentia « autem, supposito peccato mortali post baptismum. Sacramen- « tum autem Ordinis est necessarium Ecclesiae, quia *ubi non est «gubernator, populus corruet,* ut *dicitur Prov.* XI-14. Sed se- « eundo modo sunt necessaria alia sacramenta, nam Confirmata· « quodammodo perficit baptismum, Extrema Unctio poenitentiam; « Matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem « conservat » (x).

§ 2.

Quoad secundam assertionem notandum est, posse aliquid esse ad salutem necessarium simplici *necessitate praecepti,* aliquid(*)

(*) S. Thom., in praesenti

vero, etiam *necessitate medii.* Necessarium rplici necessitate praecepti, ad hoc solum requiritur ut non n itnr per legis violationem obex transgressionis salutem impedien : caeterum si per quamcumque causam, puta ratione ignorantia aut impotentiae homo a lege excusetur, omissio praecepti non obstabit quominus obtineatur salus. At vero illud quod est necessarium etiam necessitate medii, requiritur ad salutem in ratione viae perducentis ad justificationis finem ; et ideo, cum sit impossibile consequi terminum, non pertransita via quae sola ad eum ducit, omissio medii necessarii, quantumcumque inculpabilis supponatur, reddit impossibilem finis obtentionem.

Quibus praemissis, dico quod praescindendo nunc ab institutione sacramentorum, medium ex natura rei requisitum ad iustificationem et supernaturalem salutem consequendam, est motus perfectae charitatis quo quis constituitur in ultima dispositione ad statum amicitiae cum Deo. Et nota quod actui perlectae charitatis praesupponi debet motus spei et fidei theologicae : fidei, inquam, quae sit explicita saltem circa articulum fundamentalem de quo Apostolus, ad Heb. XI-6. Non enim potest homo *amicabiliter* super omnia Deum diligere, nisi explicite sciat et credat Deum habere supernaturalem communicationem ad homines, speretque se ad divinae beatitudinis participationem posse pervenire.

Nunc autem praeter media illa ex opere operantis, exsistunt de facto sacramenta justificantia ex opere operato ; in quibus planior salutis via hominibus noscitur praeparata, tum quia non solis adultis patet, verum etiam infantibus, tum quia in ipsis adultis non exigit praevium charitatis perfectae actum, sed solam carentiam affectus ad peccatum. At forte huiusmodi faciliorem viam Christus arbitrio uniuscuiusque reliquisse dicendus est. Absit. Non enim voluit ut essent duae viae a se invicem perfecte independentes, una ex opere operantis, altera ad libitum ex opere operato ; sed viam sacramentorum omnibus fecit necessariam, iuxta illud Ioan. III-5 : « Amen, amen dico tibi, nisi «quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest in- «troire in regnum Dei».

Verum non ideo abstulit omnino sufficientiam aliorum mediorum sunt ex opere operantis, imo solum addidit «is habitudinem ad positiva media a se instituta, ita ut *votum sacramenti quod nunc post Christi praeceptum in actu perfectae charitatis necessario est implicitum,* satis sit ad iustificationis effectum obtint udum. Et hac ratione quaedam sacramenta dicuntur media necessaria, sed *in re vel in volo* tantum: media quidem necessaria, ut in propriis tractatibus de Baptismo et de Poenitentia demonstrabitur; in re vel in voto tantum, sicut constat ex omnibus Scripturae testimoniis suo loco expendendis, quibus charitati perfectae *lege invariabili* attribuitur iustificatio, etiam extra sacramentum (1). Quia vero votum non deobligat a sacramento re suscipiendo, imo potius importat voluntatem et propositum ipsius susceptionis pro tempore debito, quisquis ante baptismum per actum perfectae charitatis iustificatus est, adhuc obligatur ad recipiendum baptisma, et simili modo post baptismum obligatur ad subiiciendum clavibus Ecclesiae in sacramento Poenitentiae ipsa mortalia peccata quae sibi per contritionem perfectam iam fuerunt remissa.

Ex his omnibus quae in specialibus tractatibus relinquuntur ulterius explicanda et demonstranda, intelliges quid distet inter Justificationem sacramentalem ex opere operato, et justificationem extrasacramentalem ex opere operantis; itemque quaenam fuerint utriusque conditiones pro variis temporibus. — In justificatione sacramentali communicatur nobis meritum Capitis Christi per media positivae institutionis independenter ab ullo *nostro merito* personali, quia dispositiones non requiruntur nisi ad fictionem removendam. In justificatione autem extrasacramentah' datur gratia ex personali hominis dispositione, quae tamen ultimo innititur in meritis Christi, a quibus derivat omne id unde ad gratiam quocumque modo nosmetipsos praeparamus. — Denique ex parte justificandorum conditiones ad utramque justificationem semper fuerunt eaedem omni tempore. Sed ex parte sacramentorum at-

(I) *Cf.* propositiones 70 et 71 a S. Pio V' in Baio damnatas, Enchirid. n. 1070-71.

tenditur triplex differentia, quia ante Christu · sacramenta fuerunt merae conditiones, post Christum sunt \· rae causae; ante Christum in sacramentis dabatur minor grati i post Christum abundantior; ante Christum sacramenta non ‹ rant pro adultis necessitate medii necessaria, post Christum n‹ · ssaria sunt omnibus in peccato exsistentibus sacramenta saltem mortuorum, ita ut perfecta charitas non operetur ad destructionem peccati, nisi prout includit votum sacramenti.

DE SACRAMENTIS IN SPECIALI

ET PRIMO

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

Dii BAPTISMO

Quaest. LXVI-LXXI.

« Eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti per tur-
« mas suas... Cumque persequerentur Aegyptii vestigia praece-
« dentium, repererunt eos in castris super mare ; omnis equi-
« tatus et currus Pharaonis, et universus exercitus erat in Phi-
« hahiroth contra Beelsephon. Cumque appropinquasset Pha-
« rao, levantes filii Israel oculos, viderunt Aegyptios post se et
« timuerunt valde, clamaveruntque ad Dominum.... Dixitque
« Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me ? Loquere filiis
« Israel ut proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam, et
« extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradian-
« tur filii Israel in medio mari per siccum... Tollensque se an-
« gelus Dei qui praecedebat castra Israel, abiit post eos, et cum
« eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum. Stetit
«inter castra Aegyptiorum et castra Israel: et erat nubes tene-
« brosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis
« tempore accedere non valerent. Cumque extendisset Moyses
« manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento *vehe-*
« menti et urente tota nocte, et vertit in siccum, divisaque est
« aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci *maris;* erat
« enim aqua quasi murus a dextra eorum et laeva. Persequen-
« tesque Aegyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus
« Pharaonis, currus eius et equites, per medium maris. lamque
« advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super
« castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit
« exercitum eorum. Et subvertit rotas curruum. ferebanturque

«in profundum... Et ait Dominus ad M<>\ Extende manum • tuam super mare, ut revertantur aqua<· ..d Aegyptios super « currus et equites eorum. Cumque extendi i Moyses manum «contra mare, reversum est primo diluculo i priorem locum, «fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aqu.i . et involvit eos « Dominus in mediis fluctibus. Reversaeque sunt aquae, et ope- ruerunt currus et equites cuncti exercitus l'haraonis qui se· « quentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex « eis. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris..., et «viderunt Aegyptios mortuos super littus maris... Tulit autem «Moyses Israel de Mari Rubro, et egressi sunt in desertum «Sur» (1). — Porro haec omnia contigerunt in figura nostri, in quos, ut Apostolus ait (2), fines saeculorum devenerunt.

Pulchre Augustinus, Serm. 363, n. 1 (P. L. 39, 1634): «Sen· «sum nostrum fratres charissimi, in Scripturis sanctis consideram «disatque tractandis regere debet earumdem Scripturarum mani- «festissima auctoritas, ut ex eis quae aperte dicta sunt ad nutrien· « dos nos, ea quae obscurius dicta sunt ad exercendos nos, fideliter «disserantur». Tum adducit auctoritatem Pauli dicentis, patres nostros omnes *sub nube fuisse,* et *mare transiisse,* et *in Moyse esse baplizatos,* ut splendidis hisce adumbrationibus mysteria Novi Testamenti convenienter illustrarentur. Denique concludit, nemini fidelium esse dubitandum quin transitus illius populi per Mare Rubrum figura fuerit Baptismi nostri, quatenus per baptismum liberamur a diabolo et angelis eius qui nos tanquam Pharao et Aegyptii luto carnis obnoxios velut laterum operibus atterebant, atque duce vero Moyse Domino nostro Iesu Christo, e captivitate educimur cantantes ei qui gloriose magnificatus est, equum et ascensorem deiiciendo in mare. Et exaltationes saeculares et catervas innumerabilium peccatorum quae in nobis diabolo militabant, delevit in baptismo. Ternos stratores diabolus curribus imposuerat, qui nos timore doloris, timore humiliationis, timore mortis, persequendo terrebant. Haec omnia submersa sunt in

(1) Exod. XII-51, XIV-9 et seq. XV-22.
(2) I Cor. X-11.

Rubro mari, quia illi consepulti sumus per baptismum in mortem, qui pro nobis flagellatus, exhonoratus, et occisus est. Ita rubro pelago omnes hostes operuit, qui cruenta morte qua nostra peccata consumerentur, baptismum consecravit. Non tamen post mare illud Rubrum continuo patria datur, nec tanquam iam hostes desint, secure triumphatur. Restat enim post baptismum transitus per eremum usque ad terram promissionis, terram viventium ubi nobis est portio Dominus in superna Ierusalem : ad quam donec perveniamus, tota ista vita eremus est. et tota tentatio (*).

Et nunc igitur de magno illo sacramento quo spiritualem Israelem educit Dominus de Aegypto, atque in novum hominem regenerat qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis, dicendum nobis est. In quo quidem, quinque cum Angelico consideranda occurrent: Primo de ipso baptismi sacramento, (Quaest. 66). Secundo de ministro, (Quaest. 67). Tertio de recipientibus hoc sacramentum, (Quaest. 68). Quarto de effectu huius sacramenti, (Quaest. 69). Ultimo de iis quae fuerunt et sunt ad baptismum praeparatoria, (Quaest. 70-71).

Quaest. LXVI.

DE IPSO BAPTISMI SACRAMENTO.

De exsistentia baptismi in ratione sacramenti non est specialiter disputandum ; tanta enim evidentia in traditione Christiana continetur, ut superflua sit omnis demonstratio. Praeterea, nusquam circa hanc veritatem peculiari modo erratum est, sed est solum error, vel respuens ex integro totam revelationem Christianam, vel inheians naturam et virtutem sacramentorum novae legis in genere ; utroque autem modo controversia ad praesentem considerationem non pertinet, ut constat (*). *Quare* solum

(*) August., l. c.

(·) Certe habemus opinionem modernistarum, qui baptismi institutionem referunt, non ad Christum reaiern et historicum, sed ad Christum quem dicunt fidei. Excludunt enim ea quae de baptismo haben-

disputat S. Thomas in primis articulis d. l- linitione baptismi, de tempore institutionis eius, denique de matt ria eius et forma, ut sequitur.

THESIS XXIII.

(Ar t . 5).

Primum locum in sacramentis tenet', sanctum baptisma, quod est exterior corporis ablutio sub praescripta forma verborum. Fuit quidem institutum a Christo ante passionem, sed obligare non incepit nisi post resurrectionem in promulgatione Novae Legis. Eius materia aqua est naturalis, forma vero: «Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti *

§ i-

Prior assertio est fere obvia, et facile probatur contra eos qui dixerunt, ipsam aquam esse baptismi sacramentum. Nam sacramentum est signum rei sacrae; atqui illud quod in baptismo rem sacram significat, non est aqua in seipsa, sed in usu, scilicet aquae ablutio, eaque debitis verbis informata. Recte igitur Magister dixit quod baptismi sacramentum est *ablutio cotporis exterior, facta sub praescripta forma verborum.*

tur, loan. 1II-5, 22‹ etc., eo quod quartum evangelium non refert facti historica, sed ideas tertii saeculi sub allegoriis fictorum eventuum. Excludunt pariter locum Matthaei, XXVIII-19, tum quia verba sunt Christi a mortuis redivivi qui est saltem quoad nos extra omnem ordinem concretae realilatis, tum quia tam categorica trium personarum Trinitatis enumeratio prodit interpolationem posterius factam sub influxu usus Christiani. Unde institutionem baptismi a Christiana communitate ortum habuisse volunt, per quamdam imitationem consuetudinum iudaicarum; a Christo autem, hoc solum sensu, quod in communitate ipsa remanserat et semper fervebat spiritus Christi. Sed qui haec dicunt, aperte iam respuunt omnem revelationem, et ideo manifestum est quod eorum refutatio non est huius loci.

Porro haec definitio respicit in baptismo id quod est *sacramentum tantum,* et in actu transeunte perficitur. Nunc autem frequenter evenit, praesertim apud Augustinum, ut nomine sacramenti baptismatis veniat aliquid quod in homine permanet, eique inhaeret indelebiliter. Et hoc est *res et sacramentum,* scilicet baptismalis character, rationem habens consecrationis ad cultum SS. Trinitatis secundum ritum christianae religionis, et potentiae passivae qua homo efficitur potens recipere ea quae Christiani cultus sunt. Ad rem S. Thomas in praesenti, art. i: «Res « et sacramentum est character baptismalis qui est res signifi- « cata per exteriorem ablutionem, et est signum sacramentale « interioris justificationis quae est *res tantum* huius sacramenti, « scilicet significata, et non significans ». Quae omnia in superioribus iam praeoccupata fuerunt, et infra ubi de effectibus baptismi, ultimo complebuntur. Unde statim sequitur consideratio fle institutione.

§ 2.

In primis pro certo habendum est, baptismum non fuisse obligatorium nisi a die promulgationis legis evangelicae, Act. II. 1-41, post ascensionem Christi in coelum, cum ad vim obligatoriam legis semper sit necessaria promulgatio. Communissima nihilominus theologorum sententia est, hoc sacramentum fuisse ante passionem non modo institutum, sed etiam ministratum a Christo et discipulis eius, et de ipso vero N. L. baptismate intelligendurn esse quod legitur Ioan. III-22: *Post haec venit Jesus et discipuli eius in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Et infra IV, 1 : *Ut ergo cognovit lesus quia audierunt Pharisaei quod lesus piures discipulos facit et baptizat quam Joannes,* etc. Et ratio principalis est quia in hoc eodem evangelii loco refertur quod cum esset Joannes baptizans in Ennon iuxta Salim, et venissent ad ipsum quidam conquérantes quasi de usurpato a Christo munere baptizandi, respondit praecursor missus a Deo ut testimonium perhiberet de lumine, confirmando id quod praecedenter (Ioan. I, 26-33) testificatus fuerat dicens :

Kgo baptizo **in aqua.,.** *Medius autem vestrun stetit* **quem** *vos nescitis... Hic est* **qui baptizat** *in Spiritu Sancto;* scilicet, non ut ego in aqua simplici, sed in aqua quae Spiritus Sancti instrumentum est ad interiorem animae emundationem- — Accedit quod penitus esset incredibile, baptismum tunc collatum a Christo fuisse eiusdem ordinis, eiusdemque veluti gradus cum baptismo loannis, et non potius ipsummet baptismum vere efficacem iustificationis de quo paulo ante, Ioan. III-5, dictum fuerat ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Accedit quoque quod nequaquam dubitandum est quin apostoli ipsi baptismum acceperint, ut late exponit Augustinus, epist. 265 (P. L. 3J, 1086 sq.), tametsi de solo posteriore apostolo Paulo id scriptum legatur. Nec aliunde credibile est eos se mutuo baptizasse in coenaculo quando expectabant adventum Spiritus Sancti, aut fuisse baptizatos a Christo in apparitionibus post resurrectionem. Multo ergo melius cum Augustino dices eos baptizatos ante passionem, cum venit lesus et discipuli eius in terram ludaeam, et illic demorabatur cum eis et baptizabat.

Dices forte quod sacramenta V. L. ideo praecise non causabant gratiam, quia nondum erat solutum pretium redemptionis. At negandum id quidem est. Nam vera et propria ratio non fuit quia sacramenta vetera praecesserunt passionem, sed quia praecesserunt Christum ipsum, a cuius humanitate, utpote instrumento divinitati coniuncto in unitate suppositi, descendere debuit omnis virtus efficiens in aliis gratiae instrumentis.

Dices iterum quod sacramenta nostra ex passione Christi specialiter habent efficaciam, ut supra dictum est, thes. 8. Ergo ante passionem esse non potuerunt. — Sed distinguendum antecedens : Ex passione Christi ut causa meritoria gratiae quae per sacramenta dispensatur, *conc.* Ex passione Christi ut causa efficiente ipsorum sacramentorum vel virtutis operativae eorum, *neg.* Nunc autem nihil obstat quominus causa meritoria, si de merito capitis agitur, sit respectu causatorum, tempore posterior, ut explicatum est supra, (Q. 62, Proleg. § 1). Accedit etiam quod a primo instanti incarnationis, meritum passionis iam exsi-

stebat in sui principio ac radice, id est in voluntate Christi immobiliter determinata ad patiendum pro nobis, et in charitate illa qua *ingredient mundum dicit:* «Hostiam et oblationem ne-«luisti, corpus autem aptasti mihi.. Tunc dixi: ecce venio... « *In qua voluntate sanctificali sumus omnes,* per oblationem « corporis [esu Christi semel ». Et profecto, hic vel maxime applicandum est notum adagium : Voluntas pro facto reputatur.

Nihil ergo impedire potuit quin baptismus institutus fuerit et ministratus ante consummatam passionem crucis. Et eaedem rationes valent pro Eucharistia, cuius institutio et prima celebratio fuit certo quidem certius *pridie quam pateretur.*

Caeterum, ipsam formalem sacramenti institutionem Scriptura disertis verbis non commemorat, sed solum ea quae ad institutionem vel concomitanter vel consecutive se habuerunt. — Primum horum est, quando in baptismate Christi monstratum est quoddam sensibile exemplar baptismi nostri quoad materiam, formam et effectus : quoad materiam in aquis Iordanis, quoad formam in praesentia trium personarum sub specie visibili, quoad effectus in caeli apertione de qua Matth. Ill, 16-17. Secundum est, quando in colloquio cum Nicodemo huius sacramenti necessitas fuit declarata, Ioan. III-5. Tertium quando usus fuit inchoatus, ubi supra, Ioan. III-22. Quartum, quando fuit intimatum praeceptum baptizandi omnes Gentes, Matth. XXVIII-19. Quintum denique, quando Act. II, 37-31 facta est huius praecepti promulgatio : « His auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad «Petrum et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres? « Petrus vero ad illos : Poenitentiam, inquit, agite, et *baptize·* « tur unusquisque vestrum in nomine lesu Christi, etc. ».

Verum, etsi Scriptura de baptismi novae legis institutione ipsis verbis non loquatur, dat tamen intelligere id quod tenet S. Thomas (1), sacramentum hoc tunc fuisse institutum a Chri-(*)

(*) Notanda sunt verba Angelici, art. 2 in corp.: « Sacramenta, in-« quit, *ex sui institutione habent quod conferant gratiam.* Unde, *tunc vi·* « *detur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi* « *suum effectum.* Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Chri-‹ stlis est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quan-

sto. quando ipse pro nobis in Iordane lupiiz.itus est, prout communiter tradunt Patres Graeci, et sentir· videtur Ecclesia in officio Epiphaniae ‡. Et pulchre quidem in ipso usu umbratilis purificationis dedicatus est verus baptismus, quemadmodum etiam in ultima coena a celebratione veteris paschatis initium sumpsit institutio paschatis novi et aeterni testamenti, ut hic quoque dicere nobis liceat : Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat. Insuper, cum a Christo derivet omnis virtus sanctificativa sacramentorum, nulla esse potuit aptior circumstantia in qua reciperent aquae designationem ad emundandas animas, quam cum Christus personaliter in aquam descendere dignatus est, quasi unus de numero peccatorum quos baptizabat loannes *baptismo poenitentiae ;* quippe, ut Damascenus dicit, humiliationes et passiones eius nobis fuerunt salutares.

§ 3-

De ipsa autem baptismi materia vix dicere opus est, cum de ea exstent notissima Scripturae testimonia : loan. III-5, Eph. V-26, Act. X-47, etc. Sed maximam eius convenientiam pluribus prosequitur S. Thomas, art. 3 huius quaestionis, ubi docet aquam esse ex institutione divina propriam materiam baptismi, idque convenientissime. — *Primo* quidem quantum ad ipsam rationem baptismi qui est regeneratio ad spiritualem vitam, nam aqua maxime competit generationi et augmentation! rerum viventium ; unde in principio mundi ex aqua primitus animalia producta sunt, ut narratur Genes. I, 20-21. — *Secundo* quantum ad effectus baptismi, quia aqua «sua humiditate lavat, ex « quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem

«tum ad ipaum sacramentum». Quo nihil expressius dici potest in confirmationem sententiae superius traditae de virtute instrumental! sacramentorum, prout adaequatum sui princi lium habet in institutione Christi legislatoris N. T.

‡ Hinc, apud Graecos, mos iG iferendi solemnem baptismum in die Epiphaniae, qui propterea ab eis *dies lumi tum* dicebatur. Cf. Gregor. Nazianz., Orat. 39, in sancta lumina (P. G. ',6, 350 sq.).

« peccatorum ; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem ca- « loris, et px hoc competit ad mitigandam concupiscentiam io- « mitis ; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit «baptismo in quantum est fidei sacramentum». — *Tertio* quantum ad repraesentationem mysteriorum Christi quae commemorat Apostolus, Rom, VI-4, dicens: *Consepulli enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Nam, ut Chrysostomus ait, Homil. 25 in Ioan., n. 2 (P. G. 59, 151): «Quid ergo opus est aqua? Hoc iam dicam, « ut occultum mysterium vobis aperiam. Divina celebrantur in « hoc symbola : sepultura, mortificatio, resurrectio, vita. In aqua « enim tamquam in sepulcro caput immergentibus nobis, vetus « homo sepelitur ac demergitur totus; deinde nobis emergentibus. « novus exsurgit ». — *Quarto* demum conveniebat haec materia ratione suae communitatis et abundantiae; cum enim possit ubique de facili haberi, competit baptismo qui est sacramentum maximae necessitatis.

Caeterum nihil refert ad validitatem sacramenti qualiter adhibeatur aqua, an per infusionem, an per immersionem, an per aspersionem, modo vera habeatur ablutio. In quo quidem una tantum difficultas occurrit. Videretur enim, per solam immersionem dari posse repraesentationem mortis, sepulturae, et resurrectionis Christi, quam Scriptura ubi supra, baptismo attribuit. Sed sapienter respondet Angelicus quod etsi in immersione mysterium illud expressius repraesentetur, tamen «in aliis modis « baptizandi repraesentatur *aliquo modo...,* nam quocumque modo « fiat ablutio, corpus hominis vel aliqua pars eius aquae *supponi·* « tur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum » i1).

§ 4·

Restat dicendum de forma. « Forma autem est : *Ego te « baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » (2). Et

(') S. Thom , hic. art. 7, ad 2U‘‘.

(») Florentin., Decret, pro Armenis, Enchirid. ŋ. 696.

sufficienter probatur ex Matth. XXVIII-19; unde solum remanere potest quaestio, an omnia et singula verba sint de necessitate sacramenti.

Circa quod imprimis dicendum est, esse de essentia formae verbum exprimens actum baptizandi. Constat [1]. decretali Alexandri HI. cap. 5/ *quis* de baptismo ζ1), et ex propositione 27, inter damnatas ab Alexandro VIII (2). — Et ratio a priori est quia, cum applicatio aquae propter multa fieri possit, oportet ut determinetur in verbis formae, ad quid fiat. Sed cum dicitur: *in nomine Patris,* etc., adhuc manet indeterminatum, quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. III-17. Et ideo, si non exprimatur actus abluendi, vel per modum nostrum, *ego te baptizo,* vel per modum Graecorum, *baptizatur servus Dei,* non perficitur sacramentum

Pari modo tenendum est, ad essentiam formae pertinere expressam et distinctam trium Personarum invocationem, tum quia sic fuit mandatum a Christo, Matt. XXVIII-19. tum quia vel diserte traditur vel certe supponitur in antiquissimis Traditionis monumentis. «Quaerendum non esse, ait Stephaniis Papa «in decreto contra rebaptizantes (3), quis sit ille qui baptiza- « verit, eo quod qui baptizatus fuerit gratiam consequi potuerit, «.*invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti*·». Item Concilium Arelatense I, can. 8 : « De Afris... placuit, ut «si aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et « si perviderint *eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse « baptizatum,* manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum «Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trini- « tatem, baptizetur » (4). — Et ratio convenientiae est quia cum baptismus sit sacramentum initiatorium ad cultum christia-

(?) «Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et « Filii et Spiritus Sancti, et non dixerit : *Ego baptizo te* in nomine etc., • non est puer baptizatus». (Denzinger 398).

[1] «Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine «Patris, etc., praetermissis illis: *Ego te baptizo*». Enchirid., n. 1317.

(·) Enchirid. n. 47.

[1] Ibid. n. 53.

num et ianua supernaturalis vitae, omnino oportuit ipsum institui sub forma distincte exprimente praecipuum fidei Christianae mysterium, scilicet id quod in Deo est excedens naturalem rationis cognitionem, et hoc est mysterium Trinitatis Personarum in essentiae unitate.

Plures tamen theologi, inter quos Caietanus fl), adhuc censent valere baptisma collatum *sub implicita invocatione trium Personat uni.* puta *in nomine Christi,* in quo, ut Ambrosius ait, et Pater a quo unctus est, et ipse qui unctus est Filius, et Spiritus Sanctus quo unctus est, designatur. Muniunt autem se sequentibus rationibus.

Prima est, quia legitur Act. VIII-12: «Cum vero credi« dissent Philippo evangelizanti de regno Dei, *in nomine /esu « Christi baptizabantur viri ac mulieres ».* Et infra, vers. r6 : ‹ Nondum enim in quemquam illorum venerat (Spiritus San« ctus), sed baptizati tantum erant *in nomine Domini /esu ».* Et iterum infra, X-48 : « Et iussit eos (Petrus) *baptizari in « nomine Domini /esu Christi ».* — Verum auctoritates istae intentum adversariorum non probant. Gratis enim et sine fundamento supponitur, sermonem esse de forma sacramenti; nam baptizari *in nomine /esu Christi,* idem est ac baptizari baptism· instituto a Christo, scilicet baptismo christiano prout distincto a loannis baptismate. Quam explicationem, praeter alia plura, naturaliter suggerit factum a S. Luca relatum, Act. XIX, r-5 : « Fac« tum est.... ut Paulus.... veniret Ephesum, et inveniret quos« dam discipulos, dixitque ad eos : Si Spiritum Sanctum acce« pistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si *Spi« ritus* Sanctus est, audivimus. Ille vero ait : In quo ergo « baptizati estis ? Qui dixerunt : In loannis baptismate. Dixit « autem Paulus : loannes baptizavit baptismo poenitentiae po« pulum, dicens: in eum qui venturus esset post ipsum, ut cre« derent, hoc est in Iesum. His auditis, baptizati sunt *in no« mine Domini /esu ».* Quo quidem loquendi modo, in quo

(·) Caietan., in 3"° Part., q. 66, a. 6.

de Spiritu Sancto nihil, evidens est designari christianum baptisma, non autem formam sub qua perfici dicunt sacramentum.

Altera ratio est auctoritas Ambrosii, l. i de Spir. Sanct, c, 3 (P. L. 16, 714): «Nunc consideremus, inquit, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam, Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit». Sed hic quoque responderi debet Ambrosium non tractare de forma sacramentali, sed de professione fidei quae in baptismo a catechumenis exigebatur. Docet enim sufficere ad sacramenti fructum, ut quis profiteatur se credere in Christum, quia per eiusmodi professionem satis testatur se credere in Trinitatem, et sufficienter implet praeceptum Apostoli: *ore autem confessio fit ad sahitem*. — Huius expositionis genuinitatem multis ostendunt editores Benedictini [1]).

Tertium adversariorum argumentum sumitur ex responsione Nicolai Papae ad Bulgares: «A quodam ludaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos» (Denzinger 335). — Respon-

1) «Estius, Nicolai, Natalis Alexander, et Harduinus... dicunt, Ambrosium hoc loco de illa tantum fidei professione explicandum, quam qui baptizabantur, edere solebant. Namque interrogati, ut alibi vidimus, *credis in Patrem?* respondebant, *credo*. Et sic de duabus aliis personis. Hoc igitur intendit sanctus Praesul, baptizandos, etsi de una sola Trinitatis persona rogati essent respondissentque, baptismum tamen legitimum accepturos fuisse, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent... Sed, quod argumentum multo validius existimandum est, Ambrosius ipse sexcentis locis trium Personarum prolationem ad verum baptismum necessario requiri asseverat. Ipsum consule,!. 8 in Lucam, n. 67, l. de Mysteriis, c. 4, n. 20..., et in hac ipsa lucubratione, baptismum cum a catholicis tum ab ipsis haereticis nunquam non sub expressa trium Personarum prolatione a ministro conferri, haud semel significat». Nota editionis Benedictinae, apud Migne, Patr. Lat., Torn. 16, pag. 713-714.

cleo iterum, decisionem hanc non respicere sacramenti formam, cum de ritu exteriori nulla quaestio moveretur. Sed dubium erat utrum homo ilb- baptismum tradidisset per modum cuiusdam sortilegii vel spedalis superstitionis (quemadmodum de huiusmodi ignoto he braeo suspicari licebat), an vere in nomine Christi vel Trinitatis, quod utique unum idemque est quantum ad intentionem conficiendi sacramentum. Ut autem de sufficientia intentionis iudicium prudens formari posset, subiungit Pontifex: *Sed primum, utrum chrislianus an paganus ipse ludaeus exliterit, vel si postnwdum factus fuerit chrislianus, investigandum est.* Quae omnia, ut patet, ad sciendum an ritus exterior fuisset observatus non conferebant; nam forma sub qua collatus fuerat baptismus non erat quid occultum, sed publicum, et testium depositionibus in primis elucidandum.

Ultima ratio apud Caietanum est quia « manifeste con- « stat quod nec Pater significat divinum Patrem, sed patrem « absolute, nec Filius significat divinum Filium, sed filium ab- « solute. Unde, nisi ad implicitum significatum recurratur, forma * ipsa instituta a Christo non significat ex vi nominum divinas « personas. Propter quod potest hinc sumi confirmatio propositi, « assumendo quod iuxta Salvatoris institutionem forma baptismi « significat personas divinas implicite, et in confuso, et in poten- « tia... Ergo non minus salvatur integra baptismi forma, si per unum * potius quam per multa nomina significentur implicite divinae « personae..., ut accidit in proposito, in hoc nomine *Christus* ». Sed huiusmodi ratio est *manifeste et radicaliter falsa.* Nomina enim Patris et Filii sunt proprissima nomina primae et secundae personae in divinis fl), quae ambae in esse personae constituuntur per ipsas relationes paternitatis et filiationis; quod quidem nulli alii, vel in coelo vel in terra convenire potest. Unde ipsemet Caietanus, seipso forsitan doctior, scripserat in I[a] " Part., Q 33, a. 2 « Ly *pater* dupliciter sumi potest. Primo, ut est nomen analogum « ad omnem quomodolibet patrem... Alio modo ut est primum et « caput huius analogiae, et sic significat constitutivum distincti-

(*) Cf. de *Deo* uno et trino, Tom. 2, Thes. 20.

«vumque personale primae personae Trinitati divinae..,, ex ele·
« vatione relationis paternitatis ad subsistent .11 et personalita·
«tem. Et propterea, ly *pater* sic sumptum, ex propria sua ratione
significat illius personalitatem. Propter quod, absque additione
«tradidit Dominus baptizandum esse in nomine Patris, etc.». Et
similiter nomen Spiritus Sancti, tametsi non ex vi solius nominis,
at certe ex accommodatione Scripturae, significat explicite et actu,
personam quae ex Patre Filioque procedit i1). Constat igitur
quod verba, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* exprimunt adaequate et determinate mysterium Dei unius et trini, cuius cultui per baptismum consecramur. Verba autem *in nomine Christi,* vel *in nomine Trinitatis,* aut alia eiusmodi, non sunt ullatenus aequipollentia. Nam nomen Trinitatis generaliter tantum exprimit personas, non determinando quaenam illae sint. Nomen vero Christi non est nomen divinae personae secundum quod in divina natura subsistit; praeterea alias duas personas ad summum connotât initiatis, sed eas profecto sensibiliter non enuntiat, prout requiritur in forma sacramenti. Ad rem S. Thomas, art. 6 in corpore: «Christus instituit sacramentum baptismi dari cum in·
«vocatione Trinitatis, et ideo, quidquid desit ad plenam invoca·
«tionem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat quod
«in nomine unius personae intelligitur alia, sicut in nomine
‹ Patris intelligitur Filius, aut quod ille qui nominat unam solam
« Personam potest habere rectam fidem de tribus, quia sicut ad
«sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensi·
«bilis; unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad per·
« fectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprima·
« tur. Unde et in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis
« nostri baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet
« Pater in voce (a), Filius in humana natura, Spiritus Sanctus
« in columba » (3).

(') Cf. de Deo uno et trino, Tom. 2, Thes. 25.

(a) « Ecce vox de caelis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui». Matth. III, 17.

(3) « Descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum», Luc. III, 21.

Nota. — Baptismum iterari non posse ostendit S. Thomas, art. 9. in quo quidem, praeter rationem desumptam ex impressione characteris (**1**), duas alias considerationes affert. — Prima est, qui i baptismus rationem habet spiritualis cuiusdam generationis. Unde Augustinus, super illud Ioan. III : *Numquid potest homo in ventrem matris suae iterato introire et renasci?* ait: « Sic tu intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Nico- « demus nativitatem carnis ; quomodo enim uterus non potest «repeti, sic nec baptismus». — Altera desumitur ex doctrina Apostoli, I-Ieb. VI, 4-6: «Impossibile est eos qui semel sunt ‹ illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. « rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui ha- «bentes». Quia enim baptismus repraesentat mortem, sepulturam, et resurrectionem Christi, ut cui baptizatus sacramentahter configuratur, profecto ad baptismi repetiti veram significationem, necesse esset Christum rursus crucifigi. Sicut igitur Christus semel mortuus est et resurrexit, ita semel tantum in sacramentali repraesentatione homo ei commoritur, consepelitur, et conresurgit : quod est, hominem semel tantum posse baptizari.

De caeremoniis quoque in baptismi administratione usitatis agit Angelicus in sequenti articulo. Porro omnia sophismata a novatoribus in hac parte congesta tribus efficacissimis rationibus excludit, ostendens ritus quosdam recte adhiberi ab Ecclesia, ad solemnitatem sacramenti : « *Primo* quidem, inquit, ad excitandam « devotionem fidelium, et reverentiam ad sacramentum. Si enim « simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili « ab aliquibus aestimaretur quasi quaedam communis ablutio. — « *Secundo,* ad fidelium instructionem. Simplices enim qui litteris « non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta « per picturas et aliqua huiusmodi ; et per hunc modum, per ea « quae in sacramentis aguntur, vel instruuntur vel sollicitantur « ad quaerendum de his quae per huiusmodi sensibilia signa « significantur. Et ideo, quia praeter principalem sacramenti

(') Vide supra, de charactere sacramentorum.

<effectum oportet quaedam alia scire circa baptismum, conve-« niens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis repraesenta-« rentur. — *Tertio,* quia per orationes et benedictiones et alia « huiusmodi, cohibetur vis daemonis ab impedimento sacramen-« talis effectus ».

Superest nunc dicendum de distinctione baptismatum, et de comparatione eorum inter se.

THESIS XXIV.

(Art. π-ia).

Convenienter enumerantur tria baptismata, fluminis, flaminis et sanguinis; quorum primum iustificat ex opere operato, alterum ex opere operantis, tertium per modum operis operati. Praeeminentiam autem habet baptismus sanguinis super alia duo, non equidem quantum ad rationem sacramentalem, quae soli baptismo aquae propria est, sed quantum ad effectum qui dicitur res sacramenti.

Baptismus fluminis, ipsum est baptismi sacramentum de quo principaliter praesens procedit disputatio.

Baptismus flaminis, qui etiam dicitur *poenitentiae* vel *desiderii,* nihil aliud est quam actus charitatis vel contritionis perfectae includens votum sacramenti, prout supra fuit declaratum, Thes. 22, dum scilicet «alicuius cor per Spiritum Sanctum mo-« vetur ad credendum, et diligendum Deum, et poenitendum de « peccatis » [1]. In quo iterum animadvertes, actum perfectae charitatis praesupponere ex natura rei fidem et spem theologalem, adeoque notitiam divinae revelationis. Et ratio est quia charitas, non utcumque est amor Dei super omnia, sed est essentialiter amor amicitiae : amicitia autem fertur in aliquem prout

C) S. Thomas, hic, art. n. — Et infra, Quaest. 68, a. 2, assignat « *desiderium baptismi quod procedit ex fide per dilectionem operante,* «per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur». Non ergo existimandum est baptismum flaminis esse qualecumque desiderium sacramenti.

habentem cum amante intimam quamdam sui ipsius communication. ..·. Et quia haec communicatio Dei ad homines secundum quod nobis suam beatitudinem in visione intuitiva communicat, non potest esse aliter quam per divinam revelationem nota, ideo baptismus flaminis non datur nisi praeconcepta fide, et praehabita explicita notitia principalis saltem articuli revelati quem signat Apostolus ubi ait: «Credere enim oportet accedentem « ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit ».

Baptismus demum sanguinis est martyrium, quod nunc accipitur quo qualibet tolerantia sive perpessione mortis propter causam Christi (l). Porro causa Christi, vel est causa concernens ipsam *Christi personam,* sicut cum Innocentes fuerunt ab Herode

¶ Hic diligenter observandum est, martyrium in praesenti non sumi eodem modo quo sumitur in tractatu de vera Religione, quando ad demonstrandam credibilitatem fidei et religionis Christianae afferuntur martyria in argumentum. In hoc enim tractatu, totius disciplinae theologicae praeambulo, ubi nondum supponitur cognita causa veritatis, martyrium accipitur *mere philosophice:* scilicet in quantum est heroicae fortitudinis actus, qui saltem ut in pluribus non potest poni absque specialissimo adiutorio Dei, supra humanum confortantis humanas mentes. Quo quidem sub respectu martyrium constituit quoddam miraculum ordinis moralis, in confirmationem illius religionis pro qua multi ex omni conditione, sexu, aetate, etc., talem mortem heroicam obierunt. Tunc igitur non consideratur nisi martyrium adultorum, et quidem in his circumstantiis in quibus conspicua apparet libera vitae iactura. Tunc non debet praerequiri ut martyrii conditio, quod quis pertineat ad veram Christi Ecclesiam, utpote quae nondum nota supponitur, sed est potius inquisitionis obiectum. Tunc demum nihil aliud attenditur praeter id quod facit ad *heroicitatem,* et quidem a nobis naturaliter discernibilem, ut postea liceat concludere, vere fuisse revelatam et institutam a Deo religionem cui tale ac tantum ordinis moralis miraculum suffragatur. Sed nunc accipitur martyrium *mere theologice, proni esi quoddam medium iuslificaliouis, tam pro infantibus quam pro adultis:* puta quaedam realis imitatio passionis Christi, cui ex divina revelatione annexum est speciale privilegium. Quare martyrium prout nunc de martyrio loquimur, formali ratione differt a praecedenti ; imo nequidem materialiter cum eo coincidit, hoc sensu quod multa sunt verissimi nominis martyria theologice loquendo, quae tamen in consideratione philosophica, ut supra, nequaquam attenduntur.

occisi, ad hoc ut Christus ipse in communi tl de attingeretur; vel est causa concernens *Christi religionem .f fident,* de qua, i Petr. IV, 15-16: «nemo vestrum patiatur ut homicida..., si «autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in «isto nomine»; vel denique est causa concernens *virtutem quam specialiter iubet Christiana lex,* sicut cum in defensionem castitatis loannes Baptista decollatus est, et loannes Nepomucenus a Wenceslao rege trucidatus quia sigillum sacramentale violare noluit.

Hinc duo ad martyrium requiruntur. Unum ex parte persecutoris, ut ex quocumque motivo Christum, eiusve causam seu religionem saeviendo persequatur (1). Alterum ex parte martyris,

(1) Dixi, ex quocumque motivo. Non enim necesse est ut formali odio Christi vel religionis eius persecutor moveatur. Certe, quando Nero movit primam persecutionem in imperio Romano, finem habuit divertendi alio opinionem publicam, quae de incendio Romae eum accusabat, ut refert Tacitus l. 15 Annal, n. 44. Et plerumque rationibus politicis ducti sunt alii imperatores. Nihilominus, persequebantur Christianos qua Christianos, et ideo finis operis semper erat exterminium religionis Christianae. Sic etiam in laponia incepit persecutio sub Taicosama, ex hoc quod quidam mercatores lusitani venerant, iactantes potentiam sui regis, ut qui in omnes Indias extendisset dominium suum. Interrogati autem qua ratione id obtinuerat, responderant ipsum solitum esse praemittere missionaries qui praedicando pararent militibus viam. Quo audito iratus imperator decrevit ut defenderet se, et edictum tulit prohibens ne quis Christo nomen daret, aut legem eius vel profiteretur vel praedicaret. Non ergo quaerendum est qui sint fines et motiva persecutorum. Satis est si titulus persecutionis sit christianitas eius qui persecutionem patitur, puta quod sacerdos, quod religiosus, quod assertor, defensor, observator legis Christianae.

Sed nota id omnino requiri. Non enim sufficit ut quis in iis circumstantiis ponatur, in quibus posset vitare mortem, violando legem Christi : si nempe causa intentatae mortis non sit haec ipsa legis Christi observatio. Ut puta, si sacerdos falso accusatus de homicidio, et valens sese liberare violando sigillum confessionis, ad mortem damnaretur. Tunc enim sententia mortis non caderet in Christianum qua talem, sed solum in existimatum homicidam, fatali errore convictum in iudicio."

scilicet i .lerantia mortis (*), et si de adulto agatur, mortis voluntary acceptatae in gratiam causae praedictae. In quo quidem ρ· rfecta esse noscitur paritas cum sacramentis. Dictum est enim upra, requiri ad sacramenti validitatem ut removeatur a suscipiente contrarietas voluntatis; removetur autem in infantibus eo ipso quod rationis usum non habent, in adultis vero, nonnisi per positivam intentionem, saltem habitualem, recipiendi sacramentum. Et similiter ad validitatem martyrii, secundum quod martyrium est realis quaedam passionis Christi imitatio conferens gratiam quasi ex opere operato, necessaria est voluntatis contrariae exclusio, quae alio modo habetur in infantibus, et alio modo in adultis.

Nunc autem, sicut non requiritur ut persecutor formali odio Christi moveatur (quidquid enim sit de fine operantis, satis est si finis operis involvat oppressionem Christianae religionis et legum eius, ut dictum est supra) : ita etiam minime opus est ut mors a martyre acceptetur ex motivo charitatis perfectae, sed sufficit quodcumque motivum ad religionem pertinens, puta spes praemii caelestis, vel timor gehennae (2). Nec obstat dictum Domini nostri, Ioan. XV-13: «Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis». Sensus enim est, nullum esse actum quo melius ostendi possit perfectio charitatis, non autem, de ratione omnis martyrii esse ut pendeat a charitate actuali vel habituali tamquam a suo *necessario* principio. Dixi tamen requiri motivum ad religionem pertinens.(*)

(*) Tolerantiam dico ; in quo excluditur violenta resistentia contra persecutorem, etiam licita et iusta, qualis illa est quae in bello a militibus opponitur. Non defuerunt tamen qui dicerent, martyrum numero accenseri eos qui *in bello sacro* pro causa Christi occumbunt, si aliunde mortis acceptatio non desit, eo quod tales, etsi resistant, non resistunt ad defendendum se, aut certe, nonnisi in quantum defensio sui confert ad defensionem causae sacrae quam tuentur. Verum haec sententia nequaquam videtur admittenda, quia undecumque sit resistentia, deficit realis imitatio passionis Christi, quae est titulus privilegiorum martyrii. Ait enim Propheta : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.*

(·) Cf. Ambros., Serm. *st* in Psalm. CXVIII, n. 8-9 (P. L. 13, 1505).

Qui enim in acceptatione mortis moveretur . motive honoris mundani, vel alio simili, non acceptaret n in pro Christo, formaliter in quantum est pro causa Christi, et ideo validum martyrium non faceret.

Et de notione trium baptismatum hactenus. Nunc de eorum exsistentia, efficacia, et mutua habitudine, ut in thesi positum est.

Convenienter enumerantur tria baptismata, si duo sunt quae supplent vicem baptismi aquae quantum ad effectum iustificationis seu remissionis peccatorum. Illa enim quae alterius vicem supplent cum proportione ad eumdem effectum, quodammodo ad illius genus reducuntur, et convenienter etiam sub uno communi nomine *quasi genetico* recensentur.

Atqui primo, charitas vel contritio perfecta, necessario includens votum saltem implicitum sacramenti f1), infallibili lege hominem iustificat. — Constat imprimis auctoritatibus Scripturae, Prov. VIII 17, Ioan. XIV, 21-23, Luc. X, 27-28, aliisque similibus quae infra in tractatu de Poenitentia exponenda relinquuntur. — Constat etiam auctoritate Patrum: «Invenio, inquit Augustinus, l. 4 de «bapt. c. 22 (P. L. 43, 173), non tantum passionem pro nomine «Christi, id quod ex baptismo deerat posse supplere, *sed diam «fidem conversionemque cordis,* si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest». Et Ambrosius in oratione funebri Valentiniani Imperatoris qui catechumenus obierat (n. 51, P. L. 16, 1374 sq.): «Sed audio vos dolere quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi quid «aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum «hoc voti habuit, ut et antequam in Italiam venisset initiaretur, «et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo praeteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam quam desideravit, non habet quam poposcit? Certe, quia

(*) Implicitum dico in voluntate servandi omnia mandata.

« popos it, accepit.... Solve igitur, Pater sancte, munus servo «tuo. .. minus gratiae tuae, quam ille nunquam negavit, qui «ante 'liem mortis, templorum (paganorum) privilegia dene- « gavit. his urgentibus quos revereri posset. Adstabat virorum « caterva gentilium, supplicabat senatus : non metuebat homi- « nibus displicere ut tibi soli placeret in Christo. Qui habuit « spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam ? Aut si « quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet, ergo « nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur ; non enim « coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, « *ct hunc sua pietas abluit ct voluntas* ». — Denique damnatae sunt in Baio a S. Pio V sequentes propositiones : « Charitas « perfecta et sincera quae est ex corde puro, et conscientia bona, « et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus « potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa quae est « plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione pec- « catorum. Catechumenus iuste, recte, et sancte vivit, et man- « data Dei observat, ac legem implet per charitatem ante ob- « tentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro «demum percipitur» fl). Concludendum itaque est, actum per- fectae charitatis habere vim baptismi aquae quantum ad effe- ctum remissionis culpae, idque semper et in quibuslibet adiunctis, lege infallibili. Quare cum Doctores dicunt baptismum flaminis tunc supplere vicem sacramenti, cum *ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest* (2), sensus non est quod actum perfectae contritionis iustificatio tunc solum se- quitur, quando deest qui baptizet ; sed sensus est quod manet obligatio recipiendi sacramentum tempore debito: cui obligationi si homo satisfacere negligat, mortaliter peccat, et in statum damnationis reincidit, unde exierat prius.(*)

(*) Enchirid., n. 1031-1033.

(·) August. I. 4 de bapt., c. î-'. — Sensum autem expositum dare confirmant verba quae proxime sequuntur apud Augustinum: «Tunc « impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi, *non coniimptus reti- « gionis,* sed articulus necessitatis excludit ·.

Simili modo martyrium pro Christo pi sum, etiam ante susceptum sacramentum, tam infantibus quam adultis valet ad plenam animae sanctificationem ; adeoque est loco baptismi fluminis si forte contingat ut is qui occiditur, nondum fuerit justificatus per lavacrum regenerationis in re vel in voto, ut supra. Continetur autem hoc privilegium in generali promissione Christi, Matth. X-39 : «Qui perdiderit animam suam propter me, ‹ inveniet eam », utique in salute aeterna. Et re- quidem vera, ille qui pro causa Christi occiditur, perdit vitam propter Christum. Oportet igitur ut in hac ipsa amissione recipiat habitualem gratiam per quam formaliter peccata remittuntur, et paratur ingressus gloriae in vita sempiterna. — Constat etiam, imo principaliter, ex universali et constanti totius Ecclesiae persuasione et praxi. Qua in re specialis ratio habenda est antiquissimi cultus SS. Innocentium, in quibus propria martyrii vis evidentius conspicitur. Sane vero lex praescribens ut colantur infantes ab Herode occisi, est quaedam canonizatio aequipollens ; atqui in canonizatione sanctorum Ecclesia non errat. Nec obiici potest, infantes illos per circumcisionem iam fuisse antea iustificatos ; nam in primis, de omnibus et singulis id non est certum, cum circumcisio nonnisi octavo a nativitate die posset adhiberi ; deinde vero, etiamsi hoc daretur, adhuc non procederet difficultas, quia Ecclesia infantes illos colit ut Christi martyres, id est, ut sanctos sanctitate non undecumque obtenta, sed determinate ob mortem pro Christi causa toleratam. Caeterum nihil asseverantius a Patribus traditur, quam insigne martyrii privilegium: « Numquid, ait Cyprianus, « epist. ad lubaian., n. 21 (P. L. 3, 1123), potest vis baptismi ‹ esse maior aut potior quam confessio, quam passio, ut quis co- « ram hominibus Christum confiteatur, et sanguine suo baptize- « tur?». Et Cyrillus Hierosolymitanus, Catech 3, n. 10 (P. G. 33, 439)· «Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis « martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt. Qui « enim orbem per crucem redemit Salvator, latus transfixus san- « guinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore per aquam, « alii vero persecutionum temporibus propriis sanguinibus baptiza- « rentur». Et Augustinus, l. 13 de civ. Dei, c. 7 (P. L. 41, 381):

« Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro. pr· « Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda « peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui « enim dixit : *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu « San to, non intrabit in regnum caelorum,* alia sententia istos «fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: *Qui perdiderit «animant suam propter me, inveniet eam».*

Pulcherrimam tandem rationem pro utroque baptismo *flammis* et *sanguinis* tradit S. Thomas, considerans efficaciam baptismi aquae esse ex duobus: ex passione Christi, ut causa meritoria, et ex Spiritu Sancto ut causa efficiente principali. Porro etsi sacramenti virtus dependeat et a valore passionis Christi et a virtute Spiritus Sancti, non tamen e converso efficacia passionis et virtus Spiritus Sancti dependent a sacramento. Hinc, absque sacramento in re, potest Spiritus Sanctus movere cor alicuius ad poenitendum ea poenitentia quae est ex natura sua, proxima ad justificationem dispositio: unde praeter baptismum *fluminis,* datur baptismus *flaminis* sive poenitentiae. Et similiter passio Christi quae in sacramento per quamdam figuraient repraesentationem homini adhibetur, potest ex singulari privilegio eidem applicari ratione realis imitationis ipsiusmet passionis, et sic, praeter baptismum fluminis, tertius additur *sanguinis* baptismus.

§ 2

Nunc autem, baptismum aquae iustificare ex opere operato ut Dei instrumentum, de fide est certum et iam sufficienter demonstratum, cum baptismus iste sit verum novae legis sacramentum. Baptismum vero flaminis iustificare ex opere operantis, id est, quatenus actui perfectae charitatis inest ratio ultimae dispositionis ad justificationem, potest supponi in praesenti ut sufficienter notum, et reservatur ex professo declarandum ubi de virtute et sacramento Poenitentiae.

Remanet itaque quaestio de modo quo iustificat *baptismus sanguinis.* Dico autem quod iustificat *fer modum operis operati.*

sive sacramenti: videlicet, non *proprie* ex op. re operato tamquam causa efficiens instrumentalis, seel *quasi* IIII opere operato, ut quaedam realis passionis Christi imitatio cui infallibiliter annectitur iustificatio, sub sola conditione absenti.i. obicis ad gratiam. Quia vero in peccatore adulto obex ad gratiam est habitualis inhaesio voluntatis ad peccatum, quae non tollitur nisi per interiorem poenitentiam, tenendum est requiri ad fructum martyrii easdem omnino dispositiones quae in sacramentis mortuorum requiruntur ad iustificationem obtinendam, et potissimum quidem, attritionem excludentem omnem peccandi voluntatem: quamquam omnino credendum sit, attenta Dei liberalitate et providentia, numquam defuturam esse dispositionem huiusmodi, in eo in quo omnes validi martyrii conditiones vel ificantur fl). Denique observare oportet quod cum dicitur inesse martyrio vis justificandi quasi ex opere operato, non ideo ratio meriti ex opere operantis ab eo excluditur, absit. Sensus igitur est, martyrii privilegium in hoc esse, ut sacramenti instar augeat gratiam habenti illam, et conferat non habenti illam, idque *independenier a personali merito martyris quod aliunde in omnibus salvum integrumque manet.* Cum autem ad meritum de condigno essentialiter exigatur status gratiae, si forte peccator ad martyrium accederet, nullo praemisso actu *perfectae* contritionis, tunc martyrium in eo non esset aeternae vitae meritorium nisi ab eo(*)

(*) Revera quando martyri datur optio inter mortem et apostasiam, ipse eligendo mortem ex motivo religionis, ostendit se plus detestari peccatum, quam quodlibet damnum temporale, et ideo ex natura rei est quod habeat saltem attritionem necessariam. Itaque difficultas non est nisi de eo, qui cum sola *habituali* acceptatione mortis pro Christo, in statu peccati hic et nunc existens, trucidaretur in odium religionis. Et sic dico, pie esse credendum quod divina providentia non permittet verum esse martyrium, quin simul adsint dispositiones requisitae ad fructum. Sed haec est quaestio facti. Nunc autem quaestio iuris est in tuto: nullum scilicet esse possibile justificationis medium pro iis qui actualiter peccaverunt, absque contritionis motu, qui, ut Tridentinum ait, Sess. 14, cap. 1 et 4 (Denzinger 894, 897): *fuit quovis tempo» universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, tiam et iuslitiam assequendam necessarius.*

instanti in quo, vi martyrii ipsius, tanquam ex opere operato justificati·» conferretur; et hoc instans tunc videtur adesse, quando in natui.«libus causis mors est iam determinata, seclusoque miraculo. itari amplius non potest.

Quibus praemissis, dico: Martyrium infantes iustificat. Ergo martyrio virtus inest iustificandi quasi ex opere operato. Antecedens constat ex dictis in prima parte. Consequentia vero patet, quia infantes sunt incapaces cuiuslibet meriti, sive de condigno sive de congruo. Nec dicas, consequentiam valere pro infantibus, non autem pro adultis. Etenim absonum est, martyrium fore minoris virtutis in iis qui ratione utuntur, quam in iis qui rationis usum nondum habent, praesertim cum *realis imitatio passionis Christi, quae est titulus privilegiorum martyrii,* multo magis in martyrio adultorum quam in martyrio infantium conspicua sit. Quare, sicut sacramentum indifferenter valet ad justificationem ex opere operato, tam adultis quam infantibus, ita et martyrium. Nunc autem, sicut ad opus operatum sacramenti requiritur in adulto intentio recipiendi sacramentum, ita ad opus operatum (ut sic dicam) martyrii, requiritur in eodem voluntas tolerandi mortem pro Christo. Insuper, pro sacramenti fructu opus est in adulto dispositionibus removentibus obicem gratiae; et simili modo pro fructu martyrii, tametsi in martyrio dicendum videatur, dispositiones istas semper comitari conditiones validitatis. Hoc igitur pacto, pari gradu incedunt martyrium et sacramentum, excepta solum ratione influxus, quae in sacramentis est causae instrumentalis. in martyrio autem, simplicis conditionis.

Aliud quoque argumentum esse potest quia distinguuntur, iuxta doctrinam in Ecclesia universaliter receptam, tria baptismata. Ergo martyrium iustificat per modum operis operati. Con sequentia patet, nam alias vis iustificandi non inesset martyrio nisi ut includenti actum perfectae charitatis, qui solus est ex opere operantis ultima ad justificationem dispositio. Quapropter non recte divideretur baptismus Haminis contra baptismum sanguinis : nam ratio constituens martyrium in esse baptismi seu medii ad justificationem, adhuc esset charitas, non sanguinis

effusio: cum tamen evidens sit tria baptismati distingui per illud unde in unoquoque pendet Justificationis etkuus, quod est, vel aqua, vel flamen charitatis, vel sanguis pro Christi causa effusus (l). Certissime ergo tenendum est, martyrium conferre gratiam instar sacramenti.

Confirmatur demum auctoritate theologorum, post S. Thomam in IV, D. 4, q. 3, a. 3, q. 4, sol. 3, ad iul": «Baptismus «sanguinis, ait, non habet hoc, (liberare ab omni culpa praece- « dente et poena), tantum ex opere operante : neque quantum ad « poenam qua aliquis martyrium explet, quam contingit non esse «sufficientem ad satisfaciendum pro peccato, neque quantum ad « devotionem iustae voluntatis.... Sed hoc habet ex imitatione « passionis Christi ; unde de martyribus dicitur Apoc. VII, 14: « *Laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Et ideo pueri, quamvis « liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in « suo sanguine baptizati salvantur » (2).

Obiicitur primo : *Ex dictis sequeretur quod quandoque aliquis, puta infans, posset salvari absque baptismo aquae tarn in re quam in voto. Sed hoc est contra dictum Christi. Ioan. III-5: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non pokiest introire in regnum Dei*

Respondeo quod martyrium est aliquid extraordinarium, ex prava persecutoris voluntate dependens, quod non invenitur in mediis a Deo praeordinatis pro consecutione vitae aeternae. Recte ergo ab eo prescinditur in ea lege in qua praestituitur norma perveniendi ad regnum coelorum. Cum hoc tamen bene stat singulare privilegium in favorem eorum qui pro causa Christi, temporalis vitae iacturam patiuntur.

Obiicitur secundo : *Baptismus sanguinis non prodest ad salutem sine charitate, iuxta illud Apostoli 1 Cor. XIII: «Et*

P) Nec dicendum quod baptismus sanguinis adhuc afferret plenam remissionem poenae purgatorii, quam non semper, imo vix unquam affert simplex flaminis baptismus. Siquidem eiusmodi differentia non distingueret unum ab altero in ratione medii ad *iustificalionem,* ad quam accessorie tantum se habet remissio poenae temporalis.

(·) Cf. ea quae habet idem S. Thomas, infra, q. 87, a. 1, ad 2"".

« si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem « non habuero, nihil mihi prodest Ergo non iustipcat per modum operis operati, sed solum ex opere operantis.

Respondeo: *Dist. antec.* Non prodest ad salutem sine charitate saltem habituali, quae sit vel principium vel fructus martyrii, *conc antec.* Quae necessario sit principium martyrii aut efficiens aut formale, *neg. antec.* Et nego consequentiam. Simili enim modo recte diceretur : Et si recepero baptismatis sacramentum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Cuius ratio est quia sine habitu gratiae sanctificantis, et consequenter charitatis, tam impossibile est aliquem salvari, quam impossibile est contradictoria esse simul. Et ideo nihil potest prodesse nisi sit, vel a charitate habita, vel ad charitatem consequendam: sed immerito inde concluderes requiri necessario charitatem in ratione principii, ut evidenter constat. Quare, etiamsi diceret apostolus posse dari martyrium (ut supra in praenotandis fuit declaratum) absque salutis effectu, adhuc nihil sequeretur contra martyrii efficaciam per modum operis operati ; solum enim sequeretur, posse impediri effectum per obicis exsistentiam. Sed neque concedendum est, hunc esse sensum apostoli. Nam Paulus vel loquitur hyperbolice, hoc modo: si per impossibile subiero martyrium, charitatem autem non habuero, nihil sum : vel certe non considerat nisi materialem actum tradendi se flammis, qui potest non esse verum martyrium, sicut si quis, non ex motivo ad religionem pertinente, sed ex superbia, amore mundanae gloriae, aliove motivo simili, cruciatus contemneret.

Obiicitur tertio : *Augustinus, epist. 173, n. 6* (P. *L. 33. 755) et alibi pluries (x), docet martyrium sine charitate. utique antecedente, nec verum esse martyrium, nec valere ad salutem. Ergo idem ac prius.*

Respondeo: *Dist. antec.* Et per charitatem intelligit actum vel habitum virtutis theologicae, *neg. antec.* Et per charitatem intelligit communionem cum Ecclesia catholica, qua quis a schismaticis separatur, et servat unitatem, *conc. antec.* Unde negatur

(*) L. 3 de bapt. cont. Donat., c. 16 (P. L. 43, 148).

iterum consequentia. Scilicet, charitas apud Augustinum saepe sumitur pro eo quod directe opponitur peccato schismatis; peccato, inquam, quo quis *renuit subesse summo pontifici, et membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat* (*). Hoc igitur sensu sumendo charitatem, profecto sine charitate praesupposita martyrium non datur. Quomodo enim acceptaret mortem pro causa Christi, qui a vera Ecclesia in qua sola est Christi religio, voluntarie separatur, ac per hoc, ipsius causae Christi, quantum in se est, oppressor exsistit ? Porro, nihil aliud sibi vult Augustinus, ut ex eius verbis diligenter consideratis facile apparebit. Sed et in epist. 108, n. 9 (P. L. 33, 410), luculenter sese explicat, de S. Cypriano dicens : « Si aliquid habebat adhuc « purgandum, gloriosa martyrii falce purgatum est; non quia pro «Christi nomine occisus est, sed quia pro Christi nomine *in gre-* « *mio unitatis* occisus est. Nam ipse scripsit et fidentissime asse- oit, eos qui extra unitatem, etiamsi pro illo nomine moriantur, «occidi posse, non posse coronari. *Tantum valet, sive ad de-* « *lenda, sive ad confirmanda peccata, vel custodita, vel violata* « *charitas unitatis* » (2).

Obiicitur quarto 5. *Thomas in praesenti, (art. 12, ad 2), docet effusionem sanguinis non habere rationem baptismatis, si sil sine charitate; ex quo patet, ait, quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, et non e converso.*

Respondeo ut supra: Effusionem sanguinis non habere rationem baptismi, si sit sine charitate saltem habituali, et per

(*) ▮ Ecclesiae unitas in duobus attenditur : scilicet in connexione « membrorum Ecclesiae ad invicem, seu communicatione ; et iterum in « ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput... Hoc autem «caput est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit summus pon- «tifex Et ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo pon- • lifici, et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant ». S. Thom. 2-2, q. 39, a. 1.

(') Hinc rursus apparet differentia inter martyrium theologice acceptum, ut medium iustificationis, et martyrium philosophice sumptum, ut signum credibilitatis. Primo modo, causae bonitas martyrium facit ; alio modo, bonitatem causae martyrium demonstrat.

ipsum m irtyrium obtenta, *cone.* Alio modo, *neg.* Patet sensu» S. Thomae ex citatis eius verbis in IV Sententiarum, tum etiam ex iis quae senbit infra, Quaest. 87, a. 1, ad 2am: «Dicendum « quod passio pro Christo suscepta, obtinet vim baptismi, et « ideo *purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actuali-' ter voluntatem peccato invenerit inhaerentem.** Similiter, ad id quod additur, baptismum scilicet sanguinis includere baptismum flaminis, nota S. Thomam hic loqui de utroque baptismo quantum ad effectus, non autem quantum ad rationem constitutivam eorum, prout constat tum ex titulo articuli, tum ex responsione ad tam, tum denique ex iis quae remanent exponenda circa comparationem trium baptismatum

§ 3.

Principio notandum quod non instituitur comparatio inter baptismum aquae et duo alia baptismata, sub ratione sacramenti. Cum enim haec duo non sint sacramenta, baptismus fluminis omni modo excellit quoad sacramentalitatem, nec potest ullatenus suppleri respectu effectus qui dicitur res et sacramentum: et ideo ii qui cum solo baptismo flaminis vel sanguinis salvantur, sine charactere salvantur.

Quapropter comparatio instituitur solummodo quantum ad effectum qui est res et non sacramentum. Et sic in primis dicendum est, baptismum sanguinis excedere baptismum flaminis, quoad effectum remissionis poenae. Non enim omnis contritio perfecta tollit omnem poenae reatum, sed aufert ilium proportionaliter ad valorem satisfactorium ex opere operantis, ut in materia de virtute poenitentiae exponetur. Quippe iste baptismus est qui, ut Gregorius Nazianzenus ait (*), « per singulas « noctes lectum suum ac stratum Jacrymis lavat, cui ipsae « quoque vitii cicatrices fetent, qui lugens et contristatus ingre- « ditur, et qui Manassis resipiscentiam ac Ninivitarum humili- « tatem imitatur, qui publicani verbis in templo utitur, ac supra

(*) Greg. Nazianz., Orat. 39 in sancta lumina, n. 17 (P. G. 36, 335),

«insolentem et superbum pharisaeum justificatur; qui denique « Chananaeae instar deprimitur, et misericordiam implorat, ac «micas, hoc canis vehementi fame correpti pabulum, exposcit». — Ast, omnis baptismus sanguinis ex inhaerente sibi privilegio tollit totam poenam simul cum culpa, iuxta tritum illud et ab omnibus receptum axioma: *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Ad rem Augustinus, Serm. 159, n. 1 (P. L. 38, 868): « Per« fectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam sancti martyres « pervenerunt, ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles « noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi «non pro ipsis oratur; pro caeteris autem commemoratis de« functis oratur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos «debemus orationibus commendari». Nec obstat quod ille qui martyr occubuit, de omnibus venialibus *forte* non habuit poenitentiam, sine qua nullius omnino peccati remissio conceditur. Si enim eiusmodi casus contingeret, tunc locum haberet id quod supra dictum est de baptismi reviviscentia quoad secundarios effectus, in primo instanti separationis animae a corpore (*); neque in hoc specialis occurrit difficultas.

Nunc autem si consideretur principalis baptismi effectus, qui est remissio culpae et consecutio gratiae, dicendum est quod martyrium praeeminendam habet, non solum super baptismum flaminis, verum etiam super baptismum aquae: « Quantum ad ea « quae sunt res sacramenti, inquit Angelicus in IV, D. 4, q. 3, a. « 3, q. 4, sol. 4, excedit baptismus sanguinis, quia et gratia, «(caeteris paribus), in baptismo sanguinis *magis augetur ha«benli, et amplior datur non habenti,* si impedimentum non «adsit; et remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia « uterque omnem poenam et culpam tollit, tamen est in ba«ptismo sanguinis efficacior et fructuosior, quia *secundis ma• culis non inquinatur,* ut Damascenus dicit ». Quam considerationem affert etiam Gregorius Nazianzenus, Orat, in sancta lumina, ubi supra: «Aliud, inquit, baptismi genus novi, quod *i.* martyrio et sanguine comparatur..., et quidem eo caeteris au-

(*) Supra, Thes. 6, n. 2, in nota.

« gustius juod nullis postea sordibus contaminatur·. Propter hoc sancti martyres singulariter dicuntur albis stolis amicti. Hi enim sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni!

Quaest. LXVIL

DE MINISTRIS PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM.

Deinde, inquit S. Thomas, considerandum est de ministris per quos traditur sacramentum baptismi. In quo quidem capitulo, conclusiones plerumque non habent rationes a priori, nisi solius convenientiae ; rationes etiam positivae nequeunt sufficienter ex Scripturae fonte deduci, saltem quod attinet ad totum quaestionis ambitum; ideo ex Traditione et infallibili sensu Ecclesiae desumenda sunt principalia argumenta. Caeterum, cum in hoc puncto, seclusa quaestione iam eliquata de fide et bonitate ministri, nulla unquam fuerit exorta controversia, paucis res est conficienda. Sint igitur duae sequentes assertiones.

i. Regularis minister huius sacramenti est solum sacerdos, cui ex officio competit baptizare.

Assertio haec constat ex perpetuo sensu et praxi Ecclesiae catholicae. Imo testatur Augustinus uti rem inter catholicos et acatholicos minime disputatam, sed utrinque pariter summo consensu admissam, ius dandi baptismum, id est, potestatem baptizandi ex officio, nonnisi in sacra ordinatione conferri. « Nulla, « inquit (x), ostenditur causa cur ille qui ipsum baptismum « amittere non potest, ius dandi potest amittere. Utrumque « enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque « homini datur : illud cum baptizatur, istud cum ordinatur ». Et re quidem vera, character Ordinis, ut dictum est, deputat hominem ad sacra aliis tradenda. Ergo sine hoc charactere nulla

(·) August., l. 2 c. epist. Parmen , n. 28 (P. L. 43, 70)

est regularis commissio ad conferendum sacra i nta ; illa, inquam, sacramenta in quorum collatione potestas in alterum exercetur. De Matrimonio enim specialis est ratio, cum sit quidam contractus in quo utèrque contrahentium pari gradu incedit, agens simul et patiens, dans et recipiens : quo fit ut nullus ibi esse debeat minister Ordine praeeminens

Cum autem character Ordinis nunc commemoratur, intelligendus est character ordinis sacerdotalis, quia ad inferiores ministros, puta diaconos, « non pertinet aliquod sacramentum prin- « cipaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed adhibere «ministerium aliis maioribus in sacramentorum exhibitione. Et « sic ad diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio tra « dere sacramentum baptismi, sed in collatione huius sacramenti «et aliorum, assistere et ministrare maioribus» (*). Accedente tamen commissione episcopi, si sit necessitas, etiam diaconus solemniter baptizare potest ; et ideo ipse medium tenet locum inter ministrum ordinarium et simplicem ministrum necessitatis, de quo nunc dicendum est.

2. Minister necessitatis est quilibet homo, sive vir sive mulier, sive baptizatus sive etiam non baptizatus.

Hic primum omnium observa, ministrum necessitatis non dici, quasi in solo casu necessitatis validus dispensator exsisteret; constat enim sacramentum esse *semper* validum, a quocumque administretur cum debita materia, forma, et intentione. Dicitur ergo minister necessitatis, primo quidem quia nonnisi necessitate urgente, laicus licite baptizat ; secundo, quia nunquam admitti potest ad baptizandum cum solemnitate ; tertio demum, quia ratio cur baptizandi potestas ad omnes homines fuit extensa, est summa necessitas huius sacramenti. « Ad mi- « sericordiam eius qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet « ut in his quae sunt de necessitate salutis, homo de facili re- « medium inveniat. Inter omnia autem sacramenta, maximae «necessitatis est baptismus... *quia pueris aliter omnino subve- i niri non potest,* et adulti non possunt aliter quam per bapti-

(*) S. Thom., hic, art. i in corp.

«smum, >lenam remissionem consequi, et quantum ad culpam «et quantum ad poenam. Et ideo, ut homo circa remedium « tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut « et materia baptismi sit communis, scilicet aqua quae a quo- « libet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit « quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo « salutis suae dispendium patiatur » (*).

Huius autem institutionis nullum aliud documentum est quam perpetua Ecclesiae traditio ab apostolis derivata: «Quamquam, in- « quit Augustinus, l. 2 cont. epist. Parmen., n. 29 (P. L. 43, 71), « etsi laicus aliquis pereunti dederit, necessitate compulsus, quod « cum acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio an pie « quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente neces- « sitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas « urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed et si nulla « necessitate usurpetur et a quolibet cuilibet detur, quod datum « fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit « illicite datum ». Verum ista de solo ministro baptizato intelli- guntur : *quod cum ipse acciperet,* inquit, *quomodo dandum esset addidicit.* In septimo autem libro de baptismo contra Donatistas. c. 53 (P. L. 43, 242 sq.), ponit idem Augustinus quaestionem de ministro non baptizato, an valide baptizet. Et se quidem testatur in affirmante sententia versari, quamquam nihil audeat asseveran- ter determinare: «Nobis, ait, tutum est in ea non progredi, aliqua « temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali conci- « lio coepta, nullo plenario terminata sunt ; id autem fiducia se- « curae vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri « et Salvatoris Iesu Christi, universalis Ecclesiae consensione « roboratum est. Verumtamen, si quis forte me in eo concilio « constitutum, ubi talium rerum quaestio versaretur..., urgeret « ut dicerem quid ipse sentirem... nequaquam dubitarem ha- « bere eos baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud « verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, et cum « aliqua fide (intentione recipiendi sacramentum) accepissent ».

(*) S. Thom., hic, art. 3 in corp.

At vero, ea quae Augustini tempore nondr omnino eliquata quaestio erat, certo certius in explicito to'.in Ecclesiae sensu nunc invenitur (*). Non est itaque ullatenus dubitandum quin omnis homo, baptismi aliis dandi sufficiens <i validus minister exsistat.

Quaest. LXVIII.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

Post consideratione de *ministro* sacramenti, sequitur consideratio de *subiecto,* cui baptismus ministrandus est; et praeter generalem doctrinam respicientem homines universos, specialis esse debet quaestio de adultis, specialis altera de parvulis. Primo ergo inquiritur, an et qua ratione omnes et singuli homines sint subiectum baptismi.

THESIS XXV.

(Art. t-2).

Salvo in omnibus martyrii privilegio, baptismus in re vel in voto est medium omnibus necessarium ad salutem, et ad huius sacramenti susceptionem homines omnes divino iure obligantur.

Circa baptismi necessitatem erraverunt Pelagiani, Calvinistae, et Sociniani. Hi ultimi baptismum undequaque liberum esse adstruunt, Calvinistae vero necessitatem praecepti pro adultis agnoscentes, solam negant necessitatem medii, quippe qui innixi

(*) Cf. responsum Nicolai I ad consulta Bulgarorum, *A quodam ludaeo,* etc. (Denzinger 335).

falsa ii .retatione cuiusdam textus Apostoli ¶, volunt peccatum [1] riginale remitti infantibus fidelium in uteris matrum.

In i catholicos Caietanus post Gersonem aliquando opinatus · i. *parvulos quibus sacramentum, applicari nequii,* salvari posse per baptismi votum a parentibus conceptum, praesertim si adhil^eatur signum quoddam externum, puta precatio seu invocatio SS. Trinitatis (2). Haec porro opinio quae sine dubio est erronea, et iussu Pii V e Caietani commentariis expuncta, hoc ipso aevo fuit renovata a quodam presbytero, cuius librum reprobavit Sacra Indicis Congregatio.

Praecipuae definitiones Ecclesiae ad praesentem doctrinam

¶ Dicitur in i Cor. VII-14: *Sanctificalus esi enim vir infidelis per mulieremfidelem, et sanclificata est mulier infidelisper virum fidelem; ulioquinfilii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Unde concludit Calvinus, pueros ex sanctificatis parentibus natos, absque baptismo vel alio quopiam medio, spiritualiter emundari. Verum sensus huius loci longe alius est. Agitur enim de matrimonio in infidelitate contracto, quod non debet nec potest ullo modo solvi, etiam quando unus coniugum ad fidem convertitur, si pars infidelis pacifice et absque iniuria Creatoris consentit cohabitare. *Si quis frater,* inquit, *uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si quae mulierfidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Cuius praecepti rationem reddens Apostolus, docet quod in eiusmodi circumstantiis, unius conversio non solum non est ratio divortiandi, sed multo magis perseverandi in eodem coniugio : idque primo, propter spem adducendi ad Christum partem infidelem, quae iam est in quadam animi praeparatione sanctificata, per hoc ipsum quod cum cultore Christi consentit in pace vivere ; tum secundo, ne remaneant filii in potestate infidelis, et consequenter, in immunditia paganismi. Nunc autem, concludit Apostolus, filii vestri sancti sunt, saltem in praeparatione, eo quod sub providentia et cura Christiani parentis manent constituti.

(·) «In casu necessitatis, ad salutem puerorum sufficere videtur «baptismus *in voto parentum,* praecipue cum aliquo exteriori signo... « Et sic parvulus *ex baptismofluminis voto parentis suscepto,* salvaretur, « si impossibile esset ipsum baptizari aqua. Debet autem in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, et Deo « offerre morientem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti·. Caietanus, in ³ᴹ Part., q. 63, art. 1 et 2

attinentes, sunt in Concilio Milevitano II, 2 et 3, tum in Tridentino, Sess. V, Decret, de peccato inali, Sess. VI cap. 4; Sess. VII, can. 5 de bapt.. etc. Nur, autem, primum omnium ostendendum est, baptismum esse n··. <ssarium omnibus necessitate medii.

Medium necessarium ad salutem est spiritualis regeneratio; rursus medium necessarium ad regenerationem est baptismus; ergo a primo ad ultimum, baptismus est necessitate medii ad salutem necessarius. Maior constat a priori, quia regeneratio spiritualis consistit in recuperatione habitualis gratiae per peccatum originale amissae ; gratia autem habitualis est ipsum radicale principium vitae aeternae. Minor etiam facile demonstratur ex Ioan. III-5, ubi Christus determinans qua via oporteat hominem consequi novam illam nativitatem de qua superius fuerat locutus, assignat viam baptismi, et excludit alias vias dicens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Hoc tamen intelligendum esse de baptismo *in re vel in voto,* manifestum efficitur, non solum ex testimoniis in praecedenti quaestione prolatis, quando exsistentia baptismi flaminis demonstrabatur, verum etiam ex natura rei. Etenim perfecta charitas habet ex natura sua, quod hominem proxime disponat ad justificationem. Aliunde vero lex positiva non mutat naturam rerum, et ideo baptismi institutio non potuit auferre naturalem vim charitatis in justificationis negotio, sed solum potuit efficere ut nullus esset in posterum, quoad non baptizatos, verus actus amoris Dei super omnia, quin hoc ipso includeret votum medii positivi a Christo Domino instituti. Ergo restrictio « in re *vel l in voto* › non est arbitrarie conficta, sed in ipsa natura rerum suas radices habet.

Similiter ex documentis quibus privilegium martyrii adstruitur, satis apparet verba evangelica, *nisi quis renatus fuerit* etc., excludere solum omne aliud medium antecedente Dei

ordinati dispositum, per quod regni caelorum pateret accessus. Atqui, mi martyrium dependeat essentialiter a violatione divinae legis, pr.ivaque persecutorum voluntate, eo ipso exorbitat ab ordine eorum quae in propositione regulae debent attendi: non enim est medium a Christo legislatore institutum : imo vero, ratione actionis peccaminosae quam necessario praesupponit, accidit praeter eius intentionem. Recte ergo a martyrio et privilegiis eius praescinditur, cum norma perveniendi ad regnum caelorum enuntiatur.

Haec si bene perpendas, videbis nullam esse paritatem inter restrictionem quam in verbis Christi agnoscit doctrina catholica, et restrictionem aliam quam in iisdem introducit plus quam singularis opinio Caietani. Restrictio enim *«in re vel in voto»* utpote ex ipsa rei natura exoriens, in evangelicis verbis implicite contineri dicenda est; restrictio vero altera quae martyrium concernit, intactam relinquit veritatem sententiae exclusivae propter rationes mox expositas. — At contra, in opinione Caietani daretur praeter baptismum, *aliquod aliud medium positivum a Christo legislatore provisum atque institutum,* quo posset perveniri ad regenerationis gratiam; adeoque non amplius veraciter diceretur, neminem posse in regnum Dei introire, nisi renatum ex aqua. Fac enim existere duo media ad consecutionem finis legaliter instituta; etiamsi ista non pari gradu incederent, sed ex voluntate institutoris unum non valeret nisi deficiente possibilitate primi, adhuc legislator non diceret cum veritate: Nisi primum adhibeatur, finis non obtinebitur. Removenda ergo, ut evangelio contraria, sententia Caietani. — Accedit etiam constans Ecclesiae sensus et persuasio, necnon et doctrina Patrum aperte contradicens huic novitati. Certe novum illud salutis remedium pro parvulis, et veluti octavum N. L. sacramentum, prorsus ignorabat Augustinus cum scribebat contra Pelagianos : « Nonne etiam vos ipsi « (Pelagiani), qualibet intentione necessarium baptismum omni« bus aetatibus dicitis?... Cur non vos baptismus qui datur in« fantibus, ipsa vicinitate commonuit, quid sentire de gratia «debeatis?... De baptismate reddite rationem; cur illud dicatis « omnibus esse aetatibus necessarium, quare sit necessarium par-

«vulis, dicite: profecto quia eis boni aliqu l ' onfert, et idem «aliquid nec parvum, nec mediocre, sed mai; mim est. Nam etsi «eos negatis attrahere quod in baptismo remittatur originale pec· « catum, tamen illo regenerationis lavacro adoptai i ex filiis ho· « minum in filios Dei, non negatis, imo etiam praedicatis. Dicite « ergo nobis, quicumque baptizandi in Christo parvuli de corpore « exierunt, hoc tam sublime donum, quibus praecedentibus meritis « acceperunt. Si dixeritis hoc eos parentum pietate meruisse, re· «spondebitur vobis: Cur aliquando piorum filiis negatur hoc bo· « num, et filiis tribuitur impiorum? Nonnunquam enim de reli· « giosis orta proles in tenera aetate atque ab utero recentissima « praevenitur morte, antequam lavacro regenerationis abluatur, «et infans natus ex inimicis Christi, misericordia Christianorum « baptizatur in Christo. Plangit baptizata mater non baptizatum « proprium, et ab impudica expositum, baptizandum casta fetum « colligit alienum » (1). — Accedit demum inanitas rationum Caietani, quibus facile est respondere.

Fundamenta Caietani sunt, « ex auctoritate Gregorii dicentis(*) « apud Magistrum Sententiarum : *Quod apud nos valet aqua ba·* « *ptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro* ‹ *maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahac stirpe* **prodierunt, mysterium circumcisionis.* Hinc enim, inquit, arguo: ‹ Fides sola veterum non fuit maioris virtutis apud veteres quam « apud nos, ac per hoc, non plus potuit necessitatis urgente ar· « ticulo subvenire tunc, quam nunc. Sed tunc, deficiente parvulis « proprio salutis auxilio, parentum fides pro parvulo sola suffi· «ciebat. Ergo nunc, cum parvulo deest proprium salutis reme· « dium quod est baptisma, sola parentis fides parvulum Deo «offerens sufficit ad salutem parvuli ».

Respondeo : Pueros in V. T. iustificatos fuisse in fide parentum, dupliciter intelligi potest. Uno modo, quatenus fides fuit parentibus causa adhibendi suis infantulis sacramentum a Deo institutum, et sic, etiam in lege nova, medio baptismo infantes salvantur in fide parentum, vel aliorum qui de iis curam habent.

(*) August. l. 2 contr. duas epist. Pelag., n. n (P. L. 44, 578).

Alio m quasi parentum fides fuisset per se ipsam principium iustifi' iis parvulorum, et sic, si forte Caietanum excipias, nullus unquam dixerit parvulos in fide parentum iustificatos. Quidni nim filii fidelium sanctificati essent ab uteris matrum? Quidni commune evasisset id quod singulare loannis Baptistae privilegium Scriptura attestatur? Quare theologi in hoc unanimiter consentiunt: sacramentum in re, fuisse quovis tempore medium salutis omnino necessarium iis omnibus qui usum rationis nunquam habuerunt. Nunc autem, abrogato testamento veteri, cessavit circumcisio simul cum sacramento legis naturae, et subrogatum est sanctum baptisma quod est sacramentum maximae necessitatis, *quia pueris aliter omnino subveniri non potest,* inquit S. Thomas (1) innixus testimonio Christi dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancio, non potest introire in regnum Dei.* Caeterum quidquid sit de eo in quo consistebat remedium legis naturae, evidens est conditionem parvulorum, omnibus perpensis, multo esse meliorem in lege nova quam in antiqua. Et principalis ratio est quia antiquitus, salutare remedium fuerat deperditum apud plerosque populos, baptisma autem non solum est facillimae administrationis, sed etiam fuit a Christo commissum Ecclesiae indefectibili, quae per omnes gentes diffunditur, et nunquam cessare potest ab exsecutione mandati divinitus accepti: *Euntes docete.... baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Et de necessitate quidem medii, hactenus.

§ 2.

Necessitas vero praecepti sponte sua consequitur. Aliquid enim potest cadere sub praecepto quin sit medium salutis necessarium, sed nihil vice versa potest esse necessarium medium, quin hoc ipso cadat sub praecepto. A quo quidem praecepto extraordinarium martyrii privilegium nequaquam adultos excusare valet, cum a communi et ordinaria lege nemo deobligetur

(1) Supra, quaest. 67, art. 3, in corp.

nisi per superioris dispensationem ; porro hæc dispensatio in dicto privilegio non continetur, ut constat.

Praeterea, omnes homines praecepto divino tenentur ingredi Ecclesiam; ergo et tenentur suscipere baptismatis sacramentum quod est ianua Ecclesiae.

Ad tempus autem implendae obligationis quod attinet, nihil est materialiter determinatum. Certe, «ad baptismum percipien- « dum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum «baptismi, ita quod mortaliter peccet, nisi statim baptizetur. « Nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si baptismum « differat, peccatum mortale incurrat; sed potest contingere quod « in dilatione baptismi erit peccatum mortale, vel non erit, et « hoc pensandum est ex causa dilationis. Unde si causa dilationis «baptismi peccatum mortale annexum habeat, utpote si propter «contemptum vel aliquid huiusmodi (x) baptismum differat, di- «latio erit peccatum mortale, alias non» (2). — Sed horum discussio ad theologos morales potissimum spectat, et ideo probati auctores consulantur.

THESIS XXVI.

(Art. 1).

In adultis peccatoribus, ad iustificationis gratiam in baptismo consequendam, easdem oportet esse dispositiones quae sunt in sacramento Poenitentiae necessariae, sed nulla debent eis imponi opera satisfactoria, et non tenentur ad confessionem suorum peccatorum. Quod autem attinet ad validitatem sacramenti, nihil ex parte ipsorum requiritur, nisi voluntas sive intentio suscipiendi sacramentum.

Post considerationem de subiecto baptismi in generali, sequitur specialis consideratio de adultis ; primo quoad disposi-(*)

(*) Puta, quia homo vult liberius peccare, vel ab onere legis Christianae ferendo refugit.

(·) S. Thom, in IV, D. 17, q. 3, a. 1, q. 4, sol. 4.

tiones re piisitas ad gratiam sacramentalem consequendam, deinde vero qu › 'd conditiones validitatis ipsius sacramenti.

§ i.

Sermo est *de adultis peccatoribus,* intelligendo eos qui praeter originale, personalia peccata habent. A caeteris autem praescinditur, quia isti vel iam inveniuntur in statu gratiae, et tunc necessariis dispositionibus carere nequaquam possunt ; vel nec gratiam nec reatum peccati mortalis personalis habere supponuntur, et sic neganda esset cum quibusdam hypothesis possibilitas, aut certe excepto dolore de peccatis (1), caeterae omnes conditiones nunc assertae, in talibus requirerentur.

Ratio autem assertionis in thesi positae, est quia commune habent sacramenta mortuorum ut remittant peccata ex opere operato. Porro ad remissionem ex opere operato requiritur semper et sufficit obicis remotio. Cum ergo eodem modo removeatur obex in peccatore baptizando et in peccatore baptizato, consequens est quod in peccatore adulto, eaedem dispositiones indifferenter requirantur ad justificationem, sive per Baptismum, sive per Poenitentiae sacramentum obtinendam. Quaenam autem illae sint, iam generaliter dictum est in disputatione praecedenti, et in tractatu de Poenitentia reservatur specialissime exponendum. Interim vero, satis erit referre verba Concilii Tridentini, Sess. VI, cap. 6: «Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excita« tati divina gratia et adiuti, *fidem* ex auditu concipientes... in « *spem* eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propi« tium fore... ac praeterea moventur adversus peccata per odium « aliquod et detestationem, hoc est, per eam *poenitentiam quam tante baptismum agi oportet* (2) ; denique, dum proponunt su-(*)

(*) Dico, *excepto dolore de peccatis,* quia de peccato originali nemo potest conteri.

(') « Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in no« mine Iesu Christi ». Act. II, 38.

«scipere baptismum, inchoare novam vitam, i servare divina « mandata » (Denzinger 798).

Non tamen sunt iniungenda baptizando Optra satisfactoria, nec ab eo exigitur confessio peccatorum, quia ista in sacramento Poenitentiae non requiruntur *ut dispositiones,* sed *ut materia sacramenti.* Nam in Poenitentia, materia sum actus poenitentis, dolorosa scilicet confessio peccatorum cum satisfactione convenienti; in baptismo autem, materia est ablutio aquae. Unde sacramentum baptismi et sacramentum poenitentiae, etsi exigant dispositiones easdem, semper tamen in suis essentialibus constitutivis distinguuntur. Caeterum, non oportet ut quis sit sollicitus de remissione poenae temporalis, ad quam in Poenitentia ordinantur iniunctae satisfactiones; nam ut in sequenti quaestione dicetur, baptismus facit creaturam novam, tollendo omnia ad veterem vitam pertinentia, quantum ad omnem culpae simul et poenae reatum.

§ 2.

Necessitas intentionis in suscipiente fuit sufficienter declarata, de Sacr. in comm., Thés. XIX. Porro nihil aliud ad validitatem requiri, puta fidem aut aliquid eiusmodi, satis etiam apparet ex dictis de charactere. Ostensum est enim ex doctrina Patrum, quod characteris impressio non impeditur per incredulitatem vel quamlibet malitiam suscipientis, et quod hac de causa haeretici non rebaptizantur. Sed si incredulitas, haeresis, malitia, et alia similia non impediunt characteris impressionem, sequitur quod non impediunt validitatem sacramenti, cum per omnem et solum baptismum validum baptismatis character imprimatur.

Et de adultis quidem, hactenus. Nunc autem accuratior esse debet consideratio de pueris, quia quoad baptismum puerorum speciales prodierunt errores. Imo, separatim dicendum erit de pueris fidelium, tum postea de infidelium, cum non sit circa hos et illos eadem omnino ratio.

THESIS XXVII.

(Art. 9),

Pueri fidelium sunt baptizandi. Baptizati autem in infantia. cum ad annos discretionis pervenerint, non habent ius ratum habendi pro arbitrio suo id quod patrini nomine eorum polliciti sunt, sed velint nolint, omnibus Christianorum obligationibus in perpetuum manent obstricti.

Circa baptismum infantium erraverunt potissimum Anabaptistae, qui duce Muncer (anno 1522), docere inceperunt neminem nisi aetate adulta rite baptizari, et ideo non solum a baptizandis pueris abstinebant, sed etiam in pueritia baptizatos rebaptizabant, unde Anabaptistarum nomen sibi vindicaverunt. Hi inter omnes Pseudo-Reformationis initiatores truculenta ferocia eminent; hi principia Protestantismi logica implacabili intrepide perduxerunt ad suas ultimas consequentias: in eis denique, ut recte Bellarminus annotat f1), apparuit maxima Satanae rabies contra genus humanum, qui non contentus perdidisse per Lutheranos et Sacramentarios innumerabiles animas hominum adultorum, voluit etiam animas infantium perdere per Anabaptistas. Erasmus vero, omnium liberalistarum nostri temporis dux et praeceptor, utpote principiis Protestandum undequaque imbutus, alium errorem introduxit. Docuit enim, homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint, interrogandos esse an ratum habeant id quod ipsorum nomine in baptismo promissum est; et si renuant, esse liberos dimittendos, nec coactioni Ecclesiae ullatenus eos subiacere. Contra hos omnes errores processerunt anathemata Tridentini, Sess. VII, can. 12-14 de baptismo: «Si quis dixe-
« rit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate qua Christus
« baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit. —
« Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non ha-
« bent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse,(*)

(*) Bellarm. de bapt., c. 8.

• ac propterea, cum ad annos discretionis p< nerint, esse re· «baptizandos, aut praestare omitti eorum bapîhma, quam eos « non actu proprio credentes baptizari in sola tide Ecclesiae, <anathema sit. — Si quis dixerit, huiusmodi parvulos bapti· «zatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere « velint quod patrini eorum nomine, dum baptiz.n entur, polliciti «sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquen· «dos, nec ulla interim poena ad christianam vitam cogendos, «nisi ut ab Eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione « arceantur, donec resipiscant, anathema sit » (Denzinger 868· 870). Cf. etiam Concilium Milevitanum II, can. 2 ζ1), et Lateranense IV, cap. *Firmiter (2).*

Caeterum si in praesenti de *pueris fidelium* dicimus, ratio non est quia excluduntur alii, sed quia de his aliis specialis habebitur quaestio, ut supra praemissum est.

Pueros esse capaces baptismi, multis rationibus demonstratur. — *Primo,* quia erant capaces circumcisionis, quae fuit baptismus veteris testamenti sicut baptismus est circumcisio novi, ut dicitur Coloss. II-11. — *Secundo,* quia alias ante annos discretionis morientes non haberent ullum medium salutis, cum tamen Dominus dicat : « Sinite parvulos ad me venire, talium est «enim regnum caelorum». — *Tertio,* quia cum in Adam parvuli moriantur, multo magis possunt in Christo vivificari ; quod non esset si baptismi incapaces exsisterent. — *Quarto,* quia de hoc dogmate habetur auctoritas antiquissimae traditionis, cuius monumenta in controversia Pelagiana potissimum exstant (3). —

(») Enchirid, n. 102.

(·) Ibid. n. 428.

(·) Eleganter Augustinus, l. 4 de bapt., c. 23 (P. L. 43, 174): « Quod traditum tenet universitas Ecclesiae, cum parvuli infantes baptizantur, « qui certe nondum possunt corde credere ad iustitiam, et ore confiteri • ad salutem...; quin etiam, flendo et vagiendo cum in eis mysterium «celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt; et tamen nullus christia· «norum dixerit eos inaniter baptizari».

Quin' denique, constat ex natura rei, si tamen catholicorum princip i supponantur. Nam si quis cum Protestantibus statuat, sacr.i nta in tantum esse efficacia, in quantum excitant fidem, ex qu ' sola habetur iustificatio, statim sequitur pueros esse incapaces cuiuslibet sacramenti ; atque hinc apparet, Anabaptistas secum ipsis fuisse constantes, Lutheranos vero, dum validitatem paedobaptismi agnoscunt, contradictoria ac pugnantia asserere. Verum in doctrina catholica, quae habet sacramenta ut instrumenta Dei ad justificationis gratiam ex opere operato conferendam, non potest esse discrimen inter adultos et infantes, nisi quod in parvulis nullus est obex possibilis, ex hoc ipso quod suae voluntatis usum non habent; in adultis vero, obex non removetur nisi per actus positivos.

Sed nec obstare potest, ad infantes quod attinet, obligatio quae nascitur ex baptismo: tum quia falsissimum est, obligationes generatim pendere a consensu humanae voluntatis; tum quia in iis etiam obligationibus quae ex pacto vel contractu oriuntur, potest aliquando voluntas parvuli suppleri per voluntatem alienam, sicut apparet in dispositionibus omnium legum, quae in bonum temporale parvulorum, tutores et administratores bonorum ipsis provident. Quanto magis igitur habere poterunt qui pro eis respondeant et obligationes contrahant, in ordine ad bonum salutis aeternae! Quod tamen dixerim ad abundantiam iuris; nequaquam enim concedi debet, obligationes baptismi pendere a consensu nostrae voluntatis tanquam a principio per quod inducantur; de qua re infra, in altera propositionis parte.

Itaque non est ullatenus dubitandum quin capaces baptismi pueri existant. Ast non satis. Nam insuper, convenientissime et cum maximo eorum emolumento, secluso etiam periculo mortis, baptizantur. Ratio est quia in baptismo recipiunt, praeter habitum gratiae sanctificantis, habitus infusos virtutum tam theologalium quam moralium, et specialiter habitum fidei. Quo fit ut cum inceperit elucescere aurora rationis, fidei veritatem *cannaturaliter* capiant, atque in ea magis fundentur et radicentur, concurrente scilicet cum externa instructione ipso lumine infuso, quod est quaedam habitualis inclinatio ad proprium actum. «fuit

«etiam conveniens, inquit S. Thomas in pt. nti, pueros ba-«ptizari, ut a pueritia nutriti in his quae sun hristianae vitae «firmius in ea perseverent, secundum illud I . XXII-6: *Ado-tkscens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab tea·».* Hinc parentes christiani, utpote speciali sacramento deputati ad educandam prolem pro Christo et Ecclesia, tenentur suos parvulos offerre baptizandos; imo consuetudo quae obtinet vim legis, non permittit ut sine evidenti necessitate baptismus differatur.

Sic ergo concluditur contra Anabaptistas; nunc excludendus est error Erasmi.

§ 2-

In primis rememorandum est ex superius dictis de charactere sacramentorum, quod character baptismalis est essentialiter deputatio ad cultum divinum in Christiana religione; deputationem dico inductam ab ipso Deo, mediante sacramento in ratione instrumenti. Qui autem mancipatur ad cultum divinum secundum Christianae religionis ritum, profecto cultui divino addicitur in Ecclesia catholica, in qua *sola* est Christiana religio Hinc quisquis characterem baptismalem accipit, non voluntate pro·pria0), nec voluntate aliorum hominum, sed voluntate et lege divina obligatur ad professionem christianitatis, fitque subditus illius hierarchiae (2), cui vices suas in mundo commisit Christus(*)

(*) Nec obstat quod in adulto requiratur liber consensus, ut recipiat characterem. Non enim requiritur consensus ille *ut causons sacramentum vel effectum sacramenti,* sed solum ut *removens impedimentum* contrariae voluntatis, eo quod divina lex disposuit ut *invitus* non esset idoneum sacramenti subiectum. Sed si consensus non est ullo modo causa characteris, obligationes etiam quae characterem consequuntur, principium non habent in consensu hominis, sed in sola voluntate Dei qui est supremus omnium dominus.

(·) Nota quod *hierarchia* non sumitur nunc in eodem sensu quo sumebatur superius.de Sacr. in comm., Thés. XI. Tripliciter enim accipitur hierarchia sive *sacer principatus.* Primo, *pure active,* et sic est in solo Christo qui summus ac supremus hierarcha est. Secundo, *passive.*

ut rev, ¹ fidelium societatem. Iurisdictioni autem alicuius societatis ici ratione et titulo potest quispiam esse obnoxius: scilicet, ¹ ut membrum, vel ut desertor et contumax. Et baptismus profecto, ratione characteris, vim habet incorporandi hominem erae Ecclesiae ut membrum, iuxta illud Florentini, Decret. pi · Armenis : «Per ipsum (baptismum) membra Christi. « ac *de corpore efficimur Ecclesiae* ». Quod si per externam professionem haereseos vel schismatis, per quam vinculum unitatis abrumpitur homo impediat praedictam baptismi efficaciam, desinit quidem esse membrum corporis Ecclesiae *in actu,* atque omnia emolumenta huic qualitati annexa ipso facto amittit; non tamen deobligatur a lege christianitatis, nec jurisdiction! ecclesiasticae ullo pacto subtrahitur, quia quamdiu manet character, tamdiu manet ordinatio qua *a Christo ipso* mancipatus est ad cultum Christianum. Relinquitur ergo ut sit subditus Ecclesiae tamquam desertor, vel formalis, vel certe materialis ¶.

pro toto complexu multitudinis Christianorum sublectorum principatui et gubernationi Christi. Tertio, sensu mixto, *passive simul et active,* pro solo ordine sacrorum ministrorum qui in hac ipsa multitudine obnoxia gubernationi Christi, active se habent ad caeteros, hoc est, ad laicos ; ordinem dico clericalem per quem populus Christianus regitur, et sic sumitur in praesenti.

¶ Hinc celebris illa epistola, quam tempore persecutionis in Germania, immortalis Pontifex Pius IX ad Gulielmum imperatorem misit:

« Sire,

« Toutes les démarches du gouvernement de Votre Majesté tendent depuis un certain temps, et cela de plus en plus, à la destruction du catholicisme. Lorsque *je* réfléchis sur les motifs qui ont pu «amener un plan de conduite aussi rigoureux, j'avoue que je n'en puis «trouver. D'autre part, j'entends dire que Votre Majesté n'approuve «point cette manière d'agir de son gouvernement... Mais s'il est vrai «que Votre Majesté ne l'approuve point..., Votre Majesté a-t-elle la « certitude que ces mesures amèneront un autre résultat que l'ébranlement de son trône? Je parle courageusement, car la vérité est mon bouclier, et je le fais pour accomplir jusqu'au bout un de mes devoirs. « qui m'oblige à dire la vérité à tous, et par conséquent a celui-là même qui n'est pas catholique : *car quiconque a été baptise, appartient en quel-*

Rursus notandum quod etsi tota obii·., io christianitatis consequatur characterem, atque immobiliter permaneat, ipso charactere indelebiliter inhaerente, convenientissime nihilominus institutum fuit ut praevie ad susceptionem sacramenti, intercederet ex parte baptizandi solemnis promissio servandi fidem Christo et Ecclesiae; convenientissime etiam provisum, ut si qui per aetatem respondere non possent, loco eorum patrini responderent. Non quod obligationis vinculum ab huiusmodi promissione tanquam a necessaria conditione ullo pacto dependeat, sed quia praecedente pacto solemni, suavius atque efficacius homines inducuntur ad servandum illud ad quod aliunde obligantur. Cui fini non parum inservit, cum de parvulis agitur, substitutio patrinorum, cum sit naturale homini ut promissionem nomine suo et ad maius suum bonum a suis parentibus vel tutoribus factam quando sui iuris nondum erat, eodem loco habeat ac si ipse personaliter consensisset.

Quibus praemissis, sit argumentum: Obligationes baptismi non pendent ab ulla promissione humana, sed a sola susceptione sacramenti in qua homo per Christum supremum dominum et regem, in perpetuum mancipatur ad divinum cultum in religione *Christiana, id est catholica.* Ergo promissiones a patrinis nomine infantis factae non se habent ut ex quo pendet inducta obligatio, sed ut simplex sponsio qua quis vice pupilli spondet observationem eius ad quod ille alio ex capite obligabitur. Ergo independenter ab omni ratihabitione manent baptismi obligationes, manet pariter subiectio ad Ecclesiam (1). Unde

•■*que mesure au Pape,* (ce n'est pas ici le lieu de l'expliquer). Je suis con‹ vaincu que Votre Majesté accueillera ces remarques avec sa bienveillance «ordinaire, et donnera des ordres appropriés à la circonstance dont il s' a- «git.En attendant..., etc. Du Vatican, le 7 Août 1873. Pius Pp. IX .

(») Non esset simile de illo qui fuisset in infantia ordinatus sacerdos. *respectu obligationis caelibatus :* nam obligatio caelibatus non consequitur per se characterem sacerdotalem, sed lege ecclesiastica fuit ei annexa. Ecclesia autem non habet potestatem imponendi hanc legem absolute et antecedenter, sed eis tantum qui sacros ordines suscipiunt, probe scientes quale sit onus adiunctum.

ipsa ratihabitio non potest esse in arbitrio baptizati, cum nemo ius habeat attentandi irritationem obligationis qua velit nolit, immobiliter adstringitur. Nec propterea sequitur, peioris esse conditionis qui in infantia absque proprio consensu baptizatus est. Primo quia, cum baptismus sit necessarius ad salutem, omnis homo proxime obligatur ad suscipiendum baptisma, et per hoc. remote obligatur ad vivendum secundum omnes Ecclesiae leges. Secundo quia restrictio libertatis, aut potius licentiae, respectu eorum quae sunt de necessitate salutis, non facit conditionem peiorem, sed potius feliciorem, cum hoc modo maiorem habeat homo securitatem contra damnationem aeternam, quae summum omnium et irreparabile malum est. De his videndus est Bellarminus, de bapt. c. 8.

Obiicies tamen: *Innocentius III, cap. Maiores de bapt.. definit irritum esse baptisma adulti qui non habuit voluntatem recipiendi sacramentum, hac ratione innixus: « Qui fuissent in- « vili et reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad iuris- « dictionem ecclesiasticam pertinerent; unde ad servandam regu- «lam fidei Christianae forent rationabiliter compellendi. Verum « id est religioni christianae contrarium, ut semper invitus et «penitus contradicens, ad recipiendam et servandam christiani- « tateni aliquis compellatur». Ergo iudicat Pontifex quod homo propria voluntate in baptismum non consentiens. ab omnibus baptismi obligationibus liber dicendus est, et nonnisi immerito atque iniuria, ad servandam christianam legem cogeretur.*

Respondeo: Ergo potius sentit Pontifex quod quisquis accepit sacramentum, et fuit charactere insignitus, ipso facto pertinet ad jurisdictionem ecclesiasticam, atque ad servandam regulam fidei christianae est rationabiliter compellendus. Sed expendens conditiones validitatis sacramenti ipsius, dicit obesse in adultis reluctandam voluntatis qua baptizarentur inviti. Cuius rei hanc rationem affert, quia religioni christianae contrarium est, ut aliquis *coactione* compellatur *fieri Christianus;* si autem valeret baptisma invito et reluctanti collatum, idem esset ac si posset homo cogi ad amplectendam religionem Christi, quandoquidem accepto charactere, statim evaderet de foro Ecclesiae.

Tantum igitur abest ut dicat Pontifex, obii ; h >n< s baptismi pendere ab acceptatione et promissione humana, ut potius aperte statuat omnem baptizatum ex hoc solo quod baplizatus est, nequaquam liberum esse a vinculo, etiam respectu <K(lesiasticae potestatis. Caeterum, in his et similibus semper attendenda est differentia inter eos qui foris, et eos qui intus sunt. Christus noluit ut sua religio vi propagaretur, sed sola persuasione, nec ullam suis vicariis potestatem iurisdictionis attribuit respectu eorum qui nondum in Ecclesiam per baptismi ianuam sunt ingressi ; quare in conversione infidelium, nonnisi in spiritu mansuetudinis agendum est. Sed alia est conditio eorum qui ratione sacramenti obnoxii sunt ecclesiasticae potestati; nam cum eis, salutari etiam coactione agi posse, notissima iuris canonici documenta testantur.

Nota. In responsionibus ad ium et ad 3um, dicit S. Thomas parvulos baptizari in fide Ecclesiae ; qui etiam loquendi modus saepe occurrit apud Augustinum cuius doctrinam sequitur Angelicus, imo et apud Tridentinum ubi supra. Porro istius locutionis sensus est primo, sacramentum quod parvulis applicatur, esse ex natura sua signum fidei Ecclesiae in Christum et SS. Trinitatem; secundo, fidem Ecclesiae in causa esse cur eis salutare remedium adhibeatur; denique, Ecclesiam providere eis aliquos credentes qui pro ipsis promittant fidelitatem Christo, spondeantque omnia quae catechumeni adulti per seipsos spondere solent. Vide omnino Bellarminum de bapt., c. 11.

THESIS XXVIII.

(Art. io).

Secluso casu necessitatis, non licet baptizare pueros infidelium, invitis parentibus. Si tamen quocumque modo sacramentum eis ministrari contingat, ipso facto sub Ecclesiae tutela ac regimine constituuntur.

Hanc quaestionem tractat S. Thomas etiam in 2-2, q. to, art, 12. Quo in loco, primum omnium affert Ecclesiae auctoritatem, de qua haec habet digna omni consideratione ; « Res-

« pond·· · dicendum quod maximam habet auctoritatem Ecclea siae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, quia « et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctori « tatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, n quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod « Judaeorum filii, invitis parentibus, baptizarentur, quamvis fue- ‹ rint retroactis temporibus multi catholici principes potentis- « simi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt ‹ sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius «Theodosio: qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, « si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur ‹ hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem « in Ecclesia hactenus observatam, Judaeorum filii, invitis pagentibus, baptizentur».

Ratio autem intrinseca est, quia nemini facienda est iniuria. Sed fieret infidelibus iniuria, si pueri eorum, ipsis invitis, baptizarentur. Ergo non sunt baptizandi pueri infidelium contra parentum voluntatem, etiam sub praetextu boni, cum finis non legitimet media. Minor probatur, nam sese ingerere absque competenti auctoritate in regimine et cura eorum qui sub alterius potestate sunt constituti, praeter et contra voluntatem eius ad quem pertinet, est violare ius illius, ac per consequens, facere ei iniuriam. Sed quisquis baptizat puerum infidelium, invitis parentibus, sese ingerit absque auctoritate, etc. Et re quidem vera eiusmodi baptizator, vel haberet hanc auctoritatem immediate a Deo, vel mediante Ecclesia. Non mediante Ecclesia, cum ipsa in eos qui foris sunt, careat potestate. Nec etiam immediate a Deo, quia Deus consideratur vel ut auctor naturae, vel ut auctor gratiae: ut auctor naturae posuit pueros sub providentia et regimine parentum, ut auctor gratiae nullam contulit auctoritatem ad sacramentorum administrationem, praeter eam quae in Ecclesia et ab Ecclesia est. Nec facit ad rem illud Evangelii : *Euntes docete omnes Gentes baptisantes eos,* nam cum omnia quae a Deo sunt, ordinata sint, praeceptum et auctoritas baptizandi intelligi debent sub conditione servandi ordinem debitum.

ita scilicet ut adulti nunquam per vim cogantur ad recipiendum baptisma, et pueri qui nondum sunt sui iuris, non baptizentur contra parentum voluntatem, si parentes utpote foris existentes, omnino sint extra jurisdictionem Ecclesiae, eiusque coactioni minime subiaceant.

Altera quoque ratio est, quia vel exponeretur sacramentum profanationi, si puer christiano charactere insignitus remaneat sub potestate patris infidelis, vel iniuste poneretur causa ex qua postea deberet sequi subtractio pueri ab educatione paterna, si serventur Ecclesiae leges quae baptizatum puerum iubent christiano more institui.

Dixi, si serventur Ecclesiae leges *quae iubent puerum, etiam per nefas baptizatum, Christiane educari.* Et recte quidem sic iubetur, quia quod baptisma fuerit illicite collatum, non impedit quominus valide collatum sit ; non impedit etiam quin sequantur omnia quae *iure divino* importantur per characteris impressionem, scilicet obligatio ad cultum catholicum et subiectio ad Ecclesiam, in qua correlative resultat potestas in puerum, et officium erga eum. Tunc ergo praevalet ius Ecclesiae iuri paterno, quia est altioris ordinis, et respicit finem cui omnes alii fines indirecte saltem subordinantur. Unde in collisione ius parentum elidi necesse est. Quo fit ut quamvis illicita fuerit baptismi administratio, nihilominus penes Ecclesiam resideat auctoritas adhibendi media, quibus a catholico puero periculum perversionis amoveatur fl).

Obiicies contra priorem assertionem : *Ius quod habet puer ad accipiendum baptisma, praevalere debet iuri quod habet Pater supra puerum, eo vel magis quod filii a parentibus sunt independentes in iis quae sunt ad Deum, sicut verbo et exemplo Luc. II, docuit Christus Dominus noster.*

Respondeo ad in‘‘, negando suppositum, quia puer nullum ius habet ad accipiendum baptisma praeter et contra ordinem(*)

(*) Cf. la Civiltà Cattolica, Ser. 3, vol. 12, pag. 3S5 et seq., *Il piccolo neofito Edgardo Mortara.*

a Deo ipso institutum: qui fert ut filii sub providentia et disposition parentum remaneant donec ad adultam aetatem pervenerim Ht similiter ad 2UU dico quod filii sunt independentes a parentibus in iis quae sunt ad Deum, quatenus nec obedire debent si quid parentes iubeant contra praeceptum Dei, nec etiam eorum consensu indigent ut Deum vocantem sequantur. Sed haec spectant filios voluntatis suae usum iam habentes, et ideo praesentem quaestionis articulum omnino non attingunt.

Obiicies contra posteriorem : *Vel violatum est ius parentum, vel non. Si non est violatum, ergo immerito dicitur illicitum esse baptizare infidelium pueros contra parentum voluntatem. Si violatum est, ergo absurdum est assere Ecclesiam posse subtrahere baptizatum ab educatione paterna, quia per actionem iniustam nemo unquam potest iure suo privari.*

Respondeo : Ius parentum violatum est, sed nego consequentiam. Ad rationem additam, *dist.* Nemo potest iure suo per actionem iniustam directe privari, tamquam per proprium principium amissionis iuris, *conc.* Indirecte, tamquam per id quod inducit aliam causam, ad quam sequitur ius praevalens quo ius inferioris ordinis eliditur, *neg.* Et sic est in praesenti, nam ius quod habent parentes infideles educandi puerum non eliditur ratione iniustae atque inordinatae actionis ministri, sed ratione sacramentalis characteris quo puer effectus est catholicus, et pro tanto incepit pertinere ad providentiam et forum Ecclesiae.

Urgebis : *Gratia non destruit naturam, et ideo ius naturale per baptismum non solvitur. Sed ius naturale attribuit parentibus potestatem in filios. Ergo nunquam ratione sacramenti potest puer subtrahi a potestate paterna.*

Respondeo: *Conc. mai.,* et *dist. min.* Ius naturale attribuit parentibus potestatem in filios, et simul attribuit Ecclesiae potestatem in baptizatos, *conc.* Aliter, *neg.* — Unde *dist. consequent.* Ergo ratione sacramenti non potest puer subtrahi a potestate paterna, quasi pater propter sacramentum, proprium ius in filium amisisset, *conc. conseq.* Non potest subtrahi ex hac causa, quod in collisione iuris paterni cum officio Ecclesiae, praevalet Ec-

clesiae ius in ordine ad Christianam pueri · lucationem, *neg, conseq. (I).*

Urgebis iterum : *Sequeretur Ecclesiam habere ins subtrahendi a potestate, paterna omnes filios haereticorum et schismaticorum, ut catholicae eorumdem educationi fri ovideatur; quod profecto absonum est.*

Respondeo concedendo sequelam, si de ipso iure sermo sil. Nunc autem exercitium huius iuris plerumque est omnino impossibile: insuper, in iis circumstantiis in quibus maius malum secum traheret, vel maius bonum impediret, praestat illud omittere, iuxta generale prudentiae dictamen. Permisit tamen divina Providentia ut ipsis nostris temporibus quaedam exempla darentur, tum in manifestationem sanctitatis et efficaciae sacramenti, tum in attestationem iuris atque officii quod habet Ecclesia erga baptizatos.

Nota. — Cum dicitur non esse licitum baptizare pueros infidelium, invitis parentibus, constat prohibitionem hanc non respicere infantes expositos, quia quoad ipsos, parentes renuntiaverunt iuri suo. Rursus, semper est exceptio facienda pro mortis articulo, nam sicut in extrema necessitate corporali omnia bona sunt communia, ita in extrema necessitate spirituali, sub cuiuslibet cura et providentia constituitur infans. Quare ordo iuris naturalis non perrumpitur, si absque consensu parentum, et etiam contra expressam voluntatem eorum, baptizetur. Quinimo lex charitatis stricte obligat ad procurandum salutis remedium, si hoc absque iactura maioris boni fieri possit ; de quo vide auctores theologiae moralis.

Nota insuper, quod furiosi et amentes, si fuerint perpetuo amentes, eiusdem conditionis sunt ac infantes. Unde nihil ex parte ipsorum requiritur, sive ad validitatem, sive ad fructum

(*) «Non è violato il diritto (paterno), ma resta eliso da un mag- « giore... Ora quai cosa più commune e più volgare in ogni maniera di «société, che questa collisione di diritti, per la quale uno resta in certa «guisa obliterate e inefficace per la manifesta prevalenza di un altro, «sopratutto allorchè questo è di ordine superiore ?*. Civiltâ | c

baptismati-.. Sed si aliquando habuerunt rationis usum, ad validitatem necesse est ut habuerint aliquando intentionem non retractatam recipiendi baptisma : ad fructum vero iustificationis oportet, ut sint in eis *habitualiter* dispositiones in caeteris adultis requisitae.

Quaest. LXIX.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

Restat consideratio de effectu sacramenti. Sed de effectu qui est character, non est aliquid addendum his quae fuerunt in praecedentibus anticipata. Non enim dubium iam esse potest quin baptismus, ratione characteris quem imprimit, devinciat hominem uni verae Ecclesiae Christi, id est Catholicae, imo et ipso facto aggreget eum inter membra corporis eius, nisi forte in eo sit aliquid impediens vel abrumpens externum vinculum unitatis : puta notoria professio incredulitatis vel haereseos. aut schismatics separatio, aut excommunicatio. Nec refert a quibus vel inter quos baptizatus sit homo. Nam baptismus unus est. cuius efficacia a qualitate baptizatoris minime pendet: cuius etiam effectus, quicumque illi sint, impediri nunquam possunt per factum seu conditionem ministri, sed solum per dispositionem contrariam subiecti. Proinde, etsi propter causas supradictas possit homo baptizatus adultus extra Ecclesiae corpus de facto vagari, adhuc tamen exigentia sacramenti quomodolibet et a quocumque suscepti, semper est et manet catholicus (x).(*)

(*) « L' Eglise catholique qui considère la baptême comme la porte « de Γ Eglise, *tanna Ecclesiae,* voit dans toute personne validement bap- « tisée, lors même que le baptême aurait été illegal, un membre de «la véritable Eglise..., jusqu'A ce qu'un acte contradictoire détruise la ĩ vertu du sacrement, et transfère la malheureuse victime sous l'empire «de l'erreur, du schisme et de l'hérésie. Prenez-y garde, ô Docteurs « de la Haute-Eglise, chacun de vous, s'il a été dûment baptisé, a été « pendant un temps, aux yeux de la seule Eglise véritable, universelle

Quae igitur cum ita sint, de solo effectu gratiae sacramentalis, quae est *res tantum,* praesens currit di putatio, et duas complectitur propositiones: unam de effectibus ipsis, aliam de reviviscentia,

«et catholique, un membre de cette Eglise. Chacun de vous a fait un
▮acte d'apostasie. Et vos enfants que vous avez baptisés de votre pro-
«pre main, afin qu'ils ne fussent pas privés des bienfaits du rite sacré
«par la profane négligence de ceux qui l'administrent tous les jours
«autour de vous, oui. ces innocentes petites créatures nous appartien-
▪nent encore, et sont en communion avec la sainte Eglise de Dieu
«répandue par toute la terre. Quand viendra le jour où vous, dont la
«conscience est tourmentée de trop de doutes pour vous laisser en
«sécurité sur votre état présent, vous viendrez verser goutte à goutte
«dans ces jeunes âmes le poison d'une hérésie que vous êtes les pre-
«miers à déplorer, quand vous leur ferez croire que Jésus-Christ n'a
«pas laissé sur la terre une Eglise unique dont tous les membres sont
«unis par la même croyance, qu'il n'a pas prescrit de demeurer en
«communion avec l'Eglise de Dieu répandue par toute la terre, que
«le titulaire de votre diocèse est le successeur des apôtres, que Marie
«ne doit pas être invoquée, que le baptême les a faits anglicans, que
«Notre-Seigneur n'est pas réellement et corporellement présent dans
« l'Eucharistie, que l'absolution du prêtre n'est pas nécessaire pour le
«pardon des péchés; ou bien quand viendra le jour, (rien n'est impos-
«sible dans un temps si fécond 'en choses étranges), où vous ensei-
« gnerez précisément le contraire de ces choses, où vous tromperez vos
«enfants en leur disant que votre Eglise, puisqu'il vous plaît de l'ap-
« peler ainsi, soutient l'opposé de toutes ces doctrines comme le font
«les catholiques, et où vous les amènerez par des voies illégitimes à
« faire une profession hérétique de la doctrine orthodoxe : quand vien-
«dracejour, vous vous rendrez coupables d'un véritable parricide,
« vous enlèverez par lambeau du corps de vos enfants cette blanche
«robe d'innocence que le baptême jette sur le néophyte, vous arra-
«citerez de leurs mains le flambeau brillant de la foi orthodoxe, vous
«flétrirez cette couronne de joyeuse adoption que le baptême avait
«placée sur leurs têtes. Que dis-je? Là ne s'arrêtera pas votre œuvre
« de malédiction : vous renverserez les merveilles du baptême, vous
«mettrez à néant les miracles qu il a opérés. Vous frapperez d'aveugle-
«ment des yeux qui jadis étaient ouverts à la lumière, vous refermerez
▪des oreilles qui avaient été rendues capables d'entendre, vous lierez
à nouveau une langue qui avait été déliée, vous laisserez la paralysie
« dévorer encore une fois des membres qui avaient été guéris. Oh .

THESIS XXIX.

(Art. 8).

Res huius sacramenti est plena renovatio qua liberatur homo ab omni reatu veteris vitae, et regeneratur in novam spiritualem vitam quae est per fidem Iesu Christi.

Per liberationem ab omni reatu veteris vitae, intellige liberationem a reatu culpae et poenae: poenae, inquam, vitae futurae, non tantum aeternae, sed et temporalis quae alias in purgatorio post condonatam culpam regulariter luenda manet. Per regenerationem vero in novam spiritualem vitam intellige adeptionem habitualis gratiae, virtutum infusarum tam theologalium quam moralium, et omnium donorum Spiritus Sancti (*), simul cum speciali auxilio contra obtenebrationem illam intellectus, tarditatemque cordis, quae lumini fidei directe adversatur. Cum

«pensez y bien, avant qu'il soit trop tard, vous dont l'esprit est agité « par la tempête du doute, qui incertains et Bottants dans votre foi. vous «flattez peut-être de l'espoir qu'un jour le règne de l'unité reviendra « parmi vous, et que vous serez doucement emportés par le courant « jusque dans le port du catholicisme où vous trouverez le calme.... «vous surtout qui tout en croyant qu'il est de votre devoir de rester « où Dieu vous a placés, avouez tout haut que vous seriez au comble «du bonheur si la Providence vous eût fait naître dans ('Eglise catho- « lique, épargnez à ceux que veux aimez, les peines, les angoisses, les « tortures qui vous déchirent vous-mêmes. Renoncez à cette funeste « illusion, que vous pourrez donner à vos enfants une éducation catho- « lique dans une église anglicane... Leur seule chance de salut est de « les laisser poursuivre leur carrière dans I' Eglise de leur baptême, «cette Eglise une, sainte, catholique et apostolique». (Card Wiseman. Melanges religieux et littéraires, *Les Miracles du N. T.* — Traduction de Bernhardt).

(*) *Non* itaque existimandum est, dona Spiritus Sancti esse proprium et specialem effectum sacramenti Contirmationis. Dona enim sunt pars cuiuslibet iustificationis, et omni iusto adsunt simul cum infusis virtutibus.

enim fidei lumen sit principium et radix totiu «vae vitae quam in nobis baptismus efficit, ideo sacramentum l . sacramentum fidei specialiter dicitur et est.

Nunc autem in re adeo nota satis erit in n afferre auctoritatem ex Evangelio, Ioan. III-5 ; quo cert·· in loco baptismi effectus asseritur esse spiritualis renascentia sive nativitas. Atqui renascentia spiritualis importat depositionem totius veteris hominis, id est, eorum omnium quae damnationis erant: importat praeterea consecutionem novae naturae de qua 2 Petr. 1-4 : *Ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Et ideo S. Thomas, 4 c. Gent., c. 59: «Quia generatio unius est alte- « rius corruptio, et quod generatur priorem formam amittit, et « proprietates ipsam consequentes, necesse est quod per bapti- «smum qui est spiritualis generatio, non solum peccata tollan· ‹ tur quae sunt spirituali vitae contraria, sed etiam omnes pec- « catorum reatus. Item, cum per generationem res formam ac- « quirat, simul acquirit et operationem consequentem formam, « (intellige nunc principia immediate operativa quae sunt infusi « habitus virtutum et donorum)... Et ideo, cum baptismus sit « spiritualis generatio, statim baptizati idonei sunt ad spiritua- « les actiones... et statim eis debetur locus congruus spirituali «vitae qui est beatitudo aeterna, et propter hoc baptizati, si « decedant, statim in beatitudine recipiuntur; unde dicitur quod « baptismus aperit ianuam caeli». Testimonia autem Traditionis notiora sunt quam ut debeant hic recenseri.

Solummodo superest notandum quod etsi baptismus vim habeat auferendi concupiscentiam et omnes poenalitates praesentis vitae, non tamen illa statim aufert, nisi tantum in radice, pro quanto scilicet sacramentalis gratia semen est beatae illius immortalitatis in qua *non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus.* Rationabiliter autem sic provisum est, « primo quidem, quia per baptismum homo incorporatur Christo, et efficitur membrum eius. « Et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato, « quod est actum in capite. Christus autem a principio suae « conceptionis fuit plenus gratia et veritate, habuit tamen cor-

« pus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam « glori ' un resuscitatum. Unde et Christianus in baptismo gra- « tiam · onsequitur quantum ad animam, habet tamen corpus « passibile in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscita- « bitur ad impassibilem vitam... Secundo hoc est convenient « propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscen- « tiam et alias passibilitates pugnans homo victoriae coronam «acciperet. In cuius figuram dicitur ludie. III-i: *Hae sunt gen « tes* (Chanaan) *quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis /s- « raelem, et postea discerentfilii eorum certare cum hostibus, et « habere consuetudinem praeliandi...* Tertio hoc fuit conveniens « ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem « praesentis vitae, et non propter gloriam aeternae : unde et «Apostolus dicit, i Cor. XV-tç : ***Si** in hac vita tantum spe- « rantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus horni « nibus* › ζ1).

Obiter etiam observandum est, quod in art. 6 meminit S. Thomas opinionis quorumdam antiquorum, qui dixerunt gratiam et virtutes non dari *statim* pueris in baptismo; cuius erroris causa fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum. Sed haec opinio quam commemorat etiam Innocentius III, cap. *Maiores* de bapt., primum quidem per doctrinam Concilii Viennensis quodam veluti vulnere confossa, postmodum vero per decreta Tridentini, praesertim Sess. VII, can. 13, (ubi definitur parvulos, suscepto baptismo, inter fideles computandos esse, tametsi actum credendi non habeant), penitus fuit exclusa. — Caetera cum sint per se obvia, praetermitto, ut statim dicam de iis quae pertinent ad reviviscentiam sacramenti.(*)

(*) S. Thom., hic, art. 3. — Nota igitur quod poenalitates huius vitae non habent tantum rationem poenae, sed etiam medicinae et naturalis defectus. Unde ex hoc quod baptismus aufert omnem poenae reatum, non oportet ut statim auferat poenalitates praesentes quae manent ad coronam. De poena autem purgatorii alia est ratio, ut constat.

THESIS XXX.

(Art. 10).

Baptismus ficte susceptus, fictione recedente, suum ultimum effectum consequitur. Fictio autem si fuerit formalis, non removetur nisi per sacramentum Poenitentiae in re vel in voto; quo in casu, ad baptismi gratiam obtinendam duo concurrunt sacramenta, sed Baptismus sicut causa per se agens, Poenitentia vero sicut causa per accidens, id est, removens prohibens.

Fictio, ut alias praemissum est, potest esse vel formalis, vel mere materialis. Est mere materialis, si consistat in involuntaria seu inculpabili omissione dispositionis necessariae, puta quia adultus bona fide accedit ad sacramentum, non habens de peccatis suis attritionem vere sufficientem, sed existimatam tantum. Est formalis, si sit graviter culpabilis, puta quia homo sciens et prudens suscipit baptisma sine fide vel dolore de peccatis, sine voluntate restituendi ablatum, sine firmo proposito vivendi caste, etc.

De ipsa autem formali fictione ulterius considerandum est quod computari debet inter peccata *post baptismum commissa,* quae clavibus Ecclesiae in sacramento Poenitentiae sunt subiicienda. Etenim peccatum fictionis hic accipitur praecise in quantum impedit fructum sacramenti; porro non impedit fructum sacramenti, nisi prout perseverans ipso instanti quo deberet haberi ultimus gratiae effectus. Cum autem ultimus sacramenti effectus sit *natura posterior,* tum sacramento, tum charactere quo quis christianus efficitur, sequitur quod fictio in quantum sacramentalem gratiam impediens, sit et ipsa baptismo posterior, etsi non posterioritate temporis, at certe posterioritate naturae. Non ergo dicitur subiiciendum esse clavibus Ecclesiae peccatum fictionis, prout baptismum antecessit; hoc enim modo per baptismum ipsum, remoto obice, auferetur. Sed nec ante

instans baptismi fuit fictio consummata, quia usque ad dictum instan- potuit homo mutare voluntatem suam, et se ad gratiam disponere. Quare fictio seu obex gratiam sacramentalem impedien-. praecise in quantum huiusmodi, ordine dependentiae, sacramenti collationem consequitur.

Caeterum assertio integra est theologice certissima, nemine catholicorum dissentiente.

Reviviscentiam baptismi doctrina Patrum aperte agnoscit. Hinc enim Augustinus refutat Donatistas obiicientes catholicis quod foris baptizatos non rebaptizarent, cum tamen extra veram Ecclesiam, per se loquendo, remissio peccatorum haberi non possit. Hinc solvit difficiles illas rationes quibus innixus Cyprianus rebaptizandi morem ab Agrippino introductum censuerat retinendum. Hinc demum conciliat praxim universalis Ecclesiae cum fide qua creditur, sacramenta ab haereticis sacrilege accepta ad salutem non prodesse.

Ratio autem intrinseca sumenda est ex praemissis, ubi de sacramentis in communi. Est enim character sacramentalis, dispositio ad gratiam sacramentalem : non quidem dispositio physice habilitans subtectum ad eius susceptionem, sed qua quis in eo ordine ponitur in quo sine gratia habituali munere suo rite fungi non potest, quaeque pro tanto, est determinatio gratiam exigens quantum in se est, seu nisi obex obstiterit. «Ideo, cum fictio « non auferat characterem, recedente fictione quae effectum cha« racteris impediebat, character qui est praesens in anima, in« cipit habere effectum suum, et ita baptismus, recedente fictione. « effectum suum consequitur» (*).

Quoad modum autem quo fictio removetur, triplex con-

(*) S. Thom., in IV, D. 4, q. 3, a. 2, q. 3, sol. 3. Idem habet iisdem fere terminis in Summa, Q. 69, a. 10, tam hic quam illic, processu consentaneo principiis de causalitate dispositiva. Quod ne cogatur fateri Caietanus. scribit in commentario Summae: « Non oportet laborare ad salvandum « hunc processum ut proprium, seu ex propriis, sed inteliigendus est ut « accommodatio quaedam similitudinaria ad manuducendum intellectum « novitiorum, ut percipiant quomodo baptismus, recedente fictione, in«cipit valere ad salutem». Sic ille, sed quo nixus argumento? Nullo.

siderari debet hypothesis. Vel enim fictio ‹ stit mere materialis, et insuper, a tempore accepti baptismatis nullum admissum est mortale peccatum. Vel iterum fictio init materialis, sed post baptismum homo incidit in mortale. Vel denique fictio fuit formalis, id est graviter culpabilis.

In primo casu fictio removetur per solam positionem conditionum, quarum defectu effectus baptismi fuit impeditus, nec aliud quidquam ad justificationem requiritur. Ratio est quia obex consistebat in mera et simplici dispositionum absentia.

In secundo casu fictio per se eodem modo removetur. Sed quia nullum mortale remitti potest quin remittantur omnia simul, et a tempore accepti baptismatis novum intercessit peccatum ad cuius remissionem baptismus efficaciam habere non potest, per accidens est quod concomitanter requiritur sacramentum Poenitentiae in re vel in voto. Quo quidem rite suscepto, utrumque sacramentum simul suum obtinebit fructum, propriamque sacramentalem gratiam, non secus ac si distinctis temporum intervallis habuissent efficaciam. Remissio itaque totius reatus poenae, quae est gratiae baptismali annexa, non dabitur nisi quoad illa peccata quae non fuerunt baptismo posteriora, quandoquidem baptisma ad remissionem peccatorum consequentium nullo modo operatur, ut constat.

In tertio demum casu fictio omnino non recedit nisi per Poenitentiae sacramentum, iterum vel in re vel in voto. Et ratio est quia dicta fictio fuit mortale peccatum sive sacrilegium et quidem, ut supra praemissum est, peccatis post baptismum commissis annumerandum. Ergo, sicut alia eiusmodi, nonnisi per Ecclesiae claves potest auferri. Tunc autem Poenitentiae sacramentum operatur ad suum proprium effectum sicut causa per se, ad effectum vero baptismatis sicut removens prohibens. « Et sic, ad ‹ baptismi effectum consequendum concurrit Baptismus et Poeni- « tentia: sed Baptismus sicut causa per se agens, Poenitentia sicut « causa per accidens, id est removens prohibens » (1).

V) S. Thom., hic, art. 10, ad 2um. — Et nota hic novam confirmationem pro modo causalitatis in sacramentis. Quia si baptismus aeque

Quaest. LXX-LXXI.

DE PRAEPARATORIIS AD BAPTISMUM.

Deinde, inquit S. Thomas, considerandum est de praeparatoriis ad baptismum: et *primo,* de praeparatorio quod praecessit baptismum, id est de circumcisione; *secundo,* de praeparatoriis quae concurrunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo et exorcismo.

De circumcisione autem satis superque constat ipsam fuisse in Veteri Testamento sacramentum correspondens nostro ba-

*

primo et immediate causât gratiam et characterem, sicut volunt adversarii, impossibile erit invenire in sacrilegio quo quis fictus baptismum accepit, rationem peccati *post baptismum commissi.* Unde Caietanus in praesenti candide fatetur, peccatum fictionis esse *simul exsistens cum baptismo.* Quo posito, statim fit quaestio de sacramento per quod poterit remitti, et non invenitur. Excluditur enim sacramentum poenitentiae, cuius materia sunt sola peccata baptismo posteriora. Excluditur adhuc evidentius ipse baptismus reviviscens, quia impedimentum ad consecutionem gratiae baptismatis supponitur esse ipsum sacrilegium, seu fictionis peccatum de quo nunc sermo; est autem evidenter impossibile ut quod impedit effectum causae, tollatur per eam ipsam causam quam prohibet ab effectu. Neque hoc latuit Caietanum, et ideo, ad auctoritatem S. Thomae dicentis in resp. ad 2"", quod baptismus reviviscens *aufert omnem culpam et reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, et etiam simul exsistentium cum baptismo,* respondet: « Excipitur sola fictio, quoniam ipsa est quae contrariatur sacramento ». Sed contra est primo, quod recurrere ad exceptiones pro singulis casibus qui cum theoria non concordant, nihil aliud est quam arbitrariam confingere doctrinam. Contra est secundo, quod ratio allata optime quidem ostendit impossibile esse ut per baptismum reviviscentem peccatum fictionis praecedentis auferatur, sed non ostendit quomodo possit esse materia pertinens ad tribunal poenitentiae. Vera igitur conclusio esset, nullum esse sacramentum per quod hoc peccatum possit remitti. Id quidem stando principiis eorum qui nihil mediare volunt inter sacramentum exterius et gratiam. At supposita causalitate dispositiva omnia satis clarescunt, et ab initio ad finem connaturaliter explicantur

ptismo. ipsumque praefigurans. «Baptismus di< ilur sacramentum «fidei, in quantum scilicet in baptismo Iit laedam fidei pro· « fessio, et per baptismum aggregatur homo (·mgregationi fide- lium. Eadem autem est fides nostra et antiquorum patrum, I «secundum illud Apostoli, 2 Cor. IV-13: *Habentes eumdem spi- «.ritum fidei credimus.* Circumcisio autem erat quaedam pro· « testatio fidei ; unde dicitur Rom. IV-i 1, quod *Abraham ac· « cepit circumcisionem, tamquam signaculum fidei* f1); unde et «per circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. « Unde manifestum est quod circumcisio fuit praeparatoria ad « baptismum, et praefigurativa ipsius, secundum quod antiquis « patribus omnia in figuram futuri contingebant, sicut et fides «eorum erat de futuro » (2). Caeterum, suis locis iam dictum est quomodo circumcisio significaverit omnes sanctificationis no- strae causas ; qualiter etiam solam legalem sive^figuralem san- ctitatem ex sese operaretur, tametsi in eius celebratione interior iustificationis gratia ex meritis Christi in carne venturi ad ho- mines derivaret (8), et nihil nunc addendum occurrit.

Sed alia praeparatoria sunt, ipsis baptizandis adhibenda, quorum primum et maxime necessarium respectu adultorum, est catechismus. In baptismo enim suscipit unusquisque Chri- stianam fidem, et ideo requiritur ut in fide instruatur, docea- turque *quae sint elementa exordii sermonum Dei,* ut dicitur Heb. V-12. «Sicut in aliis scientiis et doctrinis quaedam sunt «communia, quibus ignoratis, necesse est artem ignorari, quae- « dam autem propria quae sine ignorantia illius doctrinae igno· « rari possunt; ita etiam in doctrina fidei, quaedam dicuntur « quae sunt fidei communia rudimenta, ad quae credenda ex· « plicite omnes tenentur, sicut est fides Trinitatis et incarna- «tionis et passionis et divini iudicii et providentiae Dei de « factis hominum, et talis instructio *catechismus* dicitur. De aliis

Fidei, inquam, de Christo nascituro ex semine Abrahae, cui dictum est Gen. XXII-18 ; /n *semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.*

(·) S. Thom. hic, q. 70, a. 1.

(·) Vide supra, thes. 9.

« <uiLein debet instrui (homo) post baptismum, temporis pre»· « ressu » (x).

Exorcismos quoque praemittit Ecclesia in solemni administitione baptismi. Cuius ratio est quia, ut Angelicus dicit in IV. D 6, q. 2, a. 3, q. 3, sol. 1 : «propter peccatum hominis diabolus « potestatem accepit in hominem, et in omnia quae in usum horni- « nis veniunt, in ipsius nocumentum... Et ideo, quandocumque ali- « quid sanctificandum est ad cultum divinum, prius exorcizatur, « ut liberatum a potestate diaboli, qua illud in nocumentum ho- « minis assumere poterat, Deo consecretur; et hoc patet in be- « nedictione aquae, in consecratione templi, et in omnibus huius- « modi. Unde, cum propria sanctificatio qua homo Deo conse- « cratur, fit in baptismo, oportet quod etiam homo prius exor- « cizetur quam baptizetur multo fortiori ratione quam alia res : « quia in ipso homine est causa quare diabolus potestatem ac- « cepit in alia quae sunt propter hominem, scilicet peccatum « originale vel actuale. Et haec significant ea quae in exorcismo «dicuntur, ut cum dicitur: *Recede ab eo, Satana,* et huiusmodi; « et similiter ea quae ibi fiunt, quia ipsa exsufflatio signat dae- « monis expulsionem. Benedictio autem cum manus impositione « praecludit expulso viam, ne redire possit. Sal autem in os « missum, et narium et aurium sputo linitio signat remotionem « impedimenti ipsius daemonis respectu fidei addiscendae; sed « olei inunctio signat expeditionem hominis in pugna quam ad- « versus diabolum suscipit, a cuius potestate exemptus est ». Nec dubitandum quin per huiusmodi exorcismos aliquid non solum significetur, verum etiam efficiatur ; pellitur enim potestas daemonis ne salutarem gratiam impediat. Quare non sunt praetermittendi nisi in necessitatis articulo, et tunc cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra supplentur post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus.

(«; S. Thom., in IV, D. 6, q. 2, a. 2, q. 1

DE CONFIRMATIONE

Quaest. LXXII.

Post sacramentum spiritualis nativitatis quo christiani efficimur, ordine naturae venit sacramentum spiritualis augmenti quo efficimur christiani adulti, id est deputamur ad officium quod adultorum proprium est. Officium autem illud est officium militiae. Rursus militia in religione Christiana reposita est in robusta confessione fidei contra adversas portarum inferi potestates. Sacramentum porro quo tale officium committitur, simul cum gratia appropriata, sacramentum Confirmationis est appellatum. Dicendum autem *primo* de eius exsistentia (art. i); *secundo,* de materia et forma (art. 2-4); *teriio,* de effectu, subiecto, et necessitate (art. 5-10); ultimo, de ministro (art. 11).

THESIS XXXI.

(Art. i).

Secundum sacramentum est confirmatio, per quam homo deputatur ad spiritualem militiam, et accipit robur ad audacter confitendum in mundo fidem Christi crucifixi· qui ut Apostolus ait, Iudaeis est scandalum, Gentibus autem stultitia.

Protestantes omnes e numero sacramentorum Confirmationem excludunt. Ex adverso catholici omnes, unaque cum eis sectae orientales universae, ne illis quidem exceptis quae iam a

, ı iilo quinto Romanam communionem abiecerant. sacramentum
'i i Christo institutum confitentur.

Sed ne in verbis fiat disputatio, primum omnium observan-
di nn est, non esse quaestionem inter nos et haereticos, an exsi-
· it speciale sacramentum per quod accipiatur Spiritus Sanctus. Cum enim donum sanctificationis supernaturalis comprehendat, praeter gratiam creatam inhaerentem, donum gratiae increatae quae est ipse Deus unus et trinus animam inhabitans^): constat quod in omni justificatione, et per omnia sacramenta datur Spiritus Sanctus, (ipse enim est cui specialiter solet animae sanctificatio atque inhabitatio appropriari); eodemque modo apparet, per omnia indiscriminatim sacramenta, non solum gratiae et virtutum, sed et *donorum* habitus conferri. — At vero ad peculiares quosdam et speciales fines dari potest Spiritus Sanctus, id est cum specialibus auxiliis quae non includuntur formaliter in gratia communiter dicta, nec etiam in qualibet gratia sacramentali. Ideo Christus Dominus noster in ultima coena, et iterum immediate ante ascensionem, specialiter promisit discipulis suis Spiritum Sanctum *in ordine ad robur pro audaci et intrepida testificatione Christianae veritatis in loto mundo.* Dicit enim. Ioan. XV-26: «Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis « a Patre... ille testimonium perhibebit de me, et vos testimo- « nium perhibebitis» Et iterum, Ioan. XVI-8 : «Cum venerit « ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia. et de iudicio», id est, dabit vobis virtutem ad arguendam infidelitatem hominum, et testificandam Christi iustitiam, et annuntiandum futurum indicium. Et iterum, Act. 1-8: «Accipietis virtutem superve- « nientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes.... usque ad ul- « timum terrae». Sed et notissimum est, hanc promissionem fuisse in ipsis apostolis, nullo mediante sacramento, adimpletam in die Pentecostes, sicut narratur Act. II. Unde statim discipuli quasi in campum certaminis de secretis coenaculi finibus egressi, vir-(*)

(*) «Si quis diligit me, inquit Ioan. XIV-23, sermonem ineum «servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, *et mansio-* « *nem apud eum Jaciemus* ». — Cf. de Deu uno et trino, Quaest. 43, ubi de missionibus divinis.

tute magna coram inimicis fidei christianae in‹ ( )‹ runt annuntiare evangelium, ludaeis deicidis suum exprobrare scelus, et testimonium reddere resurrectionis lesu Christi ihunini nostri.

Quaestio igitur est, *utrum detur speciale sacramentum. a baptismo distinctum, in orctine ad collationem gratiae quam apopostoli extraordinario modo et sine sacramento acceperunt ;* gratiae inquam, quae in tantum dicatur plenitudo Spiritus Sancti, in quantum perficit effectum baptismatis, faciendo christianum adultum, id est militiae idoneum contra sanctissimae fidei inimicos. Quaestio est, an sacramentum exsistat in quo « datur baptizato ‹ Spiritus Sanctus ad robur, sicut apostolis datus est in die « Pentecostes... et sicut dabatur baptizatis per impositionem ma· • nuum apostolorum, Act. VIII» (’). Verum observandum hic est quod etsi Spiritus Sanctus initio datus sit cum gratiis quae dicuntur *gratis datae,* non tamen ratione illarum, si praecisive a gratia gratum faciente sumantur, dici potuit ipse Spiritus Sanctus vel dari vel recipi ; nam charismata ista possunt esse tam in peccatoribus quam in iustis, et non faciunt animam templum Spiritus Sancti. Quare, necessaria quidem in primitiva fidei plan tatione fuerunt, sed accidentaliter se habebant ad invisibilem missionem promissam a Christo, Ioan. XV-XVI, ac per consequens, cum de sacramento Confirmationis agitur, necesse est ab eis penitus praescindere (2).

His praemissis, sit argumentum: Universis fidelibus suis promisit Christus specialem Spiritus Sancti gratiam, ad fidem absque verecundia et respectu mundano confitendam atque defendendam ; insuper instituit ut dicta gratia iure ordinario, per(*)

(*) S. Thom, hic, ari. 7, in corp.

(’) Cf. August., I. 3 de bapt., c. 16 (P. L. 43, 148); item S. Thom. t, q.43, a.7,ad 6u0’ . — Pulchram comparationem adhibet Card. Wiseman in opere iam saepius citato. Simile est, ait, cum circa lampadem apponitur stuppa ad accendendum. Primo ingens splendor exoritur, qui mox cessat, et deinde remanet solum lumen constans et regulare quod durat per totam noctem. Et sic etiam in hoc sacramento, gratiae gratis datae fuerunt veluti splendor accensae stuppae ad modicum durans. Nunc solum remanet regulare lumen gratiae gratum facientis, ad spirituale robur.

sensibil· n ritum a baptismo distinctum conferretur. Ergo exsistit in l lesi.t speciale Confirmationis sacramentum. Consequentia constat ex principiis quae tradita sunt supra cie sacramentis in communi; certo enim certius, ubicumque ritus exterior invenitur, a l)omino in Ecclesia institutus ad significandam et conferendam specialem gratiam, ibi est Novae Legis sacramentum. Unde solum remanet demonstrandum antecedens quoad utramque partem.

Et primo quidem, cum ad omnes christianos pertineat confiteri coram mundo Christi nomen et fidem, iuxta illud Mare. VIII-38 : *Qui me confusus fuerit et verba mea in generatione ista adultera el peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis,* minime dubitandum est quin Dominus non solis apostolis reservaverit Spiritus Sancti donum in ordine ad intrepidam christianae fidei testificationem, sed promittendo discipulis, sicut alias frequenter, universae Ecclesiae promisisse dicendus est. Praeterea, quod ad huius gratiae collationem instituerit ritum quemdam exteriorem a baptismo distinctum, et perenniter in Ecclesia celebrandum, omnino patet ex Act. VIII, 14-18, et XIX, 2-6, ubi leguntur apostoli *per impositionem manuum* contulisse noviter baptizatis Spiritum quem ipsi prius in coenaculo acceperant. Sed omnino dignum est ut duo illa loca diligentius considerentur atque expendantur.

«Cum audissent apostoli... quod recepisset Samaria verbum « Dei, miserunt ad eos Petrum et loannem. Qui cum venissent, «oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum « enim in quemdam illorum venerat, sed baptizati tantum erant « in nomine Domini lesu. Tunc imponebant manus super illos. « et accipiebant Spiritum Sanctum. Cum vidisset autem Simon « quia per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus «Sanctus, obtulit eis pecuniam, etc.». Sane vero, satis superque apparet sacram hanc caeremoniam, non ad extraordinariam et transitoriam quamdam dispensationem esse referendam, sed ad legem stabilem et perpetuo in Ecclesia observandam, eamdenique a Christo institutore, ut ipsa rei natura suadet, deri-

vatam. Accepto enim nuntio conversionis Samaritano apostoli statim proficiscuntur ut neophytis in impositione manuum plenitudinem Spiritus Sancti darent, non secus ac si nunc episcopus audiens quosdam in aliqua regione novitei conversos et haptizatos. proficisceretur ad conferendum eis id quod de lege ordinaria a solis summis sacerdotibus ministrari potest. Nec omisit Scriptura rationem reddere dicens : « Baptizati *tantum* «erant, inquit, in nomine Domini Iesu», id est, accepto licet baptismate, adhuc eis deerat aliquid de genere sacramenti, quominus pleni et perfecti christiani invenirentur.

Et similiter Paulus, Act. XIX, inveniens quosdam discipulos quos rite haptizatos existimat, statim an per impositionem manuum acceperint Spiritum Sanctum inquirit, eo modo quo inquiri solet a christiano quocumque, utrum omnia quae de lege communi fidelibus tradi debent receperit. Et ipsa interrogatio clare ostendit quale fuerit intentum Apostoli : conferendi scilicet praedictis discipulis id quod a solis praepositis Ecclesiae dari poterat, si forte is a quo haptizatos eos credebat, utpote episcopali charactere carens, dare non potuisset. Audiens autem ipsos nequidem fuisse haptizatos nisi solo baptismate loannis, post brevem catechesim praemitti baptismum christianum jubet, sibi reservans impositionem manus ad hoc ut Spiritum Sanctum acciperent: «His au «ditis, inquit Scriptura, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, « et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus « super eos, etc. ». Omnia igitur adjuncta demonstrant 'ipsum Confirmationis sacramentum, prout usque nunc in Ecclesia catholica ministrari consuevit.

Argumento quoque traditionis, veritas luculenter ostenditur. Ascendendo enim ordine retrogrado ab aevo in aevum usque ad apostolos, imprimis constat de fide universalis Ecclesiae in quatuor saeculis quae tempora Protestandum praecesserunt. Nam unctionem chrismatis in fronte per impositionem manus episcopi esse verum sacramentum, « quo datur Spiritus « Sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die Pentecostes, « ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen »,

turn <l·ⅱ⅓ ta Conciliorum, puta Florentini pro Armenia, tum consensus ^holarum a saeculo XII expresse attestantur.

In<l<- assurgimus ad prima initia schismatis Graecorum temporibus Concilii VI, imo et ad epocham Eutychetis et Nestorii. Antiquiorem enim fuisse fidem universalis Ecclesiae circa Confirm itionis sacramentum, ostendit evidenter usus hodiedum perseverans Orientalium omnium, qui licet a nobis et inter se invicem communione seiuncti, nobiscum tamen confitentur, docent, et credunt, id quod Protestatitibus placuit explodere veluti novitatem ab Innocentio III introductam atque inventam.

Inde pervenitur ad tempora Augustini et Hieronymi, quando ex veterum 1'rotestantium confessione, Ecclesia nondum defecerat. Damus ergo eis considerandum et serio meditandum id quod Augustinus. l, 2 cont. litt. Petii., c. 104 (P. L. 43, 341), de *sacramento chrismatis* scribit (2) Item quod ait Innocentius I, epist. 25, c. 3 (P. L. 20, 554), ad Decentium Eugubinum: «De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere... Haec autem pontificibus solis deberi ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum ĕonsuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et loannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris seu extra episcopum seu praesente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet..., non tamen *frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum Paradetum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar,*

(') Anno duodecimo post Concilium VI, id e«t, anno Christi 692. congregatum est Concilium Orientale *in Tmtlo,* in quo editi sunt canones a Romano Pontifice nunquam approbati, ubi totius querelae Graecorum adversus Latinos et Apostolicam Sedem germina continebantur. Patet igitur, omnem innovationem in introductione alicuius sacramenti fuisse tunc temporis omnino impossibilem. Generatim vero dici potest, Graecos esse testes omni exceptione maiores authenticitatis nostrorum sacramentorum, eodem pacto quo ludaei testes irrefragabiles exsistunt authenticitatis Scripturarum.

(») Vide testimonium citatum supra, ubi de charactere sacramentorum.

« *çuam ad consultationem respondere* (*). Item Hieronymus dialogo contra Luciferianos, n. 8-9 (P. L. 23, 163-64v « *Luciferianus* «dixit: An nescis etiam, Ecclesiarum hunc esse morem, ut bapti- « catis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? « Exigis ubi scriptum sit? In actibus apostolorum. Etiamsi Scriptu « rae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus « instar praecepti obtineret... *Orthodoxus:* Non quidem abnuo, « hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe a « maioribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, epi- « scopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus ex- « currat »(2). Item Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi mystagogicaj, n. i, 3(P.G. 33, 1090), quae tota est *de sacro chrismate:* «Vobis quoque, postquam ex sacrorum laticum piscina ascendi- «stis, datum est chrisma... Caeterum vide ne nudum et vile suspi- « ceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiae post «invocationem Sancti Spiritus non est communis panis, sed cor- « pus Christi : ita et sanctum istud unguentum non amplius «nudum unguentum est post invocationem, sed Christi dona- « rium, et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius, efficax fa- « ctum. Quod quidem symbolice *fronti illinitur, ac dum uniguento visibili inungitur corpus, sancio et vivifico Spiritu anima « sanctificatur* Hi omnes aperte loquuntur de sacramento quo neophytis, post baptismum dabatur Spiritus Sanctus, illudque indifferenter nomine *chrismatis* vel *impositionis manus* appellant, quia chrismatis inunctio per impositionem manus fiebat, et impositio manus per inunctionem in fronte. Loquuntur autem, non quasi de re incerta aut noviter instituta, sed velut de ritu sacro nemini non cognito, qui cum per omnes ecclesias esset pervulgatus, ab ipsis apostolis, Act. VIII e XIX, duxerat initium.

In tribus demum prioribus saeculis, etsi propter paucitatem scriptorum non tanta exstet seges testimoniorum, talia tamen

(*) Alludit pontifex ad *legem arcani,* qua vetitum erat ne formae sacramentorum divulgarentur, et scripto consignarentur. Evidenter ergo ponit Confirmationem inter N. L. sacramenta.

(*) Eodem modo, usque in praesentem diem, episcopus visitat suam dioecesim, Confirmationem ministrando.

inveniuntur apud Cyprianum et Tertullianum, quae omnem dubitandi possibilitatem excludant. Dicit enim Cyprianus, epist. 73. ad Iubaianum, c. 9 (P. L. 3, 1115): «Quod nunc quoque apud « nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae « offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spi- « ritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummen- « tur». Dicit Tertullianus, de baptism., c. 8 (P. L. J, 1207): « Dehinc, (post baptismum), manus imponitur, per benedictionem « advocans et invitans Spiritum Sanctum... ne hoc quidem, sine ar- « gumento praecedentis figurae. Quemadmodum enim post aquas « diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut « ita dixerim) mundi, pacem columba terris adnuntiavit dimissa « ex arca, et cum olea reversa..., eadem dispositione... carni no- « strae emergenti de lavacro, post vetera delicta columba Sancti « Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emissa de caelis, ubi Ec- « clesia est arca figurata».

Obiicitur primo: 5. *Thomas in responsione ad 1. dicit quod circa Confirmationis institutionem est duplex opinio. « Quidam enim dixerunt, inquit, quod hoc sacramentum non « fuit institutum a Christo, nec ab apostolis, sed postea processu « temporis, in quodam concilio ».*

Respondeo: Et isti sic opinantes ostenderunt suam ignorantiam, *conc.* Aliquid aliud, *neg.* Frustra ergo Protestantes huic auctoritati innituntur, ex qua nihil deducere licet nisi quod tempore horum ignoti nominis theologorum, sacramentum Confirmationis erat in praxi et fide universalis Ecclesiae, dum aliqui parum versati in operibus Patrum, Scripturam nescientes, et *in* principiis sanae theologiae non fundati, circa eius *originem decipiebantur.*

Obiicitur secundo: *Non quilibet ignoti nominis theologus, sed ipse Bonaventura, in IV, D. 7, a. 1, q. 1, scribit: « Aliter « potest dici, et melius, ut credo, quod illud sacramentum Christus « nec dispensavit nec instituit, quia post ascensionem suam decebat « apostolos confirmari, et Spiritum eis ad robur dari. Unde Spiritus « Sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatur « Non, inquam, datus in plenitudine, vel ad robur, sed hoc quidem*

•fuit in die Pentecostes. Unde confirmati sun/ a Spiritu Sancto «immediate, sine ministerio et sacramento ; et n/, o ipsi alios con•firmabant etiam sine verbo. Sed postquam bases Ecclesiae, apo-¨stoli scilicet qui a Deo, non fier homines erant ordinati praelati »et confirmati, defecerunt, instituit Spiritus Sanctus huius sacramenti formam, cui etiam virtutem sanctificandi dedit».

Respondeo, nihil in his inveniri contra existentiam et divinam originem sacramenti Confirmationis, sed difficultas esset solum contra id quod Tridentinum definivit Sess. 7, can. 1 : Sacramenta N. L. fuisse omnia a I. C. D. N. instituta. Porro facile solvetur, attenta praesertim ratione quam pro argumento affert Seraphicus, ubi dicit Christum nec dispensasse nec instituisse hoc sacramentum : *quia,* ait *post ascensionem suam decebat Afiosiolos confirmari, et Spiritum Sanctum eis ad robur dari: unde Spiritus Sanctus nondum erat datus, quia lesus nondum erat glorificatus.* Haec enim ratio nihil aliud demonstrat nisi id quod dicit Angelicus, ubi supra, a. 1 ad 1',m: « Dicendum « inquit, quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, «sed promittendo, secundum illud Ioan. XVI-7 : Si non abiero, « Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad « vos. Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spi« ritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem « et ascensionem, secundum illud Ioan. VII-39: Nondum erat «Spiritus datus, quia lesus nondum erat glorificatus ». Hoc igitur est quod intendit Seraphicus, cum dicit quod Christus non instituit sacramentum Confirmationis: videlicet, non instituit exhibendo, sicut instituit sacramenta baptismi et eucharistiae. Sed hoc non excludit institutionem in promissione missionis Spiritus Sancti implicitam, quam deinde ipse Spiritus Sanctus, suggerendo omnia quae de Ecclesiae constitutione Christus disposuerat (loan. XIV-26), fecit explicitant. De eo autem quod addit Seraphicus, apostolos ministrasse sacramentum Confirmationis sine verbis, sed sola manuum impositione, non est valde curandum, quia non multum refert ad rem, et nullo praeterea firmatur argumento,

Obiicitur tertio : *Homines non possunt dare Spiritum San-*

ctum, ‹,·.! solum impetrare adventum eius. Unde Act. VIII, de Petro et loanne legitur quod oraverunt pro ipsis (neophytis) ut acciperent Spiritum Sanctum. Sed orare pro aliquo ut accipiat Spiritu ·; Sanctum, non est conficere sacramentum. Ergo, tum ex natura rei, tum ex Scripturae testimonio constat, nullum esse sacramentum Confirmationis.

Respondeo: *Dist. mai.* Homines non possunt dare, id esi, mittere Spiritum Sanctum, qui non mittitur nisi a duabus Personis a quibus aeternaliter procedit, *conc. mai.* Non possunt dare gratiam per quam habetur inhabitatio Spiritus Sancti, imo totius Trinitatis, in anima iusta. *subdist.* Potestate auctoritatis, *conc.* Potestate ministerii, et medio sacramento quod ad gratiam dispositive operatur, *neg.* — Ad testimonium autem allatum dico, apostolorum orationem fuisse praeviam ad collationem sacramenti, ne scilicet sanctificationis effectus impediretur per fictionem suscipientium, vel etiam ut sanctificatio fieret simul cum gratiis gratis datis quae a sacramento non pendent ut proprius eius effectus. Nunc autem ipsa Confirmatio nomine impositionis manuum significatur, eique attribuitur efficacia ex opere operato cum dicitur quod *per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus Sanctus ;* eodem quippe modo de Baptismo loquens Scriptura ait, hominem regenerari ex aqua, vel Ecclesiam mundari per lavacrum aquae.

Et de existentia quidem sacramenti hactenus. Nunc de intrinsecis eius constitutivis agendum est. ut sequitur.

THESIS XXXII.

(Art. 2-4)-

Materia Confirmationis est chrisma ab episcopo benedictum quod per impositionem manus homini applicatur, facta unctione in fronte. Forma autem est: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed apud Graecos sacramentum rite confertur sub his verbis : Signaculum doni Spitus Sancti.

Praeobservandum est, iuxta superius pr.i< missa (·), non esse ullo modo necessarium ad hoc quod Christus vere dicatur omnium novae legis sacramentorum institutor immediatus, ut singulorum materiam et formam assignaverit iu particulari. Etenim ad immediatum institutorem nihil aliud pertinet nisi efficere ut id quod aliunde praesupponitur aptum alicui significationi sacramentali, fiat in actu sacramentaliter significans. Quare, assignatis a Christo materia et forma Confirmationis sub generali ratione cuiusdam ritus idonei ad significandum specialem effectum huius sacramenti, et potestate apostolis facta determinandi ritum in concreto, nihil sane adhuc deesset quominus Confirmatio institutionem suam immediate a Christo derivaret. — Sunt autem quaedam sacramenta, ut Baptismus et Eucharistia, quorum constitutiva Christus per seipsum omnino sancivit ; et quia oportet ut quidquid Christus sancivit sit prorsus immobile in Ecclesia, sacramenta ista semper et ubique uniformiter confici ac ministrari debuerunt. Sed si de aliis quibusdam non sit eadem ratio, sine inconvenienti admitti poterit quaedam materialis variatio, a rigorosa uniformitate in prioribus observata aliquantisper recedens. Unde nihil absurdi est, si quis diceret apostolos prius confirmasse *cum simplici impositione manus, per quam significatur derivatio virtutis a Christo* : postmodum vero ordinasse ut manus impositio fieret *unctione chrismatis in fronte, quae expressius sacramentalem effectum significat,* ut videbimus. Et similiter, non apparet difficultas quoad diversitatem formae, dummodo in substantia significationis una ad alteram reducatur. Quapropter, praetermissa quaestione satis otiosa de adaequata materia qua Act. VIII et XIX, apostoli primitus usi sunt, ex sola traditione vel usu Ecclesiae determinare oportebit quidquid pertinet ad sacramenti constitutiva, tam in ratione materiae, quam in ratione formae.

(·) De eacr. in comm,, Thes. 2 et 15.

S I.

Porro, materiam Confirmationis esse *chrisma,* id est. oleum balsamo mixtum, antiquissima utriusque Ecclesiae, Occidentalis scilicet et Orientalis, monumenta testantur (1). Et est materia maxime conveniens, quia «per oleum Spiritus Sancti virtus de« signatur, quo Christus unctus nominatur: ut sica Christo chri« stiani dicantur, quasi sub ipso militantes. In balsamo autem « propter odorem bona fama ostenditur, quam necesse est ha« bere eos qui inter mundanos conversantur ad fidem Christi « publice confitendam, quasi in campum certaminis de secretis « Ecclesiae finibus producti » (2). Non tamen sufficit simplex oleum cum balsamo, quia non dicitur *chrisma* et non fit materia sacramenti, nisi postquam benedictum est ab episcopo, iuxta Florentinum in decreto pro Armenis, et constantem theologorum doctrinam. Cuius rationem assignans S. Thomas recurrit ad analogiam eorum quae in physicis instrumentis considerantur. Nam virtus, ait, acquiritur instrumento dupliciter: primo quidem quando accipit formam artificialem instrumenti, sicut cum securis fabricatur; deinde vero, quando adhibetur et movetur a principali agente. Simili igitur modo, sacramento ut Dei instrumento acquiritur virtus, non solum quando actu conficitur et constituitur in esse signi nos sanctificantis, verum etiam quando ad hunc ipsum finem materia eius deputatur. Si qua tamen sit materia sacramentalis qua Christus personaliter est usus, ipse contactus sanctissimae carnis fuit loco benedictionis et sufficiens deputatio ad usum sacramenti; et ideo *benedictio* aquae non est de necessitate baptismi, quia semel *pro semper* aqua fuit proxime destinata ad esse instrumentum spiritualis regenerationis, quando Christus pro nobis in Iordane immersus est. Verum haec ratio non valet pro materia sacramentalium unctionum, quia oleo visibili non fuit unctus Christus; unde

(1) Vide supra, testimonia adducta pro exsistentia sacramenti.
(2) S. Thorn. 4. C. Gent., c. 60.

institutum est ut solum oleum ab episcopo [illegible]nedictum, materia sufficiens exsisteret, tarn in Confirmatione n[illegible]un in Extrema Unctione.

Sicut autem materia Baptismi applicatur homini per ablutionem, ita materia Confirmationis *per unctionem in fronte et manus impositionem ;* impositionem manus dico, quae unctionem comitatur, quatenus necesse est ut unctio immediate fiat per manum ministri, secluso omni instrumento intermedio, quod in solo sacramento Extremae Unctionis, urgente necessitate, sine validitatis detrimento potest adhiberi Ratio desumitur ex definitionibus Ecclesiae, ubi Confirmatio modo *impositio manus (')*, modo *unctio chrismatis* (2) nominatur. Unde Beda in expositione Psalm. 36 : « Illa *unctio quae per manus impositionem* ab epi- « scopis fit, Confirmatio dicitur». Et Fortunatus de offic. eccl., 2, c. 27: «Ut ab episcopis solis *inungatur per manus impo- «sitionem,* ab apostolis assumptum est» (8). — Sed et antiquae traditionis monumenta determinate assignant frontem ut partem corporis in qua fieri debet haec inunctio: « Quia in hoc sacra- « mento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis « pugnae, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem « confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis «in fronte, propter duo. Primo quidem, quia insignitur signo « crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evi- « dens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani, « maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam obtegitur ; « et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto « demonstret se esse Christianum, sicut et apostoli post acceptum

(l) cConfirmationem ab episcopo factam, id est, *impositionem ma- *nuum,* sanctam et venerande esse accipiendam censemus». Professio fidei Waldensibus ab Innocentio III praescripta, Enchirid., n. 424.

(·) Deer, pro Arm., in Enchirid., n. 697.

(·) Patet igitur sermonem non esse de praevia caeremonia in Pontificali praescripta, quae nonnisi abusive impositio manus diceretur, cum nihil aliud sit quam *extensio manuum* versus confirmandos. Hanc enim esse mere accidentalem, et communis doctrina theologorum et praxis in Ecclesia recepta demonstrant.

« Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in coenacolo « latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione « nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, et pro- « pter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime « manifestatur in fronte, propter duo, scilicet propter propin- « quitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde « directe ad frontem ascendunt ; unde *verecundati erubescunt, et timentes autem pallescunt,* ut dicitur in 4 Ethicorum. Et ideo « in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque « propter erubescentiam, nomen Christi confiteri praetermittat. »(1).

§ 2.

Forma demum sacramenti, nec in Scriptura tradita est, nec in operibus antiquorum Patrum propter legem arcani fuit consignata : *Verba vero dicere non possum,* inquit Innocentius I ubi supra, *ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Restat igitur, ut ex sola Ecclesiae praxi et recentiorum Conciliorum declarationibus innotescat. — Porro formam Latinorum esse legitimam, manifeste apparet ex hoc quod est forma qua utitur Ecclesia Romana, omnium aliarum mater et magistra. Continet autem omnia quae sunt in hoc sacramento necessaria : « Quorum primum est, inquit S. Thomas, art. 4. causa « conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est Sancta Tri- « nitas, quae exprimitur cum dicitur *in nomine Patris,* etc. Se- « eundum est ipsum robur spirituale quod homini confertur per « sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tan- « gitur cum dicitur, *con/irmo te chrismate salutis.* Tertium « est signum quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali « milites insigniis ducum insigniuntur, et quantum ad hoc di- « citur *signo te signo crucis, in quo scilicet Rex noster* trinm- « phavit, ut dicitur Col. II-15 ».

(1) S. Thorn., hic, art. 9, in corp.

Nemini tamen dubium esse potest quin approbanda sit forma qua Graeci utuntur, tum quia retinetur apud eos ex antiquissima et immemorial! traditione, tum quia a Sede apostolica recipitur. Sed sensus huius formae non est accipiendus seorsum ab applicatione materiae : sicut enim forma determinat materiam, ita materia limitat amplitudinem formae. Quia igitur forma ista, *signaculum doni Spiritus Sancti,* cadit super unctionem qua athleta Christi in fronte insignitur signo ducis sui, oportet intelligere donum Spiritus Sancti non qualecumque, sed quo perficitur homo pro fide Christi propugnator et defensor intrepidus. Et hoc modo constat formam illam reduci ad formam Latinorum.

THESIS XXXIII.

(Art. **5-8).**

Confirmatio est sacramentum vivorum imprimens characterem, et conferens gratiam cum quodam speciali auxilio contra timorem et respectum mundanum. Debet regulariter omnibus Christianis exhiberi, tametsi non certo constet de praecepto quo ad eius susceptionem homo baptizatus stricte obligetur.

§ i.

Confirmatio est sacramentum vivorum, quia ut ipsum eius nomen indicat, ex sua institutione per se ordinatur ad confirmandum in spirituali vita eos qui ad eam iam sunt nati, de quibus dicitur I Petr. II-1 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* In peccatore tamen attrito qui bona fide accedit, primam justificationem operatur, ut iam dictum est in disputatione praevia de sacramentis in communi, et declarat nunc S. Thomas a. 7, ad 2"·.

Imprimit characterem, quia character est quaedam spiritualis potestas ad aliquas actiones sacras ordinata. Dictum est autem supra, quod sicut baptismus est quaedam spiritualis regenerati" in vitam Christianam, ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio quae competit ei cum ad perfectam aetatem pervenerit Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini deputatio ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas ad quas datur ei deputatio in baptismo. Nam in baptismo accipit homo munus ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit. Sed in confirmatione accipit munus ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei sicut patet exemplo apostolorum qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione ; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei christianae. Et ideo manifestum est quod in Confirmatione character imprimitur. — Ita S. Thomas, art. 5 in corp. Caeterum testimonia traditionis et alia huc pertinentia vide supra, ubi de charactere sacramentorum.

Cum autem nullum munus religionis christianae possit modo debito expleri sine gratia, (nam gratia est proprium principium totius cultus novi testamenti), constat quod character Confirmationis, sicut alii sacramentales characteres, est per se titulus ad gratiam, imo ad specialem gratiam qua iuvetur homo in speciali munere obeundo, et roboretur contra timorem ac verecundiam quam mundanus respectus parit. Eiusmodi itaque gratia est *res tantum* in hoc sacramento. Ex opposito, *sacramentum tantum* est exterior frontis inunctio per impositionem manus sub praescripta forma verborum. Denique, *res et sacramentum* est character, qui etiam immediate significatur per externum ritum; quippe consignatio per signum crucis *nihil aliud* importat quam deputationem ad audacem fidei confessionem, et licet ultima verba formae «confirmo te chrismate salutis» referantur ad in-

teriorem animae confortationem quae est per gratiam, proxime tamen non significant nisi consecrationem exigitivam huius specialis gratiae, sicut de forma baptismi dictum est. Etenim, «in «hoc quod minister dicit *confirmo,* intelligendum est, *sacramentum confirmationis praebeo »,* ait S. Thomas in IV, D. 7, q. i, a. 3, quaest. 3, sol. 2.

§ 2.

Nunc facile apparet sacramentum hoc esse regulariter omnibus fidelibus exhibendum, quia cum per ipsum homo spiritualiter promoveatur in aetatem perfectam, quisquis per baptismum spiritualiter natus est, debet confirmatione perfici ; sicut etiam de intentione naturae est ut omnis qui corporaliter nascitur, perveniat ad maturitatem hominis adulti. — Convenienter tamen in plerisque Ecclesiae partibus introductum est ut Confirmatio non conferatur nisi post adeptam aetatem discretionis. Ad hoc enim ut debita existimatio de excellentia tanti sacramenti in populo fideli conservetur, multum confert si non ministretur nisi iis qui sunt capaces aestimandi donum caeleste ; interim vero legitima consuetudo est ubique observanda.

Et haec quidem de convenientia. De praecepto autem quo stricte ad huius sacramenti susceptionem Christianus adultus obligetur, non satis constat. Nam praeceptum istud non habetur in iure positivo, nec etiam sufficienter ex natura rei colligitur, quia Confirmatio requiritur solum ad bene esse, non ad esse simpliciter. Unde S. Thomas in praesenti, art. 1, ad 3"": « Quaedam « (sacramenta) sunt sine quibus non est salus ; quaedam vero « sunt, quae cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo « Confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit « esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu sa«cramenti». Et non est paritas inter Confirmationem et Eucharistiam. quia Eucharistia, licet non sit medium simpliciter necessarium ad salutem, est tamen pro adultis medium necessarium ad perseverandum in gratia per longum tempus, uti vi-

debimus : sed Confirmatio neutro modo proprie dictam necessitatem habet. Quae autem refert S. Ligorius ex Bulla Benedicti XIV, *Etsi pastoralis,* non videntur demonstrare praecepti exsistentiam extra peculiares circumstantias, easque prorsus singulares, a Pontifice in dicta Constitutione consideratas: de quo consule auctores theologiae moralis (1).

Ultimo superest dicendum de ministro.

THESIS XXXIV.

(Art. ii).

Confirmationis minister ordinarius est solus episcopus ; extraordinarius vero, simplex presbyter ex commissione Sedis Apostolicae.

§ i.

Prior assertio expresse definitur in Conciliis, praesertim vero in Tridentino, Sess. VII, can. 3 de Confirmatione (Denzinger 873): « Si quis dixerit, sanctae Confirmationis *ordinarium* ministrum non « esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, ana« thema sit ». Et facile eruitur ex documentis quae ipsam sacramenti exsistentiam demonstrant. Nam Cyprianus, epist.ad lubaian. (P. L. 3, it 15), ubi supra, commemorata impositione manuum quae Act. Ill refertur: «Quod nunc quoque, inquit, apud nos geritur, ut qui « in Ecclesia baptizantur, *praepositis Ecclesiae ojfferantur,* et per « nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum «consequantur, etc.». Atqui praepositi Ecclesiae, profecto sunt episcopi. — Hieronymus quoque, dial, contr. Lucif., testatur hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impositurus excurrat. Similiter Augustinus i, 15 de Trin., c. 26, postquam meminisset facti narrati Act.

(1) Cf. Gury, Theol. mor., Torn. 2, n. 270.

VIII. addit (P. L. 42. 1093): «Quem morem *in suis praeposi-*
• fis. etiam nunc servat Ecclesia». — Denique Innocentius I expresse docet, eos qui pontificatus apicem non habent, licet sint sacerdotes, non debere consignare baptizatos in fronte : quibus verbis Confirmatio aperte designatur.

Ratio autem convenientiae non est sumenda a sola excellentia huius sacramenti, absolute considerata ; nam excellentissimum omnium sacramentorum, quod est Eucharistia, conficitur et ministratur a simplici presbytero tamquam a ministro ordinario. Sed est desumenda ab excellentia sacramenti in certo quodam ordine, puta in ordine sacramentorum per quae statum et gradum stabilem in Ecclesia Dei consequimur. Et sic congruum est ut ministerium Confirmationis reservetur sacerdotibus summis, nam et in civitate temporali ad principes et primos magistratus pertinet conferre gradus et officia excellentia. Eleganter itaque S. Thomas: «In quolibet opere, ultima consum-
« matio supremae arti aut virtuti reservatur...; unde epistola
« quae a notario scribitur, a domino Papa signatur. Fideles
«autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud
« 1 Cor. lll-ç: *Dei aedificatio estis.* Sunt etiam quasi quaedam
« *epistola Spiritu Dei scripta,* sicut dicitur 2 Cor. III-3. Hoc
« autem Confirmationis sacramentum est quasi ultima consum-
« matio sacramenti baptismi, ita scilicet quod per baptismum
«aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi
«quaedam spiritualis epistola. Sed per sacramentum Confirma-
« tionis, quasi domus aedificata dedicatur in templum Spiritus
« Sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et
« ideo collatio huius sacramenti episcopis reservatur qui obti·
« nent summam potestatem in Ecclesia ».

Caute tamen Tridentinum definivit ministrum *ordinarium* huius sacramenti esse solum episcopum. Quam restrictionem ponit etiam Florentinum, imo et expresse dicit *aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum.* Et certe rescripta Pontificum quibus ministerium istud presbyteris com-

mittitur, sunt antiquissima: et hodierna etiam praxi in missionibus longinquis confirmata (>). Sed nota quod commissio Summi Pontificis est necessaria ad ipsam validitatem, et ideo concludes quod character presbyteralis est de iure divino potestas ad confirmandum, non absolute, sed sub conditione commissionis acceptae ab eo qui in Ecclesia praeest. Et hoc est quod praesupponitur a S. Thoma in responsione ad i',m , ubi non dicit quod Papa potest committere quibuslibet inferioribus omnia quae sunt superiorum ordinum, sed *quaedam quibusdam,* quatenus quoad quaedam habetur in quibusdam divinitus tradita potestas, quae ut sit ad actum expedita, exigit ut conditionem sine qua non, Summi Praesulis dispensationem.

Cf. rescripta Gregorii Magni, Nicolai IV, loannis XXII, Urbani V, et aliorum quos citat Benedictus XIV.de Synod., l. 7, c. 7, n. 5-6.

DE AUGUSTISSIMO ET SANCTISSIMO

EUCHARISTIAE SACRAMENTO

DE EUCHARISTIA

Quaest. LXXIIILXXXIII.

« Venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin,
« quod est inter Elim et Sinai, quintodecimo die mensis secundi,
« postquam egressi sunt de terra Aegypti. Et murmuravit omnis
« congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitu-
« dine... Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens: Audivi
« murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Mane saturabi-
« mini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester,
« Factum est ergo..., mane ros iacuit per circuitum castrorum.
« Cumque operuisset superficiem terrae, apparuit in solitudine
« minutum et quasi pilo tusum in similitudinem pruinae super
« terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem :
« Manhu? quod significat: quid est hoc? Ignorabant enim quid
« esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis quem Dominus dedit
« vobis ad vescendum... Et collegerunt, alius plus, alius minus.
« Et mensi sunt ad mensuram gomor, nec qui plus collegerat
« habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus, sed
« singuli iuxta id quod edere poterant, congregaverunt... *Collige-*
« bant autem mane singuli quantum sufficere *poterat ad* vescen-
« dum, cumque incaluisset sol, liquefiebat... Dixitque Moyses :
« Sex diebus colligite, in die autem septimo sabbatum est Do-
« mini, idcirco non invenietur... Filii autem Israel comederunt man
« quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem ; hoc
«cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan » (1).

(1) Exod. XVI.

Et nos quoque, post transitum mystici Maris Rubri quod est baptisma, in deserto huius mundi tanquam in loco horroris et vastae solitudinis peregrinamur; peregrinantes autem laboramus, et lassi in via pene deficimus. « Nondum ventum est ad « terram promissionis nostram. Hoc audiant omnes fideles, sciant «ubi sint, in eremo sunt, patriae suspirant. Unde apostolus ad- « huc in via huius eremi constitutus: *Quae retro,* inquit, *oblitus, « in ea quae ante sunt extensus, secundum intentionem sequor ad « palmam supernae vocationis Dei,* tanquam diceret, ad patriam «supernae promissionis Dei. Et ibi iam, fratres, in eremo quid- « quid passus est ille populus (Hebraeorum), et quidquid eis Deus «largitus est, quaecumque illa flagella fuerunt, quaecumque dona, «significationes sunt rerum quas in hac solitudine huius vitae, «ambulantes in Christo, quaerentes patriam, et accipimus ad con- « solationem, et patimur ad probationem » (1). Quapropter nec derst panis ille de caelo praestitus, omne delectamentum in se habens, et omnis saporis suavitatem (2). Dabatur enim manna ambulantibus versus terram promissam. Datur Eucharistia contendentibus versus patriam caelestem. Cum primum man apparuit, Israelitae mirantes dicebant: *Manhu, quid est hoc?* et inde sumebant nomen eius, admiratione plenum. Simili modo ad primam annuntiationem Eucharistiae, in stupore conficiuntur homines dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Manna in deserto apparebat ut minutum quid, et quasi pilo tusum. Sacramentum quoque nostrum speciem prae se fert cibi levissimi. Qui tunc plus colligebat non habebat amplius, et qui minus parabat non reperiebat minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant accipiebant. Et nunc etiam, non secundum specierum quantitatem fructus mensuratur, sed secundum solam quantitatem dispositionis et devotionis. Adhuc, summo mane opus erat colligere manna, quia cum incaluerat sol, liquefiebat, *ut notum omnibus esset quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te*

(1) August., Enarrat. in Psalm. 72, n. 5 (P. L. 36 917)

(2) Sap. XVI, 20.

adorar< i1). Similiter cum summa diligentia, ante omnem cibum omnemque sollicitudinem rerum humanarum quaerenda est Eucharistia. quia quodammodo liquefit iis qui pigri et négligentes accedunt. Rursus, man non descendebat nisi per sex hebdomadae dies, die vero sabbati victum habebant Israelitae de collection·· diei praecedentis. Et pari ratione Eucharistia non conceditur nisi in hac vita ; cessabit autem usus eius in sabbato aeterno, et unusquisque in patria Christo glorioso consociabitur iuxta mensuram et modum quo ei fuerit incorporatus in via. Sicut igitur man fuit viaticum ambulantium in terram promissionis, ita Eucharistia est viaticum peregrinantium in terram illam quae vera est terra viventium, indeficientis atque aeternae beatitudinis.

Specialiter autem considerare oportet quomodo man non ca.lebat sicut coturnices de quibus Num. XI-jî, *in medio rastrorum* Israel, ut esset veluti ad manum populi, sed procul *in solitudine ;* quae circumstantia a propositi nobis mysterii similitudine minime dissidet, imo ad figuram facit quam maxime. Hinc enim significatum est. Eucharistiam esse longe ab ordine rerum quae sunt nobis familiares, quasque sensu imaginamur et ratione metimur, nec posse ullatenus attingi nisi quis exeat extra castra transcendendo naturalis cognitionis fines, cum plurima contineat quae primis nostris notionibus omnino apparenter contradicunt. Ideo etiam, in hoc potissimum catholici theologi intentio ferri debet, ut rectum revelationis tanti mysterii intellectum assecutus, habeat unde possit dissolvere falsi nominis scientiae oppositiones. Et re quidem vera, quod fidei nostrae veritates demonstrare non valeamus, non est ex repugnantia obiecti, sed ex eius excellentia. Si autem *propter obiecti* excellentiam rationes deficiunt comprobantes, multo magis desunt improbantes, et omnis species contradictionis inde praesertim oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et proposita non sint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Quidquid ergo contra fidem potest per hominem

(») Sap. XVI, 28.

ratione proponi, potest ab homine ratione dissolvi, *saltem quantum satis est ut appareat, rationes adversarii nec demonstrativas esse, nec cogentes Q).* Hanc igitur firmam tenentes fiduciam, tractatum praesentem aggrediemur.

Verumtamen, etsi concordia rationis et fidei praecipuum sit propositae disputationis obiectum, non ideo unicum et singulare. Unde sequendo viam S. Thomae, oportebit considerare quidquid quolibet modo ad tanti sacramenti constitutionem, confectionem, usum, et effectus spectat. Et primo quidem dicendum erit de ipso sacramento in generali, (Q. 73). Secundo de materia, et iis quae circa materiam in consecratione fiunt, (Quaest. 74-77). Tertio de forma, (Quaest. 78). Quarto de effectibus, (Quaest. 79). Quinto de usu, (Quaest. 80-81). Sexto de iis quae ad sacrificii rationem in hoc mysterio pertinent, (Quaest. 82-83).

(·) Ita fere Aegidius' Romanus, in prooemio tractatus de corpore Christi.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE IN GENERALI

Quaest. LXXIII.

Ad generalem considerationem pertinent *primo* exsistentia, sacramenti, *secundo* unitas, *tertio* necessitas, *quarto* nomina, figurae, et circumstantiae institutionis.

THESIS XXXV.

(Art. i).

Eucharistia est unum e septem Novae Legis sacramentis; in quo tamen illud proprium et omnino singulare reperire est, quod in ipsa consecratione materiae perficitur, non vero in applicatione materiae ad hominem sanctificandum; adeoque antecedenter ad usum constituitur in esse sacramenti.

Eucharistiam esse unum e novae legis sacramentis, nullus hucusque haereticus negare praesumpsit (1). Et re quidem vera,

(') Protestantes generatini duo sacramenta admittebant, baptismum et eucharistiam.

De modernisas autem non est cur nunc ratio habeatur, propter ea quae de eis superius dicta sunt, ubi de baptismo *(Q. 66 in gtooemi»).* Obiter tamen animadvertere iuvabit, quibus rationum momentis se muniant, dum asserunt *primo,* coenam non luisse a Christo celebratam, ut quae deberet post suum discessum perenniter iterari: tum *se-*

ut infinita pene sacrorum Scriptorum testimonia omittam qui hoc mysterium inter vera sacramenta annumerandum esse perpetuo censuerunt, ex ipsa ratione et natura sacramenti facile colligitur. Est enim Eucharistia, signum externum et sensibus subiectum. Habet deinde significationem spiritualis refectionis, dum accedente verbo ad elementum, species panis et vini iam non amplius profanam et communem substantiam, sed corpus e: sanguinem Christi Salvatoris continere intelliguntur. Habet praeterea idem mysterium effectum gratiae quando communicanti applicatur, ut potest aperte colligi ex Ioan. VI, 48-59. Denique de Christi institutione neque Evangelistae neque Apostolus dubitandi locum relinquunt. Quae omnia cum in unum conveniant ad sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur. — Ita fere catechismus Cone. Trid., de Euch., n. 7.

Et nota iam ex nunc, quomodo non ad idem ordinatur Eucharistia ad quod Confirmatio, tametsi utrumque sacramentum

eundo, nihil eam habuisse quod speciem ritus religiosi prae se ferrei: ut ex utroque capite ab Eucharistia auferant rationem sacramenti a reali et historico Christo instituti.

Primum persuadere volunt, quia perennitas institutionis haberetur ex his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* quae desunt tum apud Matthaeum, tum apud Marcum. Quod si dicas inveniri ea apud Lucam, tt etiam apud Paulum τ Cor. XI, respondent Lucam accepisse a Paulo, Paulum autem secundum suas proprias ac personales ideas de redemptione crucis interpretatum esse convivium pridie diei passionis celebratum.

Alterum similiter demonstrant, quia si quid in narratione coenae ingereret ideam ritus religiosi, esset appositum quod rursus apud Paulum et Lucam tantum invenitur: « Hoc est corpus meum *quod pro vobis datur*-. Et si tu respondeas, rationem sacrificii multo adhuc expressius declarari apud Matthaeum et Marcum in forma secundae consecrationis (hic est sanguis meus novi testamenti, *qui pro mullis effunditur in remissionem peccatorum]* putasne eos a serenitate sui iudicii quomodocumque moveri? Absit. Simpliciter enim reponunt, interpolationem esse sub influxu theoriae Paulinae in primo et secundo evangelio posterius introductam !

suo m l-) perficiat effectum Baptismi. Perfectio enim rei in eo consistit, quod res ad sui ultimum perducatur. Sed dupliciter accipitur ultimum rei, scilicet ultimum rei in seipsa, et ultimum rei extra seipsam, quod est principium a quo habet esse; nam per coniun· tionem ad huiusmodi principium res complentur et firmantur. sicut propter distantiam ab ipso deficiunt. Confirmatio itaque perficit quantum ad primum, sed Eucharistia quantum ad secundum. Quippe, «fons christianae vitae est Christus, et ideo « hoc modo Eucharistia perficit, Christo coniungens; et ideo hoc « sacramentum est perfectio omnium perfectionum ut Dionysius « dicit ; unde et omnes qui sacramenta alia accipiunt, hoc sa- « cramento in fine confirmantur, ut ipse dicit » fl).

S 2.

Cum igitur in agnoscendo Eucharistiae sacramento conveniant illi omnes qui Scripturas recipiunt, una tantum nunc occurrit cum haereticis controversia : an scilicet perficiatur sacramentum solummodo in applicatione ad hominem communicantem, an vero in ipsa consecratione materiae per verba Salvatoris. Quod quidem ab illa alia quaestione pendet, fiatne corpus Christi sacramentaliter praesens statim ad verborum prolationem, an tantum in transeunte actu communicandi. Protestantes enim, etsi inter se mire dissentiant circa rationem et modum sacramentalis praesentiae, ut postea dicetur, magno tamen consensu docent corpus Christi non adesse nisi in actu sumendi, adeoque *nihil differre* Eucharistiam ab aliis sacramentis quae in solo usu *materiae* conficiuntur. Nec a longe quaerenda est huius unanimitatis *ratio;* suas radices habet in communi odio erga Ecclesiam ; hac *enim* positione quam Bucerus primum excogitavit ut *Zwinglium cum* Luthero conciliaret, viderunt radicitus destrui adorationem, cultum, asservationem Eucharistiae, et alia quae apud catholicos fieri consueverunt (2).

(») S. Thom., in IV, D. S, q. r, a. i, q. 3, sol. l, ad
(·) Vide Bellarmintim, de Euch., I. 4, c. l.

Quibus praemissis, dico: Unumquodqm ^aeramentum tunc perfici dicendum est, quando perficitur primus cius effectus: ille inquam, effectus ad quem exterius signum immediate pertingit, sicut exempli causa, tunc perficitur baptismus quando imprimitur character, non autem formaliter loquendo, (piando efficitur sanctificatio gratiae, quia alias in eo qui fictus accedit, vel nunquam perficeretur sacramentum, vel solum in instanti in quo contingeret fictionem removeri, quod sane nemo hucusque somniare potuit (1). Atqui in Eucharistia primus effectus seu praesentia corporis Christi perficitur antecedenter ad usum et independenter ab usu, in ipsa consecratione materiae, statim ad prolationem verborum, *hoc est corpus meum*. Ergo hoc sacramentum in consecratione materiae perficitur, non vero in applicatione eius ad hominem sanctificandum. — Minor quam negant haeretici, evidenter demonstratur, quia alias non salvaretur veritas verborum formae; verba enim enuntiant non solum de praesenti, verum etiam absolute et praescindendo a quocumque usu vel sumptione, corporis Christi praesentiam, utpote quae debent sic exponi: *contentum sub his speciebus est corpus meum*. Igitur falsa foret propositio si prolatis verbis, corpus Christi sub speciebus nondum adesset praesens, sicut etiam foret deceptoria si non obstante permanentia earumdem numero specierum, ipsum desineret aliquando sub eis contineri. — Confirmatur conclusio ex perpetua fide et praxi Ecclesiae, ut apparebit ex testimoniis de praesentia reali infra exponendis.

Rationes haereticorum, si tamen rationes dici possunt, sunt primo, quia Christus dixit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*. — Sed hinc bene sequitur, Eucharistiam ordinari ad usum sumptionis sicut ad finem principalem ; absurde vero colligitur, Christi corpus non adesse nisi in actu sumendi. Quod autem Eucharistia principaliter ordinetur ad sumptionem, catholica Ec-

(') Huius ratio intrinseca est, quia perficitur signum practicum, quando efficitur id a quo eius veritas pendet. Sed id a quo pendet veritas practicorum signorum quae sacramenta dicuntur, non est sanctificatio gratiae in actu secundo, sed sanctificatio praevia, in qua gratiae sacrainentalis titulus reponitur.

clesia non negat, imo docet sacrilegium fore, si alio modo quam sumptione sinantur species corrumpi. Verum principalis illa ordinatio, sicut non probat Christum in solo usu adesse praesentem, ita non excludit alias utilitates quae cum permanenti Salvatoris nostri praesentia connectuntur, puta adorationem sacramenti, et reliqua ad eius cultum devotionemque fidelium pertinentia, uti infra suo loco dicetur.

Aliam quoque rationem sumunt ex analogia aliorum sacramentorum, puta baptismi qui in usu perficitur. — Sed hoc nihil est quia differentiam sacramentorum differentia formarum notificat. Porro verba formalia Eucharistiae id proprium et singulare habent, quod non exprimunt aliquid effectum in homine actu suscipiente sacramentum, sicut ista, *te baptizo, te absolvo, te confirmo,* sed quod antecedenter ad usum effici debet in materia sacramenti. « Et ideo sacramentum Eucharistiae perficitur « in ipsa consecratione materiae ; alia vero sacramenta perfi- « ciuntur in applicatione materiae, ad hominem sanctificandum. « Et ex hoc sequitur alia differentia, nam in sacramento Eucha- « ristiae id quod est *res et sacramentum,* est in ipsa materia ; « id autem quod est *res tantum,* est in suscipiente, scilicet gratia « quae confertur. In Baptismo autem, utrumque est in susci- « piente..., et eadem ratio est de aliis sacramentis ».

Nota. — In hoc mysterio *species consecratae* sunt sacramentum tantum ; ipsum *corpus Christi verum* est res et sacramentum ; denique *corpus mysticum,* sive gratia coagmentans animam cum Christo et cum aliis membris eius, est res tantum (1).

Nec specialis ibi occurrit difficultas, nisi quoad primum ex his tribus, quia cum *sacramentum tantum* debeat materia constare et forma, non satis apparet quid sit illud quod gerit vices formae permanentis in sacramento permanente. Hinc inveniuntur apud quosdam auctores sententiae valde obscurae, et quae aliunde non possunt componi cum generali doctrina assignante *res* in ratione materiae, et *verba* in ratione formae. Quidam etiam distinguunt in hoc sacramento fieri et factum esse, dicentes con-(*)

(*) Recole dicta superius, de Sacr. in comm., Thés. ai.

stitutionem eius ex re tamquam materia et vei l · tamquam forma, locum non habere nisi quoad fieri tantum. S i in hoc videntur decipi, quia consecratio est sine motu, et non est ibi aliquod subiectum quod paulatim perducatur ad esse sacramentum. Porro, ubi motus non est, neque etiam est distinctio inter fieri et factum esse, sed fieri est ipsum factum esse prout in primo instanti connotans novitatem essendi.

Et ideo aliter dicendum est quod sacramenti permanentis permanens materia sunt species, permanens vero forma sunt consecrationis verba prout semel prolata denominant species consecratas, eisque manent intentionaliter affixa, fere eo ipso modo quo ritus consecratorius permanenter afficit ecclesiam consecratam, et verba benedictionis aquam benedictam. Considerandum quippe est quod sacramentum non est physicum compositum, cuius forma necessario debeat in esse physico perseverare, sed est compositum ordinis intentionalis, in quo satis est ut formale elementum maneat in virtute significandi, ex hoc quod manet materia cui noscitur fuisse semel affixum. Et re quidem vera, species sacramentales non significant permanenter spiritualem animae refectionem, nisi ratione verborum per quae sola intelliguntur continere, loco profanae substantiae, sacratissimum Christi corpus et sanguinem. Unde verba illa prout speciebus affixa, semper in causa sunt cur dictae species, praeter formam quam ingerunt sensibus, faciant aliquem spiritualem effectum in cognitionem venire, et hoc modo in virtute significandi perseverantia, intrinsece constituunt permanens sacramentum.

Exjdictis demum resolves, quotuplici modo sumi possit hoc nomen, *Eucharistiae sacramentum*. Primo enim et adaequate significat species consecratas simul cum corpore Christi. Significatione autem inadaequata, sumitur vel pro solis speciebus consecratis quae sunt *sacramentum tantum*, vel pro solo corpore Christi quod est *sacramentum et res*. Quapropter attente considerandi sunt termini propositionis, ut appareat pro quo supponat vox *sacramentum*. Si enim dicam Christum esse sub sacra-

ment-> vel sacramentum esse signum corporis Christi (1), vel etiam sse «secundum quemdam modum corpus Christi» (2), consi ·. quod sacramentum supponit pro speciebus. Si vero diram latri. ultum qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento esse idhibendum (3), sacramentum supponit pro solo corpore Christi quod in persona Filii Dei adoratione latriae debet coadorari.

THESIS XXXVI

(Art. 3).

Eucharistiae sacramentum est quidem materialiter plura sed formaliter et perfective unum.

Videretur tamen dicendum quod sacramentum Eucharistiae ita est materialiter plura, ut nequidem formaliter et perfective sit unum sacramentum. Etenim duo individua eiusdem speciei sunt simpliciter duo, et nullo modo dici possunt unum. Atqui duae species consecratae videntur comparari inter se ut duo uniu·. speciei individua. Ratio est quia sub sola specie panis confertur totus effectus sacramenti, et similiter sub sola specie vini, sicut colligi potest tum ex usu Ecclesiae, tum ex Tridentino, Sess. XXI. cap. i (Denzinger 930). Si autem sub alterutra seorsum specie indifferenter confertur totus sacramenti effectus, ergo sub alterutra indifferenter habetur integra sacramenti Eucharistiae ratio. Ergo duae species sunt simpliciter duo sacramenta, sicut Socrates et Alcibiades sunt simpliciter plures homines ex hoc quod tam in uno quam in altero seorsum, tota et integra salvatur ratio humanitatis.

Praeterea si sacramentum Eucharistiae esset perfective unum, duae species se haberent sicut quinque unctiones quae in Extre-

(1) August., c. Adimant., c. 12 (P. L. 42, 143).
(2) Idem, epist. 98 ad Bonifac., n. 9 (P. L. 33, 364).
(3) Trident., Sess. XIII, cap. 5 (Denzinger 878).

mae Unctionis sacramento concurrunt ad integr i'idum unum perfectum sacramentum. Sed hoc esse non potest, quia ut definitur in professione fidei Pii IV, sub altera tantum specie verum sacramentum sumitur, quin tamen idem proportionaliter dici possit de singulis seorsum unctionibus. Hinc Extrema Unctio vere est aliquid unum formaliter et perfective, eo scilicet pacto quo una est domus composita ex omnibus partibus necessariis ad habitandum, quarum nulla per se est domus, sed solum omnes simul. Verum Eucharistia propter oppositam rationem, simpliciter dicenda est plura sacramenta, non unum.

Sed contra est, quod duae species non sunt omnino eiusdem rationis, et non omnino idem proxime significant, quia una significat corpus et altera sanguinem ; ergo non possunt esse duo sacramenta solo numero differentia. Insuper, si essent duo sacramenta specie diversa, nec sub uno eodemque nomine specifico comprehenderentur, nec essent ab invicem in actione consecrativa inseparabiles. Relinquitur ergo ut dicantur duo partialia signa per quae integratur significatio unius perfecti sacramenti, quod est dicere, Eucharistiae sacramentum esse materialiter plura, formaliter vero et perfective unum.

Considerandum igitur est quod unum numero dicitur tripliciter. Uno modo, sicut indivisibile quod nec actu nec potentia est plura, ut punctum. Alio modo, sicut continuum quod quidem est unum actu, sed plura potentia, ut linea. Tertio modo, sicut perfectum aliquod quod ex pluribus partibus constituitur, *ut domus quae est multa quodammodo etiam in actu, sed illa multa conveniunt in aliquo uno :* et hoc modo quodlibet sacramentum dicitur unum, in quantum multa quae sunt in uno sacramento adunantur ad unum signandum et etiam causandum, cum sacramentum significando causet. Et ideo, ubi una materia vel materiae applicatio simul cum una forma sufficit ad perfectam significationem, facit unum sacramentum. Ubi autem perfecta significatio esse non potest, nisi per plures materias vel materiae applicationes simul cum totidem formis, tunc nonnisi per haec plura unum perfectum sacramentum constituitur. Exemplum est in Extrema Unctione, quia curatio interiorum vulnerum non

potest perfecte significari, nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices. Et simile quid invenire est in Eucharistia. Deputatum est enim sacramentum istud ad refectionem spiritualem sub figura et analogia corporalis. Quia igitur refectio corporalis duo requirit, puta cibum et potum, ideo oportuit esse aliquid per modum cibi quod est corpus Christi sub specie panis, et aliquid per modum potus quod est sanguis Christi sub specie vini. Et haec duo, cum se mutuo compleant in ordine ad unum effectum gratiae symbolice significandum, constituunt sacramentum quod est materialiter quidem plura, sed formaliter et perfective unum (').

Ad ium ergo dicendum quod duae species consecratae nullo modo se habent ut duo individua unius naturae, sed sicut ostensum est, sese mutuo complent in ordine ad perfectam significationem spiritualis animae refectionis. Ad rationem vero additam, est duplex opinio.

Quidam negant conferri sub alterutra specie indifferenter, totum effectum Eucharistiae ; imo dicunt dari sub specie panis gratiam distinctam ab ea quae datur sub specie vini, tametsi ex una et altera sacramentali gratia integretur una perfecta animae refectio, quod sufficere autumant ad formalem unitatem sacramenti. Ita *Salmanticenses, Lugo, Vasques,* quorum ex consequenti rata sententia est, adaequatam Eucharistiae gratiam non percipi nisi a communicantibus sub utraque specie(2). Sed contra est quod

(') Ita fere S. Thomas, in IV, D. 23, q. 1, a. i, q. 3, sol. 2.

(2) « Petes in quo differant isti effectus secundarii cibi et potus spi-
« ritualis? Respondeo, aliquam differentiam agnosci ab Ecclesia, licet in
« speciali non possimus omnes differentias comprehendere : ideo enim
« singulis speciebus tribuit suos proprios effectus in hymno Corporis
« Christi : *Deditfragilibus corporisferculum, dedit et tristibus sanguinis*
« *poculum,* quasi dicat, effectum cibi esse roborare fragiles, iuxta illud
« Psalm. CIII: *Etpanis cor hominis confirmet,* effectum vere potus esse
« nutrire quidem.... laetificando tamen animum tristem, iuxta illud eius-
« dem Psalmi : *Et vinum laetificet cor hominis. Hinc* enim est quod ali-
« quando effectus calicis appellatur in Scriptura *inebriatio animae,* quia
« affert hilaritatem quamdam, qua homo reddatur quodammodo insen-
« sibilis ad tribulationem, sicut ebrius redditur etiam naturaliter insen-
« sibilis». Lugo, de Euch., Disp. 12, Sect. 3, num. 73.

stante hac opinione, vix posset defendi ecclesia «lica disciplina de qua Tridentinum, Sess. 21. Esset enim ex hyp<>ih< si aliquis fons gratiae specialis, a Christo pro populo christiano perenniter institutus, et ex praecepto ecclesiastico omnibus laicis, imo et clericis non celebrantibus, in perpetuum interdictus; quod absit. Potius ergo dicendum, auctoritates a Lugone allatas non demonstrare eius intentum. Ex iis enim et similibus hoc unum potest concludi, diversos scilicet effectus qui in gratia Eucharistiae virtualiter distinguuntur, recte *appropriari* sive uni sive alteri speciei secundum maiorem eorum convenientiam cum propria alterutrius qualitate: et ideo eodem vitio laborat argumentum, ac si ex hoc quod potentia in Scripturis appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, concluderet quis, soli Patri convenire potentiam, soli Filio sapientiam, soli Spiritui Sancto bonitatem.

Aliunde ergo quaerenda est explicatio, et melius sentire videntur qui dicunt, totam gratiam quae confertur sumenti utramque speciem, conferri etiam sumenti alterutram tantum. Sed hoc ideo est, quia semper, ex ipsa lege constitutiva huius sacramenti, una species ordinem dicit ad alteram, et connotât illam. Haec enim inseparabilis connotatio satis est ut unaquaeque communicet in significatione totius cuius est pars, faciendo scilicet ut una species sit semper alteri coniuncta, non physice quidem, sed quantum sufficit ad significationem spiritualis refectionis, cum in signis non eaedem conditiones requirantur ac in physicis, ut dictum est supra. Unde haec duo bene stant : et quod duae species concurrant ad unam perfectam significationem sacramentalem, ac per hoc, coeant in unum sacramentum; et quod nihilominus, singula quaeque seorsum sumpta habeat eumdem effectum quem utraque simul. Uno verbo, sequeretur duas species non esse formaliter et perfective sacramentum unum, si integer Eucharistiae effectus causaretur per unam tantum speciem prout facientem quoddam totum independens atque perfectum. Nunc autem si effectus integritas consequitur sumptionem vel unius speciei, secundum quod alterutra se habet ut pars communicans in virtute significativa totius, nulla est sequela ut patet.

Ad 2lim vero dicendum quod in materiali pluralitate et formali unitate conveniunt Extrema Unctio et Eucharistia, nec opi i-' litum probat ratio in argumento assignata, quia differentia debet aliunde repeti. Nam Eucharistia conficitur in consecratione matenae ; quare *res ci sacramentum* est sub utroque elemento cons< rato, et ideo, quodeumque elementum sumatur, verum sacramentum accipitur. Nunc autem Extrema Unctio perficitur in usu materiae ; unde *res et sacramentum* non est in materia ipsa, sed tunc primum in homine inducitur, cum materia fuit perfecte applicata, id est ad quinque sensus admota ; impossibile igitur est ut in singulis seorsum unctionibus verum conficiatur sacramentum. Et tamen utrobique per plura materialiter distincta integratur una perfecta significatio.

THESIS XXXVI.

(Art. 5).

Etsi res sacramenti Eucharistiae quoad sui inchoationem, sit medium necessarium ad salutem, non tamen est necessitate medii necessarium sacramentum ipsum, nec in re, nec in voto proprie dicto.

Medium ad salutem necessarium est incorporatio ad Christum, quae in prima justificatione confertur. Sed huiusmodi incorporatio est *res sacramenti Eucharistiae in sui inchoatione et initio*. Ergo res Eucharistiae quoad sui inchoationem, est medium ad salutem necessarium. Maior est evidens, quia prima iusdficatio formaliter consistit in prima gratia et charitate habituali, quae ipsum est vinculum quo *tamquam membra viva* unimur •Christo et mystico corpori eius. Minor vero patet, quia res Eucharistiae est perfecta unitas corporis mystici, hoc est. perfecta unio animae ad Christum et ad membra eius per charitatem, uti suo loco exponetur in Quaest. 79, in qua de effectibus huius sacramenti.

Ipsum tamen sacramentum non est necessitate medii ne-

ces<.Hium. *in re, net i» voto proprie* </z/7.' | . Etenim illud tantum necessitate medii requiritur ad salutem, quod requiritur ut medium ad iustificationem primam, sive necessitas oriatur ex natura rei, sive ex positiva Dei institutione. Sed Eucharistia non fuit regulariter instituta ad conferendam iustificationem primam, quin imo eam praesupponit ; ergo non potest esse necessaria in re. Sed nec etiam in voto proprie dicto, quia votum supplet defectum rei, et sequitur naturam seu melius conditionem eius. Nec obstat quod Ioan. VI-53 dicitur: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non « habebitis vitam in vobis»; ex quo videretur sequi, eiusdem esse necessitatis Eucharistiam ac Baptismum de quo pariter scriptum est: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua... non potest «introire in regnum Dei». Sed hoc revera non sequitur, propter differentiam subiectae materiae. Nativitas enim spiritualis· est per se requisita ad habendam primo vitam sine qua nemo salvatur ; sed cibus spiritualis requiritur tantum ad vitae conservationem in his in quibus per mortale peccatum vita potest extingui. Quare illud evangelii : *Non habebitis vitam in vobis,* recte exponitur : *Non habebitis permanenter,* id est, *non perseverabitis in vita semel accepta.* In quo quidem sermo est de solis adultis, non autem de infantibus et iis omnibus qui usu rationis carentes, vitam spiritualem per peccatum amittere omnino non possunt. Itaque solum sequitur Eucharistiam esse pro adultis necessarium medium *ad perseverandum in gratia per longum tempus,* sed inde perperam concluderes hoc sacramentum esse, vel ipsis adultis, medium necessarium simpliciter, quia quisquis in gratia moritur, salvatur: sive a longo tempore gratiam consecutus sit, sive in ipsis mortis angustiis eam primo acquirat vel per poenitentiam recuperet.

His tamen non obstantibus, adhuc dici potest Eucharistia necessaria ad salutem *in voto improprie dicto.* Ratio quia neces-(*)

(*) Votum *proprie dictum* intellige veram ac proprie dictam voluntatem, vel in se explicitant, vel in alio actu implicitam, suscipiendi sacramentum ; cuius quidem voluntatis, quicumque usu rationis carent, sunt, ut constant, absolute incapaces.

sarins est baptismus, cuius effectus non absurde consideratur ut quod·!am votum Eucharistiae. Est enim baptismus ianua omnium sacramentorum, quorum Eucharistia finis est et consummatio ; praeterea, ut dictum est, inchoat effectum quem Eucharistia ultimo perficit. In omni autem medio est quidam ordo ad finem, et in omni inchoatione est quaedam inclinatio ad consuinmativum : atque ideo, omnis qui gratiam baptismalem recipit, ipso naturali pondere eius quod recipit, dici potest tendere in Eucharistiam et desiderio manducare corpus Christi, etiamsi aliunde incapax sit voti proprie dicti. — Et hoc modo explicantur dicta Augustini, et quorumdam aliorum, qui in controversia Pelagiana accommodaverunt etiam pueris verba evangelica, *nisi manducaveritis,* etc. Nam cum Pelagiani inepte distinguerent inter regnum caelorum et vitam aeternam, dicentes quod infantes sine baptismo decedentes consequuntur vitam aeternam, non tamen introeunt in regnum caelorum, Augustinus eos confutabat, quia qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest introire in regnum Dei,* dixit etiam: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis : qui manducat meant carnem, habet vitam aeternam,* etc. Atqui pueri, nonnisi per baptismum *aliquo modo* manducant carnem Filii hominis. Ergo sine baptismo decedentes, nec ad regnum caelorum, nec ad vitam perveniunt aeternam (1). In eodem sensu paulo supra explicato nonnulli Patres post Augustinum dixerunt eucharistiam esse necessariam etiam pueris ad consecutionem vitae aeternae, nusquam tamen insinuantes necessariam esse *in re.* Hinc illud Bedae in corpore iuris, de *Consecr. D.* 4, c. 131, insertum: «Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc « unumquemque fidelium corporis sanguinisque *dominici partici-* « pem fieri, quando in baptismate membrum Christi corporis « efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi « antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sae- « culo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacra-(*)

(*) August. l. i contra duas epist. Pelagian, c. 22.

« menti quippe illius participatione ac ben· | · non privatur, «quando ipse, hoc quod ipsum sacramentum . invenitur » il). I

Scholion. — In art. 4 recenset S. Thorn omnia nomina huius sacramenti. Dicitur enim *sacrificium,* secundum quod passionem crucis ita repraesentat, ut Christum ipsum contineat sub externo habitu mortis. Dicitur *communio* vel *svnaxis,* in quantum est signum efficax unitatis corporis mystici. Dicitur *viaticum,* secundum quod praebet nobis viam perveniendi in futuram Dei fruitionem quam prognosticat. Generaliter vero dicitur *eucharistia,* quasi bona gratia per excellentiam.

In art. 5 ostenduntur convenientiae institutionis in ultima coena. *Primo,* quia fuit conveniens ut tunc Christus seipsum relinqueret sub specie sacramenti, quando in propria specie fideles relinquebat. *Secundo,* quia imminente passione, omnia vetera sacrificia et sacramenta quibus futurum crucis sacrificium annuntiabatur, finem accipiebant. Nunc autem, sicut ante incarnationem oportuit conservari spem futurae redemptionis per solemne exercitium cultus, ita necesse fuit conservari post redemptionem peractam iugem eius memoriam, et semper praesentari Deo hostiam mactatam ab origine mundi, per quam solam homines ad Deum habent accessum. Fuit igitur convenientissimum ut institueretur novum sacrificium, quando vetera in eo erant ut desinerent. *Tertio,* quia hoc sacramentum erat potissimum donum, cum maximo affectu retinendum, et ideo in ipso discessu commendandum Etenim «ea quae ultimo dicuntur, maxime « ab amicis recedentibus, magis memoriae commendantur, prae-(*)

(*) Longe aliter Antonius Rosmini in propos. 32“ e quadraginta condemnatis per decretum S. Officii 14 Dec. 1887 : « Quoniam qui non man- « ducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem non habet vitam «in se, et nihilominus, qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis, « aut desiderii, certo consequuntur vitam aeternam : dicendum est, his qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, submi- « nistrari hunc caelestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti. Hinc «etiam, sanctis veteris testamenti potuit Christus descendens ad inferos, «seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ‹ ad visionem Dei ». Sed talem fabulam refutare, profecto inutile est.

sertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos·, ea vero «ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur».

Denique, art. 6 agit S. Thomas de figuris Eucharistiae, quas exponit elegantissime: «Quantum ad id quod est *sacra-* *i viculum tantum,* potissima figura fuit huius sacramenti obla- « ti‹> Melchisedech qui obtulit panem et vinum. Quantum au- « ii m ad ipsum Christum passum qui continetur in hoc sacra- « mento (ut *sacramentum ct res),* figurae eius fuerunt omnia « sacrificia V. T., praecipue sacrificium expiationis, quod erat « solemnissimum. Quantum autem ad effectum (qui est *res tan-* ▮ *tum},* fuit praecipua eius figura manna quod habebat in se « omnis saporis suavitatem. Sed agnus paschalis quantum ad « haec tria praefigurabat hoc sacramentum : quantum enim ad « primum, quia manducabatur cum panibus azymis. Quantum ‹ vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine fi- « liorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis « Christi qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum vero « ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt » filii Israel a devastante angelo, et educti de aegyptiaca ser· « vitute ».

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

Quaest. lxxiv-lxxvii.

Post considerationem sacramenti in generali veniendum est ad singula quae in eo distinguuntur, et primo dicendum est de materia, quae quidem distinguitur in remotam et proximam. Panis et vinum sunt materia remota, vel melius materia circa quam exercetur actio consecrativa. Proxima vero, quae sola ingreditur ipsam sacramenti constitutionem, sunt species sub quibus Christus praesens efficitur. Agendum itaque *primo* de materia circa quam, (Quaest. 74). *Secundo* de iis quae ad eius consecrationem spectant, id est de transubstantiatione, seu conversione substantiae in substantiam corporis et sanguinis Christi, (Quaest. 75). *Tertio* de modo exsistendi corporis Christi sub speciebus consecratis, (Quaest. 76). *Quarto* denique de ipsissimis speciebus sive accidentibus quae in hoc mysterio absque subiecto manent, (Quaest 77).

Quaest. LXXIV.

DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Sicut corporalis vita materiali alimento indiget, ait S. Thomas in 4 c. Gent., c. 61, ne propter resolutiones continuas natura corporis dissolvatur et eius virtus depereat, ita necessarium fuit in spirituali vita spirituale alimentum habere quo regenerati per baptismum, in virtutibus conserventur et crescant. Et quia spirituales effectus sub similitudine visibilium fiunt, congruum fuit nobis tradi huiusmodi spirituale alimentum sub spe-

debus illarum rerum quibus homines communius ad corporale alimentum utuntur. Huiusmodi autem sunt panis et vinum, et ideo convenienter ex pane et vino assumpta est materia huius sacramenti. Accedit quod materia illa idonea erat ad repraesentati nem dominicae passionis, dum species solida panis consecratur ut sacramentum corporis, et species liquida vini ut sacramentum sanguinis. Accedit demum quod utrumque elementum in unum aliquid redigitur ex multis (1), ac per hoc, natum est mystice designare rem sacramenti quae est perfecta unitas corporis mystici, teste Apostolo dicente : « Quoniam unus panis, unum « corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ».

De materia autem primae consecrationis specialiter notandum est quod requiritur panis triticeus, sed ad validitatem non refert an sit azymus vel fermentatus. « Cum esse fermentatum « vel azymum, ait S. Thomas, 4 c. Cent., c. 69, non sit de « ratione panis, sed utrolibet existente, species panis salvetur, « ex utrolibet pane potest confici sacramentum, et propter hoc « diversae ecclesiae diversum usum habent, et utrumque con- « gruere potest significationi sacramenti». Nam in azymo signatur puritas et immunitas a corruptione, et sic panis azymus congruit tum puritati corporis Christi quod conceptum et natum est de Virgine, tum puritati quae decet fideles hoc sacramento utentes ut de hoc mundo transeant ad Patrem, id est de corruptione terrestris vitae ad caelestis vitae incorruptionem ; unde Apostolus, i Cor. V-8: *Epulemur... in azymis sinceritatis et veritatis. Verum* nec ratio deest cur Graeci in fermentato celebrent ; fermentum enim sub alia et alia consideratione est similitudo diversorum. Certe in quantum inducit corruptionem quamdam, significat malam doctrinam vel malos mores, iuxta illud Apostoli ubi supra; *Modicum fermentum totam massam corrumpit,* et iterum in evangelic legitur : *Cavete a fermento Pharisaeorum. Sed ex* alio re-

(1) «Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt ho- « mines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum «in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex mul- 4 tis. Namque aliud in unum ex multis granis confit, aliud in unum ex ‹ multis acinis confluit». August., Tract, 26 in Ioan., n. 1; (P. L. 35, *1614).*

spectu, fermentum dicit fervorem et vim efficacissimam ac maxime penetrantem, et hoc modo apprime congruit significationi Eucharistiae, cuius virtus totum hominem invadit et sinu fervore replet. Hinc de hoc sacramento solet intelligi notissima illa evangelii parabola: *Simile esi regnum caelorum fermento quod, acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus donec fermentatum est totum.* Nam etsi, sensu primario, fermentum istud designet verbum evangelicum quod initio tam modicum videbatur, et nihilominus brevi tempore invasit totum orbem, intime penetrando tres principales hominum progenies: adhuc tamen in mystici significatione fermenti comprehenditur Eucharistia, quae cum sit parvula benedictio, ut Cyrillus ait, integrum hominem penetrat ac veluti fermentat, in animam efficaciam habens et in corpus, ut dicetur suo loco. Concludendum ergo, ritum utriusque ecclesiae esse rationabilem et consentaneum naturae sacramenti.

De materia tandem secundae consecrationis breviter dicendum quod requiritur vinum de vite, cui ex ecclesiastico praecepto permiscenda est aqua, sed in modica quantitate ne vini species solvatur. Huius porro praecepti finis est mystica significatio, quae multiplex a S. Thoma, art. 6 huius quaestionis, assignatur. Principalis tamen videtur esse adunatio populi fidelis cum Christo, quae et ipsa exemplatur per unionem assumptae humanitatis cum Verbo (1). Sicut enim aqua de se insipida communicat sapori et caeteris proprietatibus vini quando ei admiscetur, ita animae fidelium per conjunctionem ad Christum deiformes fiunt. Caeterum in re aperta et omnibus obvia non est cur diutius immoremur; unde statim ad difficiliora transeundum.

Quaest. LXXV.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI.

« Aliter generans generato conjungitur, et aliter nutrimen-
« tum nutrito in corporalibus rebus. Generans enim non oportet(*)

(*) Cf. decretum pro Armenis, Enchirid., n. 698.

« s undum substantiam generato coniungi, sed solum secundum
‹ virtutem; sed alimentum oportet nutrito secundum substantiam
« c· ungi. Unde, ut corporalibus signis spirituales effectus re-
« spondeant, mysterium Verbi incarnati aliter nobis cnniungitur
« in Baptismo qui est spiritualis regeneratio, atque aliter in hoc
« Eu‹ haristiae sacramento quod est spirituale alimentum. In Bap-
« t;-m‹» enim continetur Verbum incarnatum, solum secundum vir-
«tutem; sed in Eucharistiae sacramento confitemur ipsum se-
« eundum substantiam contineri» f1). Itaque de ratione et modo quo sub panis et vini speciebus fit praesens, nunc omnino dicere oportet, ac per hoc, iam ingredimur ipsa viscera mysterii.

Porro ex ipso titulo quaestionis in qua *de reali praesentia* disputare incipit S. Thomas, iam apparere potest fundamentale discrimen quod est inter doctrinam eius circa Eucharistiam, et varias opiniones quae inceperunt invalescere in scholis, saeculo XVI exeunte. Inscribit Angelicus quaestionem istam: *De conversione panis et vini in corpus el sanguinem Christi.* Est enim apud ipsum caeterosque antiquos doctores scholasticos rata et certa sententia, quod transubstantiatio ita intime et necessario cohaeret cum reali corporis Christi praesentia in sacramento, ut non possit negari primum, quin ipso facto logice sequatur negatio alterius. Docent quippe, solam transubstantiationem posse reddere rationem novae praesentiae Christi sub speciebus, quia ut dicitur art. 3 huius quaestionis in corpore: *Non est dare aliquem modum quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum* (3). Recentiores e contra,

(*) S. Thom., 4 c. Gent., c. 61.

(') Primus Caietanus in schola S. Thomae, incepit in hoc puncto a Magistri doctrina recedere. Scribit enim in 3*“ Partem, q. 75, art. 2: ‹ Praemittendum est quod non est hic quaestio de divina potentia; n‹»n enim ad hunc tractatum haec spectat quaestio; sed quaerimus quid «institutus ordo causarum habeat. Unde, cum dicitur in littera: Impos- ‹ sibile est, etc., non est sermo de impossibili secundum divinam po- « tentiam absolute, sed secundum potentiam ordinatam, secundum «quam attenditur possibile vel impossibile in ecclesiasticis mysteriis». Quod quam falsum sit, ad sensum S. Thomae quod attinet, postea videbimus.

etsi quoad alia omnia puncta inter se vel maxime dissentiant in uno tamen negativo concordant. Nam in rum opinionibus transubstantiatio non necessario cum reali pra· .entia connectitur- quin imo nullo modo reddit vel reddere potest rationem novae praesentiae Christi in sacramento, sed est aliquid pure concomitans, quod per accidens solum se habet ad realem praesentiam in quantum huiusmodi.

Quae igitur cum ita sint, necesse est ut quamvis apud omnes catholicos habeatur una eademque *generalis* transubstantiationis notio, longe tamen dispares inveniantur sententiae, quando ad *distinctam* et *scientificam* notarum eius analysim devenitur. Hinc, ne defectu sufficientis praecisionis in intellectu terminorum, aerem verberare videamur, prius oportebit determinare, quis inter multos appareat legitimus, et ad mentem Conciliorum exactus, transubstantiationis conceptus. Quin etiam, ut totum praesentis controversiae obiectum definiatur magis, itemque ut accurate distinguantur errores ab iis opinionibus quae salva orthodoxia sustineri possunt, atque hoc modo habeatur unde mens dirigi possit in satis difficili et salebroso itinere, operae pretium erit sequentia capita *per modum prolegomeni* exponere.

I i.

De praesentia reali et transubstantiatione, quid fide catholica tenendum.

Regula fidei. — Primus negator realis praesentiae Christi in sacramento, saeculo XI apparuit. Fuit autem Berengarius (1), in Concilio Turonensi primum condemnatus, deinde in Concilio

(') «Is ergo (Berengarius), cum iuveniles adhuc in scholis ageret «annos, elatus ingenii levitate, ipsius magistri sensum non adeo cura- «bat, condiscipulorum pro nihilo reputabat, libros insuper artium con- «temnebat. Sed cum per se attingere philosophiae altioris secreta non «posset, neque enim homo ita acutus erat, novis saltem verborum in- «terpretationibus... singularis scientiae laudem sibi arrogare, et cuius- «dam excellentiae gloriam venari, qualitercumque poterat, affectabat. «Factumque est ut pompatico incessu, sublimi prae caeteris suggestu

Romano sub S. Gregorio VH coactus eiurare haeresim suam per sequentem fidei professionem in corpore iuris insertam. « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vi- « num... per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redem- « ptoris, substantialiter converti in veram et propriam ac vivi- « ficatricem carnem et sanguinem D. N. I. C.; et post conse- « crationem esse verum Christi corpus, quod natum est de «Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, « et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi « qui de latere eius effusus est, non tantum per signum et vir- « tutem sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate sub- « stantiae » i1).

Brevius Concilium Lateranense IV cap. *Firmiter,* praesentiam realem simul cum transubstantiatione per modum unius complectitur, definiens quod Christi Domini « corpus et san- « guis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter « continentur, transubstantiatis pane in corpus et vino in san- « guinem, potestate divina » (2).

Saeculo tandem XVI advenerunt Protestantes inhaerentes ■vestigiis Wiclefi in Concilio Constantiensi iam dudum anathematizati. Plerique simpliciter negabant realem praesentiam; Lutherus vero asserebat quemdam modum, aut verius quosdam modos qualiscumque praesentiae a se successive excogitatos; omnes ad unum, transubstantiationem explodebant. Cum autem errores suos tentarent tegere sub calliditatibus verborum plus minusve

«dignitatem magistri potius simulans quam rebus ostendens, profunda « quoque inclusione inter cucullum, ac simulatione longae meditationis, «et vix tandem satis desideratae diu vocis lentissimo quodam quasi « plangore incautos decipiens, doctorem sese artium pene inscius pro- « fiteretur. Sed postquam a Domino Lanfranco in dialectica de re satis «parva turpiter est confusus..., desertum se iste a discipulis dolens, ad «eructanda impudenter divinarum Scripturarum sacramenta..., sese con- « vertit, etc. ». Guitmundus, de corp, et sang. Christi veritate, l. i sub «initio (P. L. 149· 1428).

(») Enchirid. n. 355.

(·) Enchirid. n. 43°·

ad speciem veritatis accedentium, contra omnes serpentinae fraudis formas edita est definitio Tridentina, in qua dicitur corpus Christi «in sanctissimo Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter ». *Vere,* id est, non tantum ut in signo vel figura, sicut aiebant Sacramentarii fl). *Rcaliter,* id est, a parte rei, non autem, sicut Calvinus asserebat, quatenus fidei contemplationi fit veluti praesens id quod physice nonnisi in caelo est. *Substantialiter,* id est, secundum substantiam, et non tantum secundum virtutem quamdam a sacratissimo corpore delapsam, quam Calvinus, et cum eo moderni forsitan Anglicani, non timerent concedere. Quod autem ad transubstantiationem attinet, eiusque habitudinem ad praesentiam realem, definitiones praecedentium conciliorum magis magisque a Tridentino determinantur. Nam in sess. XIII, cap. 4 (Denzinger 877), haec habet nunquam satis meditanda: «Quoniam autem Christus Redemptor no-« ster corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse « dixit, *ideo* persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc « denuo Sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis « et vini, *conversionem fieri totius substantiae panis in substan-« tiam corporis D. N. I. C.* et totius substantiae vini in sub-«stantiam sanguinis eius, quae conversio convenienter et pro-(*)

(*) Nota, damnari in Sacramentariis quod dixerint Christum esse in Eucharistia ut in signo, *sensu excludente,* quasi ibi esset ut in signo non continente vere id quod significat. Nunc autem *sensu affirmante* verissimum est corpus Christi esse sub speciebus, tanquam sub signo sui. «Unde in fine cuiusdam missae oratur et dicitur: *Perficiant in nobis, « Domine, quaesumus, sacramenta tua quod continent, ut quod nunc specie a gerimus, rerum veritate capiamus.* Postulat quippe sacerdos ut corpus « Christi quod sub specie panis et vini nunc geritur, manifesta visione, «sicut revera est, quandoque capiatur... Et de hoc eodem sacramento «legitur in passione beati Dionysii, cui dum sacrum mysterium cele-«braret in carcere, apparuit Dominus, dansque illi sancta dixit: *Accipe • hoc, chare meus, quod mox complebo tibi una cum Patre meo.* Ac si «diceret: Quod tibi do modo in viatico, non mutabo in praemio, ut «dem aliud; sed id ipsum complebo, meipsum manifestans». Algerus de sacr. corp, et sang. Dornin., l. 1, c. 5 (V. L. 180, 753).

« prie a Sancta catholica Ecclesia, *transubstantiatio* est appel-
‹ lata » fl).

Denique in Bulla *Auctorem fidei* novum additur documentum quo edocemur, transubstantiationis conceptum prout fuit in perpetuo intellectu Ecclesiae catholicae, non his duabus tantum notis absolvi, quae sunt realis praesentia corporis Christi a primo instanti peractae consecrationis, et cessatio in hoc eodem instanti, totius substantiae panis et vini, solis remanentibus speciebus. Sic enim habet praedicta Bulla, sub n. 29 (Denzinger 1529): Doctrina Sy-
« nodi (Pistoriensis), qua parte tradere instituens fidei doctrinam de
« ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa mo-
« dum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi
« munere fungentes abstinere hortatur, *duobus his tantum proposi-*
« *iis:* primo, Christum post consecrationem, vere, realiter, substan
« tialiter esse sub speciebus; secundo, tunc omnem panis et vini
« substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, — prorsus
« omittit ullam mentionem facere transubstantiationis seu conver-
« sionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae
« vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Con-
« cilium definivit ... quatenus per inconsultam istiusmodi suspi-
« ciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem
« pertinentis^ tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius
« tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad
« eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere
« scholastica : perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae
« circa dogma transubstantiationis, favens haereticis ». Qua ex definitione illud saltem negativum eruitur, transubstantiationem(*)

(*) Haec definitio, fere ad verbum transcripta est ex S. Thoma in praesenti, art. 4, in corp. «Cum in hoc sacramento sit verum corpus «Christi..., necesse est dicere quod incipiat ibi esse per conversionem «panis in ipsum... Et hoc agitur virtute divina in hoc sacramento:
« nani tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis
« Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Cbn-
« sti. Unde haec conversio non est formalis, sed substantialis, nec con-
« tinetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici
« *transubstantiatio* ».

nempe nondum explicari per meram cessationem totius substantiae panis et vini, ac veram ac realem praesentiam Christi sub separatis speciebus, statim post consecrationem.

Et de regula quidem fidei, hactenus. Huic opponuntur sententiae heterodoxae, quas e regione oportet recensere.

Sententiae erroneae. — Sententias erroneas nunc dico, quae secundum se tales sunt, sive a suis auctoribus haereticali pertinacia assertae fuerint vel non, sive etiam secutae sint vel potius praecesserint solemnes definitiones quibus contradicunt. Praetermissis autem haeresibus quae *expresse* et in terminis negant, aut praesentiam realem, aut transubstantiationem, aut utrumque simul, (quia de iis iam sufficienter est dictum), duo principales commemorantur errores praefatis fidei regulis aperte repugnantes.

Primus error tribuitur Durando in IV, D. 11, q. 3. Docet remanere panis materiam, et panem converti in corpus Christi virtute verborum consecrationis, quatenus per ipsius Christi animam materia remanens informatur. Fuit hisce ultimis temporibus sub variis formis incaute renovatus a quibusdam, aliunde piis et catholicis, sed ut videtur, nimium indulgentibus pruritui accommodandi sacrosancta religionis mysteria ad imaginationis captum et ad volubilia ac semper fluctuantia humanarum opinionum commenta fl). Ad eum etiam reducitur propositio Rosminiana quae sub n. 29 recensetur inter quadraginta, a S. Inquisitionis Congregatione anno 1887 damnatas (Denzinger 1919): *A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc conieduram. In eucharistico sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus(*)*

(*) Omnes explicationum fabricae quae in praesenti mysterio inniterentur super recentiorum chimicorum placita de proprietatibus seu viribus materiae, sunt multiplici ex titulo vitandae. — *Primo* quia ad id quod totam naturam exsuperat, naturales vires nihil conferre possunt. — *Secundo* quia principia ipsa unde sumitur expositionis fundamentum, hodie affirmantur, et cras in opinione doctorum destruuntur. _ *Tertio* quia verendum est ne illi ipsi quos ad fidem attrahere volumus, fidem nostram potius irrideant existimantes nos tam levibus rationibus acquiescere. De quo vide S. Thomam, 1, q. 32, a 1 in corp.

Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat; eo ferme modo quo panis et vinum vere transubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis. Sed contra est quod coniectura ista omnino laedit dogma catholicum, et multiplici ex titulo directe ei opponitur.

Etenim primo, Tridentinum (J) definit *singularem* esse conversionem panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, hancque singularem ac prorsus mirabilem conversionem aptissime et proprie *transubstantiationem* appellari. Quibus verbis Sancta Synodus aperte docuit, transubstantiationis rationem *in solo altaris mysterio* inveniri, et conversionibus aliis, maxime naturalibus, nequaquam convenire. Nunc autem coniectura adstruit univocam esse conversionem eucharisticam cum notissima illa conversione alimenti in substantiam sumentis, asserens panem et vinum per nutritionem *vere transubstantiari* in nostram carnem et sanguinem. Nec refert quod Gregorius Nyssenus (*), aliique Patres passim, dicant mutari nunc panem in carnem Christi per consecrationem, sicut mutabatur olim, dum ipse Christus in carne mortali utebatur hoc alimento ad refectionem corporalem. Aliud enim est uti similitudine nutritionis, ut vera et realis conversio ostendatur, aliud vero est adstruere univocitatem, asserendo utrobique idem conversionis genus cui vere competat transubstantiationis nomen et ratio.

Praetera Tridentinum non solum mirabilem ac singularem dicit conversionem panis in corpus Christi, sed etiam quo titulo sit mirabilis ac plane singularis, aperte declarat docens conversionem hanc esse *totius substantiae* panis in corpus, manentibus *duntaxat* speciebus. Coniectura autem videtur in primis conversionem ipsam absolute de medio tollere ; nam illud quod manet in suo esse, et cui solum additur nova terminatio, profecto in

(') « Si quis... negaverit mirabilem illam et singularem conversio-« nem totius substantiae panis... quam Catholica Ecclesia aptissime tran-« substantiationem appellat, anathema sit». Trie!., Sess. *XIII. can.* 2. (Denzinger 884).

(·) Greg. Nyss. orat, cathec., n. 37 (P. G. 45, 93).

aliud non convertitur. Sed et evidentius negat *totius* substantiae conversionem: quocumque enim modo explices substantiam panis et vini fieri terminum principii sentientis Christi, necesse est ut aliquid dictae substantiae, peracta consecratione remaneat, quia illud quod iam amplius non est neque ex toto neque ex parte, utique terminus principii sentientis fieri nequit.

Praeterea, si in sacramento non est nisi substantia panis facta terminus principii sentientis Christi, ergo non continetur ibi «verum Christi corpus, *quod natum est de Virgine, et quod «pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad «dexteram Patris*». Et eadem quoque consequentia est in omnibus affinibus sententiis quae a Durando principium sumunt. Nec opus est in praesenti agitare quaestionem, utrum scilicet identitas humani corporis ex *sola* identitate animae informantis repetatur. Satis enim est quod in his sententiis, tot haberet Christus corpora, quot hostiae ab invicem divisae et numero multiplicatae consecrantur in mundo. Atqui omnia haec corpora, *ex nova semper panis materia in terra conflata,* profecto non essent ipsum unum atque individuum corpus quod nunc in caelo ad dexteram Patris sedet. Mitto interim alias plurimas repugnantias, quibus tam principiis rectae rationis quam dignae existimationi de Christo, maxime in suo statu glorioso, omnino derogatur. De his enim, alias.

Alter error fuit Ruperti abbatis Tuitiensis (2). Sicut, inquit, Verbum aeternum per incarnationem factum est homo, non destruendo vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem, ita per consecrationem Eucharistiae fit panis, non destruendo vel mutando, sed assumendo personaliter panis naturam. Porro corpus panaceum adhuc dici potest unum' cum corpore de Virgine nato, quia unum est suppositum utriusque, et unus est Christus qui utrumque assumpsit. — In quo certe suas voces Rupertus ignorat ; falsissimum quippe est quod stante

(*) Supra, in corpore iuris, cap.. *Ego Berengarius.*

(·) Rupertus, l 6 in Ioan., super illa verba : *Panis quem ego dabo.* etc. (P. L. »69, 481). — Et iterum, l. 2 de divinis officiis, cap. 9 (P. L. 170, 40)·

hyp thesi impanationis, corpus panaceum vere diceretur esse ■corpu . carneum, ex hoc quod utriusque idem esset suppositum. Recte enim dicitur suppositum divinitatis esse suppositum humanitatis, sed nequaquam dici potest quod divinitas sit humanitas ; simili igitur modo eadem foret hypostasis habens corpus carneum et· corpus panaceum, sed unum corpus non esset alterum.

Est autem haec positio iterum evidenter haeretica. *Primo,* quia negat omnem conversionem substantiae panis in substantiam corporis Christi; sicut enim humanitas Verbi tam vere est et manet humanitas, ac si in suo proprio esse subsisteret, ita panis Eucharistiae, si fingatur assumi hypostatice a Verbo, non minus est panis post assumptionem quam ante. *Secundo,* quia evidenter negat esse sub speciebus ipsum corpus de Virgine natum, et ad dexteram Patris sedens; non solum enim non esset numero idem, sed nequidem specie. *Tertio,* quia adhuc evidentius negat esse sub speciebus vini sanguinem Christi; vinum enim in hypostasi Verbi exsistens, profecto sanguis non est.

Dixi haereticam positionem, tametsi a persona Ruperti notam haereseos aequum sit propulsare. Sed idem dici nequit de Luthero, qui cum aliquid dogmatis catholici circa realem praesentiam retineret, non genuinam et sinceram totius Ecclesiae doctrinam asseruit, sed corruptam expositionem fecit suam, idque more muscarum quae partes sanas relinquunt, ut ad corruptas irresistibili instinctu advolent. Unde modo accessit ad palinodiam Berengarii qui post primam suam eiurationem docere inceperat substantiam panis cum vero corpore Christi in sacramento consistere, modo ad opinionem Ruperti de assumptione panis a persona Verbi, (unde *impanatorum error* prodiit); ultimo propriam adinvenit sententiam, docens corpus Christi per unionem ad Verbum, id fuisse assecutum ut esset ubicumque est Verbum, id est ubique, et si ubique, etiam in pane Eucharistiae.

Hactenus de praecipuis erroribus, qui circa praesens dogma invaluerunt. Nunc ad catholicos theologos convertamur oportet, et videndum quae sententiae intra limites scholasticae expositionis a diversis proponantur.

§ 2.

De transubstantiatione et habitudine eius ad praesentiam realem, variae Scholasticorum sententiae.

1. Opiniones recentiorum. — Tribus generalibus notis, constat transubstantiationis conceptus apud recentiores. *Prima* est annihilatio panis secundum totam realitatem suam substantialem. *Secunda* est positio corporis Christi, prout nexum quemdam et ordinem dicens ad desitionem substantiae panis. *Tertia* est permanentia alicuius elementi communis, id est specierum. Consulto autem dixi tres generales notas, quia si ad specificationem secundae et tertiae descendatur, iam non una communis omnium, sed multiplex sententia est.

Porro dissensus principalis, et ad praesentem quaestionis statum potissimum pertinens, respicit naturam actionis per quam ponitur corpus Christi sub speciebus sacramenti. Alii enim cum Suarezio tl), Lessio (2), Coninck (8), Billuart (4), intelligunt fieri praesens corpus Christi per actionem *productivam*^ qua scilicet corpus in caelo existens sub speciebus reproducitur. Alii cum Scoto et Lugone (5), per actionem *adductivam,* vel quasi adductivam. Alii demum prudenter abstinent ab omni determinatione circa praedictae actionis quidditatem, dicentes esse in huiusmodi, nimias inquisitionum subtilitates. — Nunc vero, si sermo sit de nexu quo desitio substantiae panis connectitur cum positione corporis Christi, omnes illi auctores in hoc convenire debebunt: non esse eum quem prae se ferunt notissima illa sacrae liturgiae verba: *Dogma datur Christianis quod in carnem transit panis, et vinum in sanguinem.* Communis enim eorum opinio· est, quod in nihilum panis abit, et vinum similiter. Quare desi-(*)

(*) De Euchar., Disp. 50, Sect. 4.
(·) De perfect, divin., I. 12, n. nç·
(·) De Sacram., q. 75, art. 4, dub. 3.
(') De Euchar., Dissert. 1, art. 7.
f·) De Euchar., Disp. 7, Sect. 6.

ti-> substantiae panis minime infert positionem corporis Christ» sub speciebue, sed sunt duo a se invicem plane independents, sub i ntiae panis annihilabo, et corporis Christi sub speciebus rem (luctio vel adductio. Proinde, si adhuc inter haec duo nexus aliquis est, cum ad sacramentalem Christi praesentiam nihil conferat, parvi admodum interest scire in quo consistat, et unde sit repetendus. Caeterum, alii illum sumunt ex verbis formae quorum veritas exigit ut, pane desinente, succedat corpus Christi (x). Alii volunt ut ad productionem corporis Christi sub speciebus separetur substantia panis a sua quantitate et cunctis accidentibus ; ex qua separatione sequeretur secundum eos, reductio eius in nihilum (2). Alii reponunt nexum in hoc, quod corpus Christi succedit destructae substantiae panis cum eodem munere substantivo erga accidentia separata ; opinantur enim ipsum Christi corpus supplere influxum prioris subiecti respectu specierum permanentium, et hoc modo continuare erga eas munus quo fungebatur panis substantia (8). Alii demum contenti sunt ponere nexum colligantiae in sola intentione Dei, in quantum scilicet non ad alium finem destruit Deus substantiam panis, nisi ut loco eius introducat corpus Christi.

Tandem quoad ultimam notam permanendae specierum, potissima differentia est in hoc quod plures eam non habent ut essentialiter requisitam ad transubstantiationis rationem: alii e contra ex ea totam volunt dependere conversionis veritatem (4). Item alii intelligunt, et rectissime, accidentia panis et vini permanere vere et realiter. Alii, scilicet recentissimi, dicunt illa permanere quoad solam apparentiam, quia funditus annihilantur omnia quae prius erant, Deus tamen miraculose efficit in sensibus nostris quidquid panis et vinum in esse perseverantia suapte natura efficerent.

Ex his igitur omnibus iam intelliges veritatem eius quod' superius fuit dictum: nempe conversionem panis et vini sic expo-

(*) Vasquez, de Euchar., Disp. i8t, c. 12.
(·) Suarez, Disp. 50, Sect. 6.
(·) Lugo ubi supra, Disp. 7, Sect. 6 et 7.
(*) Idem, ibid.

sitam non reddere ullo modo rationem novae pi... sentiae Domini nostri sub speciebus. Cum enim conversio ista sit mera destructio substantiae elementorum in ordine ad positionem corporis Christi, quin assignari possit ex natura rei aliquis nexus inter unum et alterum, apparet sane conversionem, (si tamen conversio adhuc dici possit), esse pure accidentariam respectu realis praesentiae *secundum se*. Quippe in dictis opinionibus actio qua fit praesens corpus Christi non exercetur nisi circa ipsum, cum nihil aliud sit quam eius reproductio, aut aliquid simile innominatum. Quare permanente semper panis substantia, vel ipsa prius destructa, sed sine ordine ad hoc mysterium, adhuc foret eadem ratio et causa sacramentalis Christi praesentiae, vel simul cum pane vel sine illo. Ex quo tandem sequitur quod ad quaestionem, *cur sit corpus Christi praesens in sacramento?* responsio propria et formalis omnino nequeat esse, *quia conversa fuit substantia panis in ipsum.* Ad rem Lessius, de perfectionibus divinis l. 12, n. 109: «Quod «(pani destructo) aliud succedat, non est ex vi illius desitionis; «haec enim tendit per se ad nihilum et non esse, sed (est ex «vi) alterius actionis coniunctae, qua ponitur corpus Christi».

Nunc autem, praefatis opinionibus e regione opponitur sententia S. Thomae et antiquorum doctorum scholasticorum, quae hisce terminis comprehenditur.

2. Sententia veterum Scholae principum. — S. Thomas et antiqui Doctores scholastici, puta S. Bonaventura, Aegidius, Alensis, Albertus Magnus, unanimiter negant omnem substantiae panis annihilationem; negant, inquam, non solum quoad vocem, sed quoad rem. « Non est dare, inquit S. Thomas, hic, art. 3 « in corp., aliquem modum quo corpus Christi verum esse in« cipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae « panis in ipsum, *quae quidem conversio tollitur, posita vel an« nihilatione substantiae panis, vel resolutione in praeiacentem « materiam*.... Unde patet praedictam positionem (de annihila«tione)esse falsam». Et S. Bonaventura, in IV, D. 11. Part. 1, quaest. 3: « Communiter ponunt omnes quod non est annihilatio panis, imo in meliorem substantiam commutatio; et ideo « transubstantiatio, non annihilatio, talis conversio est, et sic

» appellari debet. Amplius, si panis non converteretur in corpus « Christi, non esset intelligere quomodo corpus Christi inciperet «esse in altari sine sui mutatione; propter quod, conversio pa- « nis, non annihilatio dicenda est ».

Unanimiter iterum negant omnem actionem circa corpus Christi qualitercumque terminatam, id est, negant omnem productionem vel adductionem eius, imo quamlibet mutationem in ipso inductam vi consecrationis, docentes transubstantiationem esse actionem qua substantia panis in Christi corpus praeexsistens et non mutatum convertitur, manentibus dimensionibus et caeteris accidentibus substantiae conversae. « In naturalibus conversionibus « transmutatur et id quod convertitur et id in quod convertitur. « Sed hic, illud in quod fit conversio, erat praeexsistens et non « ei additur ; *unde hoc in quod terminatur conversio, nullo modo « transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solum panis qui convertituri*». Ita S. Thomas, in IV, D. 1i, Quaest. i, a 3, q. 3, sol. 1, in corp. Consonat et S. Bonaventura: « Dicendum, inquit, quod « quamvis natura hoc non possit facere, neque ratio intelligere, « tamen Deus potest multa in corpus Christi convertere, et ex « hoc, *corpus Christi est in multis locis, non per mutationem « quae sit in Christo, sed in pane qui convertitur in ipsum* » (1). Et infra: «In creatione fit ut quod non erat, sit: in transub- « stantiatione fit ut *quod erat alicubi, sine sui mutatione sit « alibi*». (2). Et rursus: «Per consecrationem... hoc solum fit, « ut quod erat in caelo perfectum et gloriosum, virtute transub- « stantiandi, idem *sine mutatione sit in altari* » (3). Et eadem est sententia Alberti Magni in IV, D. n,a. 1, ad 5"" et 6""; Aegidii Romani, de corpore Christi, Theorema iu""; *Alensis,* Summ. theol., Tom. 4, quaest. 10, etc. Itaque in doctrina veterum transubstantiatio non est unius substantiae destructio et alterius subrogatio per reproductionis vel adductionis viam, sed est una simplex actio qua Deus qui ut auctor entis potest in totum ens, immediate mutat in id quod est entitatis in sub-

(1) S. Bonav. in IV, D. 10, Part. 1, a. I, q. 1.
(2) Ibid., Part. 2, a. 1, q. 1.
(3) Ibid., Part. 2, a. 1, q. 2.

stantia corporis Christi, quidquid entitatis est in substantia panis, ita ut subiectum patiens non sit ullo modo Christus, sed solus panis, cuius transit substantia et remanent dimensiones.

Vide ergo cardinalia oppositionis puncta inter veteres et modernos. In una doctrina panis abit in nihilum, mutaturque corpus Christi, tam per omnes et singulas consecrationes quae in mundo celebrantur, quam ad omnes et singulas specierum corruptiones ; mutatur, inquam, in initio praesentiae, ut reproductum vel adductum, in desitione vero, ut destructum vel reductum. Ex opposito, in alia doctrina nihil desinit via annihilationis, sed via proprie dictae conversionis unius individuae substantiae in individuam substantiam corporis Christi. Ipse autem Christus in consecratione nihil patitur, nihil recipit, non replicatur, imo fit praesens ubi antea non erat, (non quidem *locali modo* sed alio *longe diverso),* ex hoc solo quod vi conversionis acquisita est remanentibus dimensionibus panis transubstantiali, habitudo realis continentiae erga id ad quod terminata est conversio. Denique, sicut sine ulla prorsus Christi mutatione *incipit* sacramentalis praesentia, ita pariter et *cessat,* statim ac corrumpitur et desinit esse extrinsecum continens (1).

(') Ut paucis omnia recapitulentur, ac per hoc praeparetur via ad intelligentiam dicendorum in sequentibus, nota illa duo quae apud veteres totam de sacrosancto mysterio theologiam, instar principii regunt.

Primum est quod res tum in coelo tum in Eucharistia per omnia mundi altaria praesens, est *unum individuum corpus* natum e Virgine, oblatum in cruce, videntibus apostolis elevatum et assumptum in gloria. Nunc si quaeratur in quo sita sit individui ratio, respondere debebunt omnes, individuum esse indivisum in se, et divisum a quolibet alio; debebunt etiam confiteri indivisionem esse rationem individui essentialem, quam ne ipse quidem Deus immutare potest, cum contradictoria non sint divinae obiectum omnipotentiae. - Atqui huic essentiali indivision! repugnat in primis reproductio per quam individuum multiplicaretur. Potes equidem reproducere picturam, imaginem, statuam ; at quo sensu? Quatenus facere potes novam picturam vel imaginem simillimam ei quae iam exsistebat, sed non potes facere ut pictura a te producta, sit illa numero eadem quae prius exsistebat. Et ratio est evidens, quia per quamcumque actionem productivam aliquid novum fit et educitur e nihilo sui; nisi autem velimus adstruere identitatem contradictoriorum, res de novo facta non

Veium multi difficultate huius conceptus deterrentur, et ideo statim comparandi sunt ad invicem duo modi dicendi, modernorum scilicet et veterum, ut iam ab initio appareat impossibile esse fugere mysterium, sed hanc solum optionem nobis relinqui, aut suscipiendi verum mysterium a Deo revelatum, aut retinendi aliud quodpiam, magis incomprehensibile, confictum ab hominibus. Hinc:

3. In qua doctrina lateat mysterium maius. — Certe, si de actione conversiva formaliter sumpta, seu de ipso transitu potest esse ipsa res non facta de novo, sed iam ab antiquo in esse perseverans. Ergo terminus actionis reproductivae non est individuum a quo reproductionis denominatio sumitur, sed individuum aliud simile ei, imoforte simillimum, non ipsum.— Rursus, essentiali notioni individui repugnat pariter quaelibet separatio eius a semetipso. Ratio etiam nimis evidens est quam ut indigeat explanari ; separata enim sunt divisa, et divisa non sunt unum indivisum. Atqui separata profecto sunt ea qnae inter se localiter distant ; nam si A sit constitutum sub mensura huius loci, si B sit constitutum sub mensura huius alterius loci, si denique hos duos locos dividat spatiorum intercapedo, evidens est quod A separatur a B, ac per hoc, non -est unum cum eo individuum. Haec sunt principia sensus communis, ut videtur, quae pro veteribus erant inconcussa; quibus etiam nequaquam opponuntur mira illa quae leguntur in vitis Sanctorum, uti suo loco palam fiet ex testimonio minime suspecto Benedicti XIV in opere de canonizatione et beatificatione servorum Dei. Unde veteres scholastici huic principio innixi, quod verum vero contradicere non potest, firmiter persuasum habebant nihil esse in dogmate praesentiae realis inferens replicationem vel multilocationem unius individui corporis Christi ; imo vero sentiebant quod, *quacumque multiplicatione vel etiam separatione locali introducta, iam non haberemus praesentem Christum, sed quidquid aliud a Christo distinctum, quo non indigemus.*

Aliud quoque sententiae veterum fundamentum est; omnem actionem circa ipsum corpus Christi exercitam ad hoc ut manens in coelo consequatur novam et simultaneam praesentiam in hostia, esse omnino impossibilem. Etenim actio mutativa corporis Christi quae excogitari posset ut medium ad consecutionem novae praesentiae sacramentalis simultaneae cum praesentia caelesti, foret vel reproductio, vel adductio separativa et divisiva ipsius corporis a semetipso. Antiqui autem doctores utrumque reputabant absurdum, et ideo asserebant nullatn mutationem vi consecrationis in ipso corpore Christi esse admittendam. Non quod mutatio in corpore Christi repugnet, absit ! sed quia nulla mutatio in eo

substantiae in substantiam quaestio sit, quod .id facilitatem ĕon ceptus attinet, sine dubio vincunt recentiores. Explicatur enim mihi transubstantiatio per hoc quod destruitur substantia panis in ordine ad positionem corporis Christi, quod loco substantiae destructae ipsum Christi corpus introducitur, quod denique vel realiter vel apparenter manent accidentia panis cum eadem habitudine continentis ad contentum ; quae omnia satis facile apprehenduntur.

Verum considerandum nunc est, an sit aeque intelligibilis inducta potest esse via ad praesentiam sacramentalem. Reliquum igitur est ut tota mutatio ad praesentiam sacramentalem necessaria in alio inveniatur, hoc est, ut in tantum Christus consequatur novam praesentiam simultaneam cum praesentia coelesti, in quantum aliquid de novo incipit esse novo modo continens ipsum. Hoc autem non potest esse nisi dimensio panis, cui acquiri debet haec continentiae habitudo per conversionem totius suae substantiae in substantiam corporis Christi. Continentiam tamen nunc dico, quae sit longe alterius rationis ac illa notissima qua unum quantum circumscribit aliud quantum; continentiam dico omnino diversam ab illa qua Christus in coelo continetur ; continentiam dico quae sit extra ordinem quantitatis, situs, et commensurationis quantitatum, ita ut corpus Christi in sacramento existens nullo modo separetur a se in coelo exsistente, sed sit unum in seipso perfecte indivisum.

At recentioribus theologis omnino incredibile est quod corpus Christi possit fieri praesens in sacramento absque ulla sui ipsius mutatione, et Suarez de Euchar., Disp. 50, Sect. 4, dicit hanc viam mente concipi non posse. — Hinc primo adstruunt quod actio qua fit praesens corpus Christi, versatur, non circa panem, sed unice circa ipsum Christum. Hinc secundo, substantia panis praeexistens non est positiva conditio ad operationem mysterii, sed magis obstaculum quod debet removeri per destructionem. Hinc tertio, transubstantiatio in opinione eorum tribus absolvitur : annihilatione substantiae panis, positione corporis Christi sub speciebus per productionem vel adductionem, tum demum nexu quodam extrinseco inter unius positionem et alterius destructionem. — Omitto nunc alia quae pertinent ad modum existendi corporis Christi sub speciebus. Nam in hac via procedendo, corpus Christi debet mutari non solum per hoc quod reproducitur vel adducitur, verum etiam per hoc quod privatur in sacramento suis naturalibus dimensionibus, quod ccmpenetratur in seipso, quod redigitur in statu punctali, quod ex consequenti habet simul contradictorios essendi modos, in coelo scilicet et in sacramento. Sed de his, infra.

actio <|ua fit praesens Corpus Christi. Cito namque dictum est, poni corpus Christi sub speciebus loco substantiae panis, sed non tam ito explicatum. Procedendo enim in hypothesi secundum «piam non incipit esse in sacramento formaliter per conversionem panis in ipsum, restat ut fiat de novo in altari praesens, vel quia ibi producitur, vel quia illuc adducitur. Medium certe non datur, poterunt forte fingi varia vocabula ad denominandum dictam actionem, sed relictis quaestionibus de nomine, vel erit actio influens esse substantiale corporis Christi, vel erit actio qua citra ullum influxum esse substantialis, corpus Christi in caelo praeexistens et ibidem semper manens acquirit novam determinationem accidentalem quam ubicationem dicunt.

Eligis forte actionem *productivam* corporis Christi, quae, ad rem quod attinet, verissima creatio est, quia ex nulla praeiacente materia. lam, novitas essendi est de essentiali ratione termini actionis productivae ; ergo, supponendo quod producatur sub speciebus ipsa corporis Christi substantia, est substantia de novo hic et nunc exsistens. Atqui substantia de novo hic et nunc exsistens debet esse omnino independens a substantia quae non noviter exsistit, sed a tempore incarnationis perseverat in esse. Et quale tandem erit illud ens numero unum, plura habens esse substantialia a se invicem perfecte independentia : ens numero unum quod posset annihilari in uno loco quin annihilaretur in altero, vivere hic et simul mori illic, uno verbo, simul suscipere in se quaelibet praedicata contradictoria secundum varias exsistentias quas in variis locis habere supponitur ? Consequentias sui principii patroni actionis productivae et vident et non reformidant. « Mutatio facta in uno loco, inquit Suarez de « Euchar., Disp. 48, Sect. 6, non fit in aliis locis distantibus « in quibus idem corpus exsistit... Probatur conclusio in integra « substantiali mutatione... Quod ergo corruptio vel mors posset « evenire eidem corpori in uno loco, et non in alio, probatur « primo ex dictis, etc. ». Consonat et Lessius de perfect, div.. l. 12, η. 119: «Verius igitur mihi semper visum Christi cor« pus poni sub speciebus per actionem productivam... Quod « autem Deo istud sit possibile, dubitari non potest. Si enim

«quod periit Deus restituere potest..., cur non possit secundo «producere id quod mansit? Non enim existentia rei impedit «quominus rem illam secundo et tertio et decies et centies et « millies alibi producere queat, idem esse et eamdem existen- «tiam conferendo... Unde sequitur, (Deum) ex uno homine ef- « ficere posse integrum exercitum... Et quamvis res hoc modo «replicata in seipsa actu sit una eademque, virtute tamen est « multiplex. Nam multis aequipollet... Potest etiam diversa in «diversis locis, atque etiam contraria operari, atque adeo tan· « tum efficere quantum res numero diversae.... Unde posita « huiusmodi replicatione, fieri potest ut una eademque res hoc « loco calescat, illo frigescat, hoc ascendat, illo descendat, hoc « desinat et moriatur, illo incipiat et nascatur, qua de re no· «vissime bene scripsit Aegidius Coninck de Sacram., q. 75, « art. 4, dub, 3 ». Haec Lessius. Coninck vero, cuius aucto- ritas invocatur, loco citato habet: «Secundum hanc sententiam «(actionis productivae), explicantur facillime omnia incommoda « quae videntur sequi ex eo quod corpus Christi exsistat in « duobus locis. Cum enim corpus hoc modo reproductum sit «virtute duplex, et in uno loco omnino independens a seipso « prout est in alio loco, sequitur in utroque loco posse eadem « agere et pati, quae duo omnino distincta corpora possunt « agere et pati. Quod non solum est intelligendum de actioni- « bus et passionibus aliunde illatis, verum etiam de actionibus « immanentibus. Unde homo ita replicatus posset uno loco « comburi ac mori, peccare, et si vis, damnari ; et alio frigere, « et pergere vivere, et mereri, et salvari, si absolutam Dei po- « tentiam spectemus, quia aequivalet duobus hominibus». — Haec profecto dura sunt, et conceptu valde difficilia. Et ne di- cas, quaeso, esse in huiusmodi nimias inquisitionum subtilitates. Hoc enim posset transmitti nisi ageretur de consequentiis quae immediate fluunt ex positis principiis; sed non est nimia inqui- sitionis subtilitas si quis, priusquam admittat principia, inquirat de consequentiis eorum. Recte ergo concluditur, dictam senten- tiam non carere alto mysterio.

Sed nunc eligis cum Scoto. Lugone, Sylvestre Mauro et

alii « tionem *addnclivam.* Dico adductivam, sic enim nominata est t Scoto; qui « reputans impossibilem conversionem panis in « corpus Christi praeexistens et manens secundum suum esse « antiquum, triplicem imaginatur transubstantiationem. Prima «est. quae iam dicta est... Secunda est, quo tota substantia « sic mvertitur in aliam, ut alia producatur in esse, et hanc «vocat transubstantiationem *productivam...* Tertia est *adductiva* « termini ad quem illo ubi erat terminus a quo, et in hanc « declinat Scotus... Relicta autem transubstantiatione productiva « tanquam non habente in hoc sacramento locum, nititur Sco· « tus probare primam esse impossibilem, et deinde tertiam esse « rationabilem › fl). Caeterum, non omnes audent concedere adductionis nomen, quia nullus intercedit localis motus quo corpus Christi de caelo descendat in sacramentum. Quare utuntur quidam nomine actionis introductivae, vel constitutivae corporis Christi sub speciebus (2); utuntur alii nomine actionis replicativae (8), et forte alii aliis nominibus ipsam appellabunt. Sed ad rem quod attinet, nomine *adductionis* eatenus vocari potest, quatenus eumdem terminum habet ac consueta adductio de loco in locum, secluso tantummodo motu quo pertransitur spatium intermedium. Consequenter ergo ad sua principia de locatione •corporum, imo et spirituum, sentiunt auctores illi actionem constitutivam corporis Christi sub speciebus ponere in ipso Christi corpore aliquod novum *ubi,* quod superadditur *ubi* caelesti, et respicit eamdem spatii partem quae respicitur ab *ubi* hostiae consecratae. Est enim *ubi* in ipsorum sententia modus aliquis intrinsecus, distinctus a substantia et quantitate, per quem res formaliter est in loco, quique « per suam essentiam respicit, « non quidem spatium reale, seu corpus extrinsecum circum· « dans, sed spatium imaginarium immobile cui facit praesentem « rem ubicatam » (4). Ratione igitur huius *ubi* de novo recepti,

(*) Apud Caietanum in 3"“ Part., q. 75, art. 4.

(») Lugo, de Euchar., Disp. 7, Sect 6.

(·) Sylvester Maurus, op. theoi., Tom. 3, l. 12, q. 140

(') Necessitate quadam coacti sunt auctores illi asserere quod modus ubicationis per suam essentiam respicit *spatium imaginarium imma-*

corpus Christi semper in caelo manens, ipso to habet *locari* in terra intra terminos hostiae quae consecratui : *locari,* inquam, ita ut non solum sit praesens in dicto loco, verum etiam sit ibi *localiter,* sub mensura loci constitutum, non secus ac alia entia per ubicationes localisata. Et eodem morio dicunt quod si mihi exsistenti Romae superadderetur modus alius ubicationis, puta Parisiensis, eo ipso Romae simul et Parisiis localiter exsisterem.

Iam vero de hac positione dico, abstrahendo interim ab eius implicantia vel possibilitate, esse illam aeque mysteriosam et captu difficilem ac quidquid unquam mysteriose fuit hominibus propositum. Mitto interim difficultatem ipsius praesuppositi circa intrinsecos ubicationis modos, quia *esse locatum* non est denominatio magis intrinseca quam *esse vestitum ;* ecquis autem unquam concipiet hominem fieri formaliter vestitum per receptionem alicuius intrinseci modi vestitionis? Et augetur difficultas ex hoc quod necessitate coacti dicunt, modos ubicationis respicere spatium imaginarium immobile cui faciunt praesentes res ubicatas: sed quis iterum intelliget, rem aliquam fieri realiter praesentem spatio quod a parte rei merum est nihil, et praeterea nihil? Sed dato etiam praesupposito istius sententiae, quot et quanta sint incomprehensibilia in ipsa formali eius expositione, facile est videre. Nam certe altum mysterium est in hoc quod, cum terminus mutationis corporis Christi sit *localisatio* eius in novo loco qui longe distat a loco caeli in quo idem Christi corpus localisatum praeexsistit, asserit nihilominus sententia ista, pertingi terminum ad quem, non pertransita distan-

bile, cui facit praesente»! rem ubicatam. Nam per ipsos, praedictus ubicationis modus est ipsa formalis positio in loco. Ideo, si respiceret spatium reale seu corpus extrinsecum circumdans, sequeretur quod moto corpore ambiente, res locata etiam manens immota mutaret locum, et deberet acquirere novam ubicationem, quod profecto absurdum est. Ideo, ut salvent ubicationem non mutari nisi ad motum rei locatae, dicunt modos ubicationis respicere partem spatii imaginarii immobilis quod fingunt quasi quiddam immensum sine limite et termino^ compenetratum per spatium reale et mobile. — Cf. Lugo, Disp. 5.

fia. \tqui in unoquoque genere, ab uno extremo ad aliud ex tr< mi non pervenitur nisi ablata distantia qua unum ab alio distat. Hic autem distantia est localis, quae non aufertur nisi per motum localem ; cum igitur nullus intercedat localis motus, videtur omnino impossibilis sacramentalis adductio. Quidquid ver·» sit, altius sane et magis incomprehensibile mysterium est in hoc quod expresse asseritur, unum idemque individuum corpus a seipso dividi, distare, et per interiecta spatia separari. Quid enim individuo magis proprium quam ut sit indivisum in se ? Et quodnam esse potest evidentius realis distinctionis signum quam actualis separatio? Unde sequuntur, ipsis fatentibus adversariis f1), pleraque difficilia praecedentis sententiae, et superadditur difficultas concipiendi quomodo virtualis illa unius individui multiplicitas qua multis aequipollet, sit formalis effectus modorum ubicationis : nam profecto proportio inter causam et effectum non est conspicua.

Ergo quocumque te verteris, etiamsi recentiores tibi patronos eligas, incidis in mysterium. Etenim, vel est mysterium in hoc quod permanentibus dimensionibus panis, ipsa panis substantia immediate convertitur in substantiam praeexistentem corporis Christi, quod ex tunc absque ulla sui mutatione vel virtuali multiplicatione incipit esse sub dimensionibus illis, sed non *ut locatum* in loco, quia substantia (quae sola est terminus directus huius conversionis), ratione sui situm et positionem in loco habere non potest. — Vel est mysterium in hoc quod corpus de novo productum in sacramento, atque prorsus independens in esse substantiali a corpore in caelo exsistente, sit nihilominus cum eo numerice idem. — Vel denique est mysterium in hoc quod citra motum localem, corpus Christi in loco caeli circumscriptive exsistens et manens, simul incipit esse sub mensura loci terrestris, a seipso separatum tota distantia spatiorum interjacentium. — Nunc autem attende. Impossibile est ut tria haec mysteria sint a Deo revelata; sese enim inutuo excludunt in hoc sacramento ; ergo necesse est dicere, duo saltem ex eis fuisse

(·) *Cf. Lugo, de* Euchar., Disp, 5, Sect. 2 et seq.

inventa humanitus. Et quia in hoc etiam gen< n multo melius est incidere in manus Dei quam in manus hominum, omnino necessarium est inquirere quodnam ex his tribus sit mysterium legitimum atque authenticum. Prae primis igitur consulenda est proxima regula fidei. Huc pertinet paragraphes sequens.

§ 3.

Quis sit, respectu habito ad definitiones Conciliorum, legitimus trasubstantiationis conceptus.

Primo: *Habito respectu ad declarationes Conciliorum, expositio recentiorum non satisfacit, qua parte docet annihilari panis et vini substantiam.*

Regula fidei proponit transubstantiationem ut veram ac proprie dictam conversionem. Insuper, quod apprime notandum est, non docet extrema huius conversionis esse compositum substantiae panis et accidentium eius ex una parte, compositum substantiae corporis Christi et manentium specierum ex altera; non enim definitur panem converti in sacramentum. Sed docet extrema conversionis esse *totas* et *solas substantias.* Fit enim, teste Tridentino, conversio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Ex quo sequitur quod in hoc mysterio permanentia accidentium non ingreditur positive formalem rationem conversionis in quantum huiusmodi.

Ex adverso recentiores conveniunt in asserenda destructione panis quae in re ipsa est vera annihilatio. Sive enim simpliciter dicas cum plerisque, panem destrui per hoc quod Deus subtrahit influxum quo conservabat eum in esse, sive addas cum nonnullis subtractionem hanc, superveniente corpore Christi sub speciebus et separata substantia panis a suis accidentibus, connaturaliter requiri, semper tamen ponis cessare panem per reductionem in nihilum et cessationem sustentationis qua .a Deo omnia portantur. Nec refert quod succedat corpus Christi, quia cum ista successio sit ex rei natura prorsus independens a dicta

lone, ut iam supra dictum est, intrinsecam eius rationem mutare non potest. Unde Lessius, de perfect, divin., I. 12, n. log: «Circa substantiam panis et vini, inquit, primum mi- « ra< ulum est, quod hae substantiae vi consecrationis funditus « pereant et veluti annihilentur, quanquam non solemus dicere « eas annihilari, eo quod desitio ex intentione divina non sistat « in nihilo, sed dirigatur ad positionem corporis Christi. Verum *« hoc ad modum loquendi spectat; nam ad rem quod attinet... « totum ita funditus perit, ac si prorsus in nihilum redactum « esset, nullo positivo succedente.* Nam quod aliquid succedat, « non est ex vi illius desitionis... Fit autem haec desitio sub- it tractione influxus divini.,.; illo enim substantifico influxu sub- «tracto..., necesse est rem in nihilum relabi».

Quibus praemissis, dico non salvari veram ac propriam conversionem substantiae panis in ea doctrina quae ponit eius annihilationem. Ergo cum Concilia definiant veram ibi conversionem intervenire, habito respectu ad conciliorum definitiones, recentiorum expositio circa transubstantiationem non satisfacit. Consequentia est evidens. Antecedens vero probatur, nam iuxta communes animi conceptiones, conversio excludit annihilationem, et annihilatio conversionem, Annihilatio enim est oppositum creationis, scilicet reductio rei ad nihilum sui et subiecti. Sed conversio est mutatio unius in aliud; mutatio, inquam, cuius terminus ad quem non est nihilum, sed aliquid positivum. Senserunt idipsum plerique adversarii, et inde est quod caelum terramque movent ut sese ab annihilatione expediant, sed frustra, ut ostensum est. Valet autem argumentum etiam contra Lugonem, cuius sententia *forsitan utcumque* salvaret veritatem conversionis panis in sacramentum corporis Christi, sed profecto non salvat veritatem conversionis substantiae in substantiam, quae sola a Conciliis definitur.

Secundo: *Habito respectu ad declarationes Conciliorum, expositio recentiorum non satisfacit, qua parte aufert mysterium a conversione ut sic, et ponit illud in actione quae directe circa Christi corpus exercetur.*

Regula fidei proponit conversionem substantiae panis in

substantiam corporis Christi, ut *mirabilem* (1). M labile autem in stylo Tridentini idem est ac humano intellectui impervium; unde in eadem Sessione, cap. 3, de unione hypostatica loquens ait (Denzinger 876): « Propter admirabilem illam (divinitatis) cum corpore <et anima hypostaticam unionem». Et huic acceptioni congruit etiam ratio philosophica (2). Nunc autem quod appositum *mirabilem* in canone Tridentino afficiat conversionem panis formaliter in quantum est mutatio unius in aliud facile constat, quia in definitionibus fidei Concilia cum magna proprietate terminorum loquuntur. Si igitur Concilium agnovisset mysterium in actione circa Christi corpus primo et immediate exercita, puta in eius productione vel adductione sub speciebus, omnino dixisset: Si quis dixerit, in sanctissimo Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. I. C., negaveritque *mirabilem illam et singularem positionem ipsius corporis* et sanguinis sub speciebus remanentibus, anathema sit. Nunc autem dixit: «negaveritque *mirabilem illam « et singularem conversionem totius substantiae panis,* etc.». Atqui in opinionibus recentiorum mysterium non est in conversione formaliter sumpta, id est in mutatione substantiae in substantiam, siquidem explicatur mutatio illa per meram quamdam substitutionem cum nexu pure extrinseco inter desitionem unius et positionem alterius. Ergo mysterium amovetur a sua propria et genuina sede, et alio transfertur, ut degeneret in aliquid omnino diversum quod non proponit divina revelatio.

Accedit quod in sententia saltem eorum qui non habent permanentiam accidentium ut requisitam ad positivam rationem conversionis substantiae in substantiam (et recte quidem, ut videtur), esset admittenda duplex transubstantiatio; una panis in corpus Christi; altera, quod absit, ipsius corporis Christi in eam substantiam quae post corruptionem specierum relinquitur. Loquendo enim in principiis adversariorum, quando contingit spe-

(1) Trident., Sess. XIII, can. 2 (Denztnger 884).
(2) S. Thom., 1, q. 105, a. 7.

κ ı lisita: videlicet destructio totius substantiae corporis Christi P tum ad esse replicatum quod sub speciebus habebat, tum deinde productio substantiae succedentis, ac demum nexus et ordo inter unius productionem et alterius desitionem. Unde quidam non timuerunt huiusmodi sequelam concedere, et Arriaga il), etsi dicat illam esse probabilius reiiciendam, tamen expresse admittit ut non improbabilem. «Non defuerunt, inquit, apud Sua- « rezium Disp. 54, Sect, 3, qui sequelam concederent, in qua « non video magnum absurdum. Sed dicit Suarez, non esse « tutum in re tant gravi ab antiquis theologis recedere. Re- « spondeo antiquos theologos, ut ipse fatetur, non negasse hanc « conversionem, licet illam non affirmaverint, quia non disputa- « runt de illa». Ast respondeo ego, antiquos theologos non negasse hanc conversionem et non disputasse de illa, quia secundum notionem quam habebant de transubstantiatione et de ratione sacramentalis praesentiae, tanta enormitas ne in mentem quidem poterat eis obvenire. Caeterum, hic etiam obstat definitio Tridentina: «Si quis negaverit mirabilem illam *et singuli larem* conversionem totius substantiae panis, etc.».

Tertio : *Habito respectu ad regulam fidei, expositio recentiorum non satisfacit, qua parte proprietatem huius nominis « transubstantiatio » non salvat.*

Regula fidei docet, conversionem panis in corpus Christi convenienter et *proprie* a sancta catholica Ecclesia *transubstantiationem* fuisse appellatam. Quo posito, vel dicent salvari in sua €xplicatione proprietatem vocis, praecisione facta ab omni elemento communi remanente ; vel e contra, ratione permanendae ipsius communis elementi, quatenus ut ait Lugo, Disp. 7, Sect. 6 et 7, sub iisdem speciebus succedunt sibi invicem duae substantiae cum eodem analogico munere substantivo, id est, sustentativo accidentium.

Si primum dicitur, nihil apparet quo vel specie tenus salvari possit proprietas *transitus* totius substantiae in totam substantiam, quem importat vocabulum *transubstantiatio.* Nam ex·

ɨ Arriaga, Curs, philos., Disp. i de general., Sect. 3, n. ai et seq.

tremum *a quo* transit pure et simpliciter in nihilum per subtractionem influxus Dei; id autem quod transii in nihilum, nec immediate nec mediate transit vere et proprie in ens positivum.

Si vero dicitur secundum, primo quidem minime est concedendum quod successio duorum sub uno tertio cum eodem ordine ad illud, sufficiat ad rationem transitus unius in alterum (1). Sed dato quod sufficeret ad qualemcumque conversionem, profecto proprium eius nomen non esset transubstantiatio. Etenim in omni vocabulo imposito ad designandum conversione!» in qua manet commune elementum, praefixum *trans* se tenet semper ex parte ipsius elementi manentis; terminativum vero, ex parte eius quod amittit et de novo accipit elementum manens. Sic explicabis nomina *transformatio, transfiguratio, translocatio,* ubi semper signatur transitus unius subiecti de una forma in aliam formam, de una figura in aliam figuram, de uno loco in alium locum. Similiter ergo in praesenti, oporteret praefixum se tenere ex parte manentium accidentium, et speciem conversionis significari per transitum in eis contingentem, puta transitum de subiecto quod erat substantia panis, in aliud subiectum quod esset substantia corporis Christi, et ideo talis conversio deberet potius dici *transubiectatio.*

Quarto : *Habito respectu ad regulam fidei, explicatio recentiorum non satisfacit, qua parte nullius momenti videtur reddere transubstantiationis dogma, quod quidem, si recte ab eis exponereturt optimo ture deberet amandari inter quaestiones mere scholasticas.*

In Bulla *Auctorem fidei* declaratur, non fuisse adhuc propositum transubstantiationis dogma, postquam quis docuit veram, realem, et substantialem praesentiam corporis Christi sub speciebus statim post consecrationem, et in hoc eodem instanti *Çtunc*\ cessationem totius substantiae panis et vini, solis remanentibus speciebus. Ergo transubstantiatio aliquid dicit praeter ista duo, et quidem aliquid a quo parochi docendi munere fungentes abstinere non debent, quia ut expresse dicit Pius VI in Bulla(*)

(*) Dicesne aquam transire in vinum, quia loco eius, in eadem lagena vinum ponitur ?

pru dicta, non est quaestio mere scholastica, sed articulus fidei ‹l 'in Tridentinum Concilium definivit, quique in solemni fid»·) pr< asione continetur. Iam age, quidquid additur vel addi p«>-t·· i hi sententia recentiorum, talis rationis est ut indifferenter omnino se habeat, non solum ad realem Christi praesentiam, vemm etiam ad venerationem, cultum, et usum sacramenti: uno· verbo, ad ea omnia quae *respectu fidelis* in quantum huiusmodi, alicuius ponderis seu momenti esse possunt.

Et sane, si conversio totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, se habet ut via necessaria ad realem Christi praesentiam in sacramento, statim apparet cur debeat conversio ista, simul cum ipsa reali praesentia, proponi fidelibus qui in doctrina Christiana erudiuntur. Sed si respectu praesentiae realis est omnino otiosa et inutilis, nulla unquam poterit ratio assignari cur oporteat catechistam de illa mentionem facere, postquam explicite docuit Christum praesentem fieri statim ad prolationem verborum consecrationis, et tunc substantiam panis et vini omnino cessare. Quod enim complexus destructionis panis et substitutionis corporis Christi sub speciebus rationem habeat conversionis unius in aliud, hoc videtur omnino adiaphorum in ordine ad cognitionem fidei, imo auget difficultatem absque ullo emolumento pro conservatione et tutela mysterii quod Christianorum adorationi et devotioni proponitur. Esset igitur quaestio relinquenda scholis, ubi forsitan annumerari posset inter problemata quae ad acuendos iuvenum intellectus quandoque agitantur.

In summa, secundum recentiorum expositionem transubstantiatio non esset medium ad praesentiam Christi, nec faceret quidquam ad dignitatem et aestimationem sacramenti, sed esset ponenda solum *propter seipsam*. Atqui impossibile est ut propter seipsam pertineat ad eas veritates quas fideles sare interest, et a quibus parochi docendi munere fungentes abstinere non debent. Non ergo vera est et genuina, dicta transubstantiationis expositio.

Nunc autem inter opiniones recentiorum et sententiam antiquorum principum scholae non potest medium cadere. In ra-

dice enim unde caeterae omnes differentiae profluunt, ita contradictorie opponuntur, ut ex falsitate unius partis debeas necessario inferre veritatem alterius. Radix quippe differentiae in hoc est, quod antiqui doctores ponunt panem nullo modo annihilari, unde statim sequitur quod immediatus terminus conversionis debet esse corpus Christi absque ulla actione circa ipsum exercita. Recentiores vero ponunt'panem annihilari; quare cum immediatus terminus mutationis substantiae panis sil nihilum, de necessitate sequitur opus esse aliqua alia actione ad corpus Christi primo terminatam; sequitur iterum, introducendum esse nexum extrinsecum quo unius desitio et alterius positio colligentur. Atqui ostensum est, expositionem modernorum non satisfacere. Ergo necesse est ut vera transubstantiationis expositio quaerenda sit in ea sententia quae a Scholae Principibus constanter et unanimiter fuit tradita.

Confirmatur conclusio ex diserta doctrina Catechismi Concilii Tridentini, de Euchar., n. 26-41, ubi inter alia, haec nunquam satis meditanda leguntur: «Tria sunt maxime admiranda... « quae in hoc sacramento... fides catholica sine ulla dubitatione « credit et confitetur. Primum est, verum Christi corpus, illud « idem quod natum ex Virgine in coelis sedet ad dexteram Pa« tris, hoc sacramento contineri. Alterum est, nullam in eo ele« mentorum substantiam remanere quamvis nihil magis a sensibus «alienum videri possit... Tertium est, accidentia sine ulla re « subiecta esse, mira quadam atque inexplicabili ratione» (’). Haec tria per ordinem evolvit Catechismus, et de secundo agere incipiens n. 37 ait: «Nunc, quod alterum erat propositum, do« cebunt etiam (Pastores), panis et vini substantiam in sacra« mento post consecrationem non remanere. Hoc vero cum eo « quod prius demonstratum est, necessario coniungitur. Etenim, « si est verum Christi corpus sub panis et vini specie post « consecrationem, omnino necesse est, cum ibi antea non esset, «hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum « conversione factum esse. At vero, *fieri non posse constat ut(*)*

(*) Num. 26.

« *corpus Christi in sacramento sit, quod ex uno in alium locum* « *venerit... Creari autem corpus Christi, minus credibile est, ac* « *ne in cogitationem quidem cadere hoc potest.* Relinquitur ergo, « ut in sacramento sit corpus Christi, quod panis in ipsum « convertatur. Quare nulla panis substantia remaneat necesse «est». Denique, sub n. 41, ad quaestionem quomodo fiat tam admiranda substantiarum conversio, respondet: «Difficillima est « omnino huius mysterii explicatio. Sed tamen conabuntur Pa- « stores iis qui magis in divinarum rerum cognitione profece- « runt, (nam qui imbecilliores sunt, verendum esset ne rei ma- « gnitudine opprimerentur), conabuntur, inquam, tradere huius « admirabilis conversionis modum : quae ita fit ut tota panis « substantia divina virtute in totam corporis Christi substan- « tiam... *sine ulla Domini nostri mutatione* convertatur. Neque « enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed « in sua substantia totus permanet ».

Restat demum ut huic prolegomeno ultima manus admo veatur, magis expoliendo transubstantiationis conceptum qui hac- tenus ut verus ac genuinus agnitus est.

§ 4-

Ad distinctiorem transubstantiationis conceptum quae- dam declarationes.

Ad hunc scopum iuvabit singillatim exponere terminos de- finitionis Tridentinae (1). — *Primo,* conversio. — *Secundo,* mi- rabilis et singularis totius substantiae. — *Tertio,* totius substan- tiae, manentibus speciebus. — *Quarto,* proprie transubstantiatio appellata.

1. Conversio. — Si etymon vocis consideres, videtur de- rivatum nomen a gyratione, qua fit antrorsum id quod erat re- trorsum vel vice versa, sicut cum a sinistra me ad dexteram converto. Caeterum, distinctione facta inter id a quo nomen tuit(*)

(*) Trident., Sess. XIII, can. 2 (Denzinger SS4).

impositum et id ad quod significandum foil impositum, dicendum est conversionem idem esse ac mutationem qua res, desinendo esse id quod erat, transit in aliquod aliud quod non erat. Unde apparet conversionem differre a mutatione sicut species a genere, nam licet omnis conversio sit mutatio, non tamen omnis mutatio est conversio. Conversio quippe ex suo conceptu versatur inter duos terminos positivos, desinentem unum, succedentem alterum, et ita quidem, ut cum sermo est de iis conversionibus quas agens naturale operatur, corruptio unius debeat esse alterius generatio. At vero mutatio ut sic non includit conditionem hanc, cum saepe sit a simplici privatione ad formam, vel a forma ad privationem. Perspicuitatis autem gratia vocare possumus rem quae convertitur *extremum quod,* et illud in quod convertitur *extremum in quod;* denique principia entis secundum quae desinit ista res esse quod erat, et incipit esse quod non erat, *terminos formales* tam *a quo* tum *ad quem.* Cogita conversionem panis in sanguinem : ibi extremum *quod* est panis, extremum *in quod* est sanguis, termini vero formales *a quo* et *ad quem* sunt formae substantiales panis et sanguinis, quia secundum eas in dicto exemplo transitus unius in aliud attenditur.

2. Conversio mirabilis et singularis totius substantiae. — Imo, *ideo* mirabilis, *ideo* etiam singularis, *quia* totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem D. N. I. C., pro quanto scilicet termini formales *a quo* et *ad quem* adaequate identificantur qum extremis *quod* et *in quod.* Ibi enim est altissima radix omnium differentiarum quibus transubstantiatio ab omnibus conversionibus naturalibus f1) essentialiter discriminatur.

Si enim attendas ad conversiones naturales, quotquot cognoscimus et possumus concipere, semper termini formales inadaequate distinguuntur ab extremis, quia semper utrique extremo

(') In praesenti consideratione, ad conversiones naturales reducuntur etiam conversiones miraculosae *quoad modum,* quae sunt *quoad substantiam* in genere simplicium transformationum, puta conversio aquae in vinum in Cana Galilaeae, et aliae eiusmodi.

commune est aliquod elementum^) quod se habet per modum sul> .ti respectu formarum sibi succedentium, et veluti instar pomis quoad transitum unius in aliud f2). Sed hic, nullum est subi· rtum manens, cum substantia panis convertatur *secundum se lolant;* quo fit ut sine praecedente alterations motu perficiatur conversio, et nulla sit creatura possibilis, cuius virtus sese ad eam mutationem extendat. Omnis enim creatura in sua actione requirit subiectum in quod agat, ac per consequens, conversionem aliquam efficere nequaquam potest, si illud secundum quod fit conversio, non habeat subiectum praeexistens et perseverans in esse. Hinc transubstantiatio in eodem ordine invenitur ac creatio, quatenus creatio est quaedam productio ex nihilo subiecti; transubstantiatio vero, transitus unius in aliud sine ullius communis subiecti permanentia. Ideo S. Thomas, in IV, D. u, q. i, a. 3. Q- 3· sol. i : « Naturalis mutatio non potest pertingere usque « ad variationem materiae, quia operatur ex supposita materia, « sicut quodlibet secundum agens operatur suppositis his quae « data sunt sibi a primo agente, et haec principia oportet ma- « nere in operatione naturae... Ex quo patet quod ista conver- « sio differt ab omnibus naturalibus conversionibus... in hoc, « quod usque ad materiam pertingit, quod in illis non inveni- « tur. Et quia materia est primum subiectum, ipsius non est « subiectum, ideo secundo differt in hoc, quod haec conversio « non habet subiectum sicut illae habent ».

Ex eadem radice provenit alia differentia, nam in conver-

(·) Cogita conversionem vini in acetum; ibi est aliquod principium substantiale, scilicet materia, quae cum prius esset sub una forma substantiali, incipit esse sub altera. Non ergo fit conversio secundum id totum quod est entitatis in extremis, adeoque termini formales non sunt cum extremis adaequate idem, sed inadaequate tantum. Et sic est in omnibus conversionibus quas naturale agens potest efficere.

(·) Per successivas dispositiones in materia inductas, res quae convertitur semper magis ac magis appropinquat ad hoc ut incipiat esse quod non erat, et desinat esse quod erat. Nam motus generationis aceti v. g., est ipse motus corruptionis vini ; et quia subiectum huius motus est materia, recte dicitur materia manens se habere instar pontis ad transitum.

sionibus naturalibus, compositum transit in ‹‹› ‖ ositun^ sed nullo modo forma çpnvertitur in formam. Neque enim mutatio quam inducit agens naturale, potest attingere principia entis secundum se absolute considerata, sed solum attingit formas secundum quod pendent a potentia subiecti. Alterando scilicet subiectum, et disponendo illud ad receptionem alterius formae, agens naturale facit ut nova forma educatur e potentia materiae, et praecedens quae est cum ea incompossibilis, omnino abscedat; quare entitas unius formae non transit in entitatem alterius, sed compositum quod prius erat secundum unam formam, transit in compositum quod est secundum aliam. Hic autem, ex hoc ipso quod nullum datur conversionis subiectum, impossibile est ut actio conversiva attingat principia entis praecise in quantum a potentia subiecti dependent, sed omnino necesse est ut attingat radicitus ipsum ens secundum quod principiis essendi constat absolute consideratis, et ideo conversio totius in totum aequivalet conversioni partium in partes, materiae in materiam, et formae in formam «In naturalibus conversionibus convertitur totum in « totum, non autem partes essentiales in partes. Totus enim aer « (hydrogenium) convertitur in aquam, sed materia aeris (hy- « drogenii) non convertitur in aliquid, quia est eadem ; forma « etiam non convertitur, quia abscedit illa, et alia introducitur. « Sed hic, et totum convertitur in totum quia panis fit corpus « Christi, et partes etiam convertuntur quia materia panis fit « materia corporis Christi, et forma substantialis similiter fit illa « forma quae est corporis Christi » (·).

Adhuc, ex eadem radice provenit tertia differentia. Etenim in conversionibus naturalibus, *extremum quod* corrumpitur, *extremum in quod* generatur; corruptio quippe est dissolutio imiib compositi, generatio vero est productio alterius ; quae duo sic se habent ad invicem, ut non alio motu corrumpatur unum, et generetur alterum, sed uno eodemque. In hac autem conversione impossibile est ut fiat unius corruptio et alterius generatio; ad hoc enim oporteret remanere materiam tamquam commune sub-

(·) S. Thom., in IV, ubi supra.

i-'ctuni, quod est contra^praedicta. Rursus, fieri non potest ut alio quovis modo producatur extremum *in quod,* quia si aiio mo'lo produceretur, hoc esset per creationem; atqui id quod creatur non est terminus transitus de ente in ens, sed de non ent· m ens. Quapropter mirabilis illa et singularis conversio non ρ<·ι st esse nisi unius individuae substantiae in aliam individuam substantiam praeexsistentem et in suo antiquo esse absque mutatione ulla perseverantem, quatenus virtute divina *hoc individuum demonstratum fit illud individuum demonstratum,* quod est praeter et supra[omnem comprehensionem humani intellectus.

« In naturalibus conversionibus transmutatur et id quod conver-
« titur, et id in quod convertitur. Illud quidem quod in alte·
« rum convertitur, semper transmutatur corruptione : sed illud
« in quod aliquid naturaliter convertitur, si quidem sit simplex
« conversio, transmutatur per generationem, sicut cum aqua ge-
« neratur ex aere (hydrogenio); si autem sit conversio cum ad-
« ditione ad alterum praeexsistens, illud cui additur transmutatur
« secundum augmentum, vel saltem per restaurationem deperditi.
« sicut accidit in nutrimento. Sed hic, illud in quod fit conversio
« erat praeexsistens, et non ei additur, quia, ut dictum est, illud
« quod convertitur, convertitur in ipsum, et secundum totum,
« et secundum omnes partes eius. Unde hoc in quod termina-
lt tur conversio, nullo modo transmutatur, scilicet corpus Chri-
« sti, sed solum panis qui convertitur » (1).

Hinc tandem transubstantiatio est verum et stricte dictum mysterium, cuius possibilitas nos penitus transcendit, quia nec in seipsa est naturali rationi nota, nec in aliquo alio tamquam causa in effectu. Quare, si de ea quaeratur *an sit,* responsio dari non potest nisi ex revelatione divina. Si praeterea *quid sit* inquiratur, magis per negationes respondendum, assignando quid huiusmodi conversioni non conveniat ex iis quae reliquis competunt, et per quamdam analogiam ad naturales transformationes eam nobis repraesentando. Similis difficultas locum etiam habet cum de creatione agitur, de qua proprium conceptum habere

(·) S. Thom., ubi supra.

non valemus. Videmus tamen creationem revv·.. esse, et per consequens esse possibilem, quia in illam ut in ausam oportet retundere exsistentiam rerum quae contrahuntur ad particularem rationem essendi. Omnino ergo ratio nostra solvit quaestionem *an est,* non vero *quid est.* Verum, etsi nec dc creatione nec de transubstantiatione proprius a nobis conceptus haberi possit, aliquid tamen multo difficilius circa conversionem totius substantiae in substantiam occurrit. Ut enim dicit S. Thomas in IV, D. n, q. i, a. 3, q. 3, sol. 3, ad iura, «mutatio ista fit ex exsistente « in exsistens praeter modum aliarum mutationum quae fiunt « etiam ex exsistentibus in exsistentia, ex quarum inspectione «intellectus noster sibi suas conceptiones formavit; et ideo haec « conversio videtur esse contra conceptiones intellectus, et pro- « pter hoc, difficilius ei assentitur quam creationi quae est ex « omnino non exsistente, cuiusmodi mutationem non vidit». Sci licet, in conceptu creationis efformando, nihil est quod *positive* occurrat in contrarium ex parte notionum quas in consideratione rerum acquirimus, sed solum deest simile exemplum ; et ideo, quando ad creationem assurgit nostra cogitatio, etsi altitudine et incomprehensibilitate rei obruamur, non tamen apparet aliqua contradictio. Hic autem, praeter defectum similis exempli, *positive* occurrit in oppositum solitus modus conversionum ex ente in ens, ubi semper manet aliquid commune in ratione sub iecti. Multo igitur magis necesse est ut de transubstantiatione agentes, dicamus potius *quid non sit,* quam *quid sit,* assumendo id quod est de communissima ratione conversionis in quantum huiusmodi, et removendo omnia quae ad naturales conversiones pertinentia, transubstantiationi convenire omnino non possunt. Atqui illud quod pertinet ad communissimam rationem conversionis formaliter sumptae, in hoc est reponendum, quod non datur nexus tantum extrinsecus inter unius extremi desitionem et alterius successionem, sed intrinsecus, et ex natura rei. Quippe in naturalibus non satis est ut simultanée habeantur unius corruptio et alterius generatio, sed oportet ut motus quo corrumpitur unum, sit ipsissimus motus quo generatur alterum ; alias -nonnisi abusive conversionis nomen adhiberetur. Nunc autem,

cum in transubstantiatione motus corruptionis et generationis esse non possit, restat ut totalis desitio unius extremi sit ipsissima successio alterius, quadam ineffabili et inexplicabili ratione: *quatenus panis substantia secundum se totam cessat, non quidem per lapsum in non esse, et subtractionem influxus Dei portantis omnia verbo virtutis suae,* sed omnino actione positiva omnipotentiae, per quam in uno indivisibili instanti tota desinit in corpus Christi praeexsistens et immutatum f1).

Et post hoc restat dicendum cum Propheta : Magnus Dominus, et magna virtus eius, et magnitudinis eius non est nu-

f Hic nota bene quod *a priori* considerando rem, non apparet quare magis repugnaret enti totaliter desinere in aliud ens praeexsistens ut in transubstantiatione, quam totaliter desinere in absolutum non ens ut in annihilatione : missaque imaginatione quae nobis repraesentat annihilationem velut quemdam lapsum in tenebrosam nihili abyssum, et non reducendo intellectualia ad conditionem sensibilium, abstracta notio transubstantiationis non videtur continere maiorem difficultatem quam illa annihilationis. Quaeris siquidem a me, qui concipi possit quod aliqua substantia *totaliter* cesset quoad omnia sui constitutiva per positivam conversionem in aliud praeexsistens. Et ego a te vicissim quaero, qui concipi possit quod aliqua substantia *totaliter* cesset per desitionem in absolutum nihil. An forte plus repugnat enti desinere secundum se totum in aliud ens, quam desinere secundum se totum in omnino non ens? Dices annihilationem facile concipi per subtractionem influxus. Sed hoc non valet, quia negationes non intelliguntur nisi per sua positiva, et subtractio influxus in casu, nonnisi per influxum ipsum quo res ita portantur in esse, ut eo cessante funditus evanescerent, usque ad ultimas entis radices. Et putas te de eiusmodi influxu directam notionem habere posse ? Certe, *a posteriori,* ratiocinando ex effectibus, recte concludimus quod creatio est; et si est, possibilis est; et si *possibilis* creatio, possibilis quoque annihilatio. Hoc, inquam, a posteriori. Sed si haec via deesset, (sicut revera deest quoad transubstantiationem, eo quod nullus effectus est aut esse potest sub nostra experientia cadens, qui debeat refundi in transubstantiationem tamquam in causant, forte aestimares impossibilem transitum de ente in absolutum non ens, eodem modo quo nunc aestimas impossibilem totalem transitum entis in aliud praeexsistens ens, ut transubstantiationem reducas ad puram simplicemque substitutionem qua loco unius substantiae ponitur alia substantia.

merus. Et iterum: Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos! Ipse enim Deus est, cui natura essentli competit infinite absque omni contractione, cuius actio ex consequenti se extendit usque ad primas entis participati radices, ultra illud omne quod nos assequi valemus et comprehendere.

3. Totius substantiae, manentibus speciebus. — Ens, ut norunt omnes, dividitur in substantiam et accidens. Est autem substantia, illud cui debetur esse per se, id est non in alio tamquam in subiecto; ac per hoc, proprium substantiae nomen a perseitate potius derivatum esse oportuisset. Verum nos res no minamus sicut primo illas apprehendimus : praeterea proportionatum humani intellectus obiectum est quidditas rei corporeae, de qua primo concipimus quod sit substratum accidentium et omnium sensibilium proprietatum ; et ideo quidquid per se est vel natum est esse, *substantiam* appellamus. Nunc autem cum nomina quibus genus humanum utitur magnam et verissimam philosophiam contineant, (derivant enim ex communi et universali apprehensione quae falsa esse nequit, utpote orta a puro fonte rationis, non autem a causis erroris quae semper particulares sunt et variabiles), iure meritoque statim colligimus, substantiam corpoream non esse per seipsam obiectum sensus, id est non esse ullatenus sensibilem nisi ratione accidentium quibus afficitur. «Substantia in quantum huiusmodi, inquit S. Thomas ζl), « non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, « nec etiam imaginationi, sed soli intellectui, cuius obiectum est « quod quid est ».

Hinc iam habetur realis distinctio substantiae corporeae a(*)

(*) Infra quaest. 76, a. 7. — Nec, quaeso, inde inferas nullam esse amplius differentiam inter corporalem et spiritualem substantiam. Differentia enim est primo in hoc, quod substantia spiritualis est simplex, substantia vero corporea est composita ex duobus essentialibus principiis, materia videlicet et forma. Secundo in hoc, quod substantia corporea habet transcendentalem ordinem ad quantitatem et alia accidentia quibus fit visibilis, imo vero, est eorum principium et radix: at substantia spiritualis est invisibilis tam secundum se, quam ratione accidentium quibus afficitur vel affici potest.

quantitate et sensibilibus qualitatibus ; de qua distinctione ex professo agetur in huius disputationis decursu. Interim vero observa, illam contineri in doctrina Conciliorum circa praesens mysterium. Species enim quae transeunte substantia dicuntur permaivre, ipsissima sunt accidentia panis et vini, uti sufficienter colligitur vel ex sola collatione decretorum Tridentini cum decretis Concilii Constantiensis a Martino V confirmatis, in quibus condemnatur haec propositio Wiclefi : « Accidentia panis non « manent sine subiecto in eodem sacramento » (*).

Intelligendum est ergo, conversionem istam versari inter totas et solas substantias, ita ut vere et physice maneant accidentia substantiae conversae. Quod ultimum, etsi futurum sit obiectum specialis disputationis, tamen iam ex nunc prae oculis omnino haberi debet velut essentialiter requisitum ad intelligentiam dicendorum in praesenti quaestione.

4. Proprie transubstantiatio appellata. — Transubstantiatio proprie dicitur haec conversio, tum ratione eius quod positive includit, tum ratione eius quod de connotato negat. Ratione eius quod positive includit, quia conversio est cuius termini formales sunt, non solum principia substantialia, sed substantiae ipsae. Ratione eius quod de connotato negat, quia negat quamlibet aliam variationem, praeter illam quae est totius substantiae in substantiam. Non enim est totalis quaedam *transen·tatio,* si dicere liceat, neque transubstantiatio coniuncta cum variatione accidentium, sed transubstantiatio et nihil aliud.

Nunc autem nota quod cum dicitur transubstantiatio reddere rationem novae Christi praesentiae in sacramento, intelligitur equidem transubstantiatio sumpta secundum ea quae in suo conceptu intrinsece claudit, connotando tamen accidentium permanendam tamquam conditionem absolute necessariam. « Si « enim substantia panis in Corpus Christi converteretur, et panis « accidentia transirent, ex tali conversione non sequeretur quod « corpus Christi secundum suam substantiam esset ubi prius « fuit panis; nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi

(*) Enchirid. n. 582.

«ad locum praedictum. Sed cum quantitas dimensiva panis re· « manet post conversionem, per quam panis hunc locum sor· « tiebatur, substantia panis in corpus Christi mutata, fit corpus « Christi sub quantitate dimensiva panis, et per consequens, «locum panis quodammodo sortitur, mediantibus tamen dimen· * sionibus panis » (1).

Hucusque quaestionis praeambulum, quo absoluto, oportet ad singulos articulos descendere, incipiendo a dogmate praesentiae realis, ut sequitur.

THESIS XXXVIII.

(Art, i).

In sanctissimo Eucharistiae sacramento est corpus et sanguis Christi, vere, realiter, et substantialiter.

Demonstranda est haec fundamentalis veritas, primo ex verbis promissionis, secundo ex verbis institutionis, tertio ex perpetua traditione.

§ i-

Primo, inquam, ostenditur efficaciter ex promissione sacramenti, quae Ioan. VI, 26 27 continetur (2). Praecesserat miraculosa panum multiplicatio in deserto ; sequenti die turba

(') S. Thom., 4 c. Gent., c. 63.

'·) Non defuerunt auctores catholici, qui ut facilius responderent haereticis asserentibus necessitatem communionis sub utraque specie, suumque errorem confirmantibus ex verbis Domini : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, el biberitis eius sanguinem,* etc., simpliciter negaverunt sermonem hic esse de Eucharistia, imo asseruerunt ista intelligi ad litteram « de manducatione *spirituali Christi,* abstrahendo tam « a manducatione sacramentali, quam a manducatione spirituali sacra· « menti in re vel in voto». Ita sentit Caietanus in 3"“ Partem, Q. 80, a. ta. Porro, cum Caietani auctoritatem in medium protulisset Richardus Simon, modernistarum exegetarum praecentor et protagonista, hanc habuit a Bossuetio, nunquam satis meditandam responsionem : « M. Si-

Christum requirebat, sperans se iterum panibus saturatum iri ; unde Dominus tandem in Capharnaum inventus sic eos alloquitur; *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducasti' ex panibus, et saturati estis.* Sed iam de meliori pane incipiens dicere : *Operamini,* ait, *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam;* quae quidem propositio accurate est attendenda, quia totius sermonis elavem suppeditat. Quid enim est *operari cibum,* nisi studium, curam et laborem impendere cibo acquirendo, ut bene explicat Maldonatus in hunc locum. Duo igitur clare ibi distinguuntur : opus ponendum ab homine, et

« mon observe *que Cajetan a pu croire sans être hérétique, que ces para-*
« *les de J. C, nisi manducaveritis, etc , ne s'entendent point à ta rigueur*
• *de la lettre de la manducation sacramentelle, bien qu'il soit opposé en*
« *cela au sentiment commun des anciens et des nouveaux interprètes de*
« *l'Ecriture...* Mais c'est proposer la chose d'une manière peu équitable.
«Il ne s'agit pas de savoir si Cajetan est hérétique, en s'opposant à
« une interprétation autorisée par tous les saints. On peut penser mal
« sans être hérétique, si l'on est soumis et docile. Tout ce qui est mau-
«vais en matière de doctrine, n'est pas pour cela formellement héré-
tique. On ne qualifie pour d'ordinaire d'hérésie formelle que ce qui
« attaque directement un dogme de foi ; mais de là il ne s'ensuit pas
« qu'on doive souffrir ceux qui l'attaquent indirectement, en affaiblissant
« les preuves de l'Eglise, et en affectant des opinions particulières sur
«les passages dont elle se sert pour établir sa doctrine. C'est ce que
«font ceux qui détournent les paroles de Notre-Seigneur, dont il s'agit.
«Ils privent l'Eglise du secours qu'elle en tire contre l'hérésie; ils
«accoutument les esprits à donner dans des figures violentes, qui af-
« faiblissent le sens naturel des paroles de l'Evangile; ils inspirent un
« mépris secret de la doctrine des Pères. Cajetan qui ne savait guère
« la tradition, et qui écrivait avant le concile de Trente, peut être ex-
« cusé. Mais M. Simon qui a tout vu, et qui après avoir reconnu le
«consentement des Sts Pères, ne laisse pas d'insinuer, avec ses adres-
« ses ordinaires, le sens opposé au leur, n'en sera pas quitte pour dire
«que cela n'est pas hérétique. L'amour de la vérité doit donner de
« l'éloignement pour tout ce qui l'affaiblit, et je dirai avec confiance
«qu'on est proche d'être hérétique, lorsque, sans se mettre en peine
«de ce qui favorise l'hérésie, on n'évite que ce qui est précisément
«hérétique et condamné par l'Eglise·. Défense de la Tradition et des
Saints Pères, l. i, c. aa.

cibus largiendus a Domino, de quo ipse subiungit, *quem Filius hominis dabit vobis.* Et ne videatur incredibile, Filium hominis posse dare cibum aeternae vitae: *Hunc enim* (hominis Filium) *Pater signavit Deus,* id est, extra numerum aliorum filiorum hominum fecit per ipsam unionis gratiam qua idem ipse, Filius hominis et Filius Dei est. Statim ergo instant ludaei interrogantes quale sit opus quod ab eis requiritur: *Dixerunt ergo ad eum: quid faciemus ut operemur opera Dei?* Et dicunt *opera Dei,* quia intelligebant haec opera ad Deum pertinere, et secundum Deum esse, utpote quae conducerent ad aeternae vitae panem. Tunc docet eos Dominus, opus illud esse fidem quae prima est et fundamentalis dispositio, et statim multa de fide edisserit, sicut cum fidei causam in altius revocat principium, scilicet in secretam vocationem Patris sive interiorem tractionem gratiae. Quae tamen omnia cum referantur ad praeassertam fidei necessitatem in ordine ad sumptionem panis quem daturus est Filius hominis, plane ostendunt fidem non esse ipsam promissi panis manducationem, sed praevie tantum ad eam se habere. Itaque quando ait vers. 32-35: *Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum : panis enim Dei est, qui de caelo descendit... ego sum panis vitae,* non loquitur de se praecise in quantum per fidem metaphorice manducari debet, sed in quantum sub specie sacramenti futurus est panis hominum, ore utique sumendus, praelucente tamen fide quae argumentum est sive convictio non apparentium.

Verum clariora et omni ex parte invicta argumenta desumuntur ex secunda sermonis parte in qua explicat Christus illud quod prius de pane a se dando obscurius dixerat, et quae incipit a vers. 48 : *Ego sum panis vitae... Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Qua quidem affirmatione signanter ac diserte testatur panem a se promissum, esse carnem suam, et (quod nequaquam praetereundum est), carnem suam pro salute mundi immolatam. Hunc enim sensum prae se ferunt verba illa: *caro mea* (subaudi, data, oblata) *pro mundi vita,* ut etiam expresse plures codices legunt. Hunc sensum quam maxime con-

firmant verba sequentia, ubi separarim caro et separating sangni sumenda proponuntur. Itaque et cruentam crucis immolation- m praedicit ff, et carnis suae manducationem proponit ut quae ad illam consequenter se haberet. Atqui sacrificia cruenta ubique terrarum per veram et realem hostiarum manducationem consummabantur ; imo ipse Moyses qui in caeteris omnibus sollemne habet ludaeos a ritibus Gentium removere, minime ab eis discordat quoad esum immolatorum, sed universo orbi consentit, veteremque sequitur consuetudinem. « Videte Israel secundum « carnem, inquit Apostolus (a), nonne qui edunt hostias, parti- « cipes sunt altaris ? » Iam ergo excluditur a verbis Christi omnis probabilitas sensus metaphorici, qui aliunde tam innaturalis, tamque insolitus fuisset, ut mirum revera non sit, si <laei haec audientes, statim exclamaverint: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?*

Porro, litigantibus inter se ludaeis, et vehementer contra-

(') Cf. Cyrill. Alex, in Ioan,, l. 4, c. 2 (P. G. 73, 563 sq).

(■) 1 Cor. X-18. — Mysteriosa sane consuetudo, secundum quam sacrificii solemnitas, nonnisi per immolatae victimae manducationem tam apud ludaeos quam apud Gentes, perficiebatur! Quasi id persuasum habuerint antiqui homines : victimas in altari sacra morte oblatas portare peccata communitatis, et subeundo poenam eis debitam, illa expiare; necessarium tamen esse ad applicationem expiationis *vicanae,* ut qui sibi apud Deum hostiam substituerant, eam sibi demum incorporarent, fierentque cum ea unum, et hoc tandem modo, beneficio reconciliationis seu pacis cum numine offenso instauratae fruerentur. Et constat, ritum in antiquitate adeo universalem nequaquam explicari sufficienter per solum instinctum naturae, sed prodere atque demonstrare exsistentiam cuiusdam revelationis primitivae. Revelationem autem dico de mysterio humanae redemptionis per verum illum Agnum Dei qui vere tolleret peccatum mundi, et vere hostia exsisteret vicaria pro hominibus; extra quem, nullum iam sensum rationabilem habent mox expositae ideae de expiatione et applicatione eius. Sed et ex eadem revelatione primitiva originem indubitanter accipies figurativorum sacrificiorum figurativaeque sanctarum carnium manducationis, donec ille promissus, ille expectatus adveniret : ita scilicet ut in toto mundo antiquo indesinens quaedam fuerit prophetia in actu, tum sacrificii crucis, tum consequentis communionis eucharisticae.

dicentibus, nedum Dominus quidquam emolliat, maiori cum energia asseverat id quod dixerat, solemni etiam formula utens qua maiora sua pronuntiata confirmare solet: . *Imen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, ct biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Tum ingeminat verba realitatem significantia: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* Repetitis item vicibus distinguit manducationem corporis et potum sanguinis; sed quo fine, quave apparentia veritatis, quaeso? Ex quo enim de simplici apprehensione per fidem ageretur, profecto manducare idem esset ac bibere; utquid igitur iam quarto diceret: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo?*

Praeterea, repugnantibus magis ac magis auditoribus incredulis, iisque iam non de turba, sed de ipso coetu discipulorum,, respondet Dominus vers. 63 et seq., per explicationem quamdam, qua non veritas manducationis, sed solum carnalis ac veluti bestialis Capharnaitarum interpretatio excluditur. Illi enim « invitari se ad belluinam aliquam crudelitatem putabant, ita ut «carnibus quidem vesci inhumaniter et sorbere sanguinem iu- « berentur, et quaecumque vel auditu solo horrenda sunt, facere « cogerentur. Non enim mysterii illius decus noverant, et pulcher- « rimam ob ipsum excogitatam dispensationem, sed illud apud « semetipsos utique versabant: Quomodo corpus humanum ae- «ternam nobis vitam inseret? etc.» (1). Dominus ergo ad eos: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* In qua quidem responsione praeobservandum est quod discipuli illi qui vers. 60 exhibentur dicentes: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* scandalum acceperant de duobus quae concludendo suum sermonem, in recapitulationis modum, vers. 58 dixerat Christus: *Hic est panis qui de coelo descendit,* en primum. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna*

Cyrill. Alex., in Ioan., l. 4, c. 3 (P. G. 73, 599).

et mortui sunt; qui manducat hunc panem, (i. e. meam carnem quae vere est cibus), *vivet in aeternum,* en secundum. Priora ergo illa verba: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* responsionem continent ad scandalum acceptum ratione asseverati descensus de coelo. Et appellat ad futuram suam ascensionem quam aliqui ex tunc murmurantibus, oculis suis conspecturi erant, tamquam ad idoneum credibilitatis signum pro eo quod dixerat se de coelo descendisse. Posteriora vero verba: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam,* etc., sunt contra scandalum acceptum ratione inculcatae necessitatis manducandi carnem Filii hominis ad vitam aeternam percipiendam. Corrigunt quidem falsum sensum, seu crassum *realismum* quo praeoccupabantur mentes murmurantium, sed nedum infirment nostrum dogma de veritate corporis et sanguinis in sacramento, novam ei atque illustrem afferunt confirmationem.

Ad cuius evidentiam nota bene quomodo non dixerit. caro-*mea* non prodest quidquam, sicut prius constanter dixerat: caro *mea* vere est cibus; qui manducat *meam* carnem, habet vitam aeternam, etc. Unde nunc *caro* absolute dicta, in oppositione ad spiritum qui vivificat, idem est ac carnalis intellectus, vel caro nuda et a divinitate seiuncta: ut iste, et non alius sit sensus: Utique caro carnaliter devorata quam vos cogitatis nullius emolumenti est. Sed cum dixi manducandam esse carnem Filii hominis ut habeatis vitam in vobis, dixi aliquid spirituale et vivificans, quia locutus sum de carne mea in quantum unita divinitati, instrumentum eius est ad vivificandas animas; de qua consequenter non est cogitandum sicut de carnibus animalium occisorum quae in ventrem vadunt et in secessum emittuntur. Uno demum verbo, de carne mea dixi eo modo proposita, qui sit dignus nobilissimo fine ad quem in sacramento ordinabitur; ibi enim habitura est invisibilem quemdam praesentiae modum, solis spiritualibus fidei oculis conspicuum, ratione cuius non poterit aut lacerari, aut digeri, aut quomodolibet dentibus premi more eorum quae venduntur in macello. Atqui haec omnia praecedentes assertiones ad sensum metaphoricum minime trahunt.

sed solum sensum carnalem excludunt. Et conlh matur ex eventu, nam *ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant.* Intellexerant enim, Dominum nihil relaxasse de prioribus dictis, sed novas potius difficultates addidisse, unde tanti altitudinem mysterii portare non valentes, discedunt.

Ultimum denique argumentum, idemque efficacissimum, sumi potest ex hoc quod Dominus sinit consummari praedictorum discipulorum apostasiam, cum tamen in hypothesi Protestandum, scandali auctor ipsemet extitisset per inutiles verborum exaggerationes, potuissetque una simplici declaratione omnem aequivocationem auferre et tantam animarum ruinam praecavere. Qua in re bene observavit illustris commentator f1) lesum Christum non venisse in mundum ut stupefaceret homines verbis prodigiosis. Quod enim Deus faciat res altas, incomprehensibiles, satis superque intelligitur : quod mundus abeat retro et resistat tam sublimi revelationi, naturale est homini animali. Quod autem divina revelatio obruat mentes difficultatibus quae sunt *solum in verbis* utpote in mera exaggeratione metaphorarum consistentes, absit, hoc esse non potest, non, non.

I 2

Nunc ad verba institutionis accedamus oportet. — Protestantes autem dicunt quod ex verbis institutionis nullum potest

f «Mon Sauveur, vous et vos apôtres vous n' êtes pas venus étour-« dir le monde par un langage prodigieux ; et parce que vous n' ôtes pas «venus pour l'étourdir, ceux qui énervent ainsi vos paroles, sont venus «pour le tromper... Ou cela est vrai au pied de la lettre, ou tout cela «est inventé pour mettre le trouble et la division dans le monde. Que « Dieu fasse des choses hautes, incompréhensibles, il n' y a rien là au-•dessus de lui; que le monde en soit rebuté et résiste à une si haute «révélation, c'est le naturel de l' homme animal. Mais qu'on accable les •esprits de difficultés qui ne sont que dans le langage, que tout soit «exagération, et qu'il en faille venir à tout rabaisser à la capacité du • sens humain, cela n'est pas. Que ceux-là le croient qui veulent nous • ôter la vérité simple des paroles de Jésus-Christ, et réduire à rien son • évangile». Bossuet, Méditations sur l'Evangile, 39«-"- jour.

dediu i argumentum pro vera et substantiali praesentia corporis Christi. Nam pronomen *hoc* significat aliquid in individuo demonstratum, ac per consequens, maxime determinatum. Ergo significat determinate panem qui in manibus accipitur, ita ut propositio hoc modo debeat exponi: *hic panis est corpus meum.* Sed propositio eiusmodi in sensu proprio vera esse nequit. Ergo sumenda est sensu improprio, quatenus panis Eucharistiae est simplex signum corporis Christi.

Praeterea, in tantum esset necesse sumere verba Christi in proprio eorum sensu, in quantum non possent nunc rationabiliter admitti metaphorae, et modi loquendi figurati. Sed in verbis institutionis plura sunt quae evidenter debent figurate intelligi, nam in forma primae consecrationis, I Cor. XI-24, sic ad litteram in graeco legitur: */foc est corpus meum quod pro vobis frangitur,* cum tamen iuxta ipsos etiam catholicos, corpus Christi in Eucharistia penitus illaesum remaneat.

Item, sanguis Christi in sacramento non effunditur, et nihilominus in textu graeco effusio ubique enuntiatur de praesenti, ut quae ad sanguinem prout in calice contentum referatur. Quid ergo dicunt catholici, omnia ibi sensu proprio et litterali esse accipienda?

Rursus forma calicis apud Lucam et Paulum adhuc magis •est metaphorica. Dicitur enim: *hic calix novum testamentum est in meo sanguine,* tametsi nec calix, nec sanguis, vere et proprie testamentum dici possit.

Tandem. Matth. XXVI-29, statim post narrationem institutionis sacramenti adduntur haec verba tamquam a Christo dicta: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ergo in calice consecrato continebatur vinum seu genimen vitis, non autem sanguis Christi, vere, realiter, et substantialiter.

Sed contra est, quod dicit Cyrillus Hierosolymitanus, in catech. mystag. 4 (P. G. 33, 1097): «Cum ipse (Christus) de pane « pronuntiaverit ac dixerit: *hoc est corpus meum,* quis audebit dein- « ceps ambigere? Et cum idem ipse tam asseveranter dixerit, *hic*

• *est sanguis meus,* quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse •eius sanguinem ?» Nos itaque contra Protestantes aliquid adstruimus quod reipsa ex parte nostra nulla indigeret demonstratione quandoquidem verbis dominicis nihil clarius excogitari potest. Stulte autem interrogaret aliquis cur in naturali et obvio sensu ista intelligamus ; perinde enim est ac si quis peteret a viatore per regiam et rectam viam incedente, cur non potius eat per cuniculos. Quippe ii sunt qui ad tropos et figuras recurrunt, quorum est reddere rationem interpretationis suae ; quod quidem adversarii nec fecerunt, nec facere poterunt unquam. Et re quidem vera, penitus excludendum esse sensum figuratum ab iis propositionibus : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus (I)*,. apparet evidentissime ex tribus. Primo ex materia de qua agitur; secundo ex forma ipsarum propositionum ; tertio ex appositis quibus praedicatum apud diversos evangelistas determinatum invenitur.

Primo, inquam, ex materia de qua agebatur. Condebat enim Dominus noster suum testamentum, dedicabat novum foedus, instituebat sacramentum, promulgabat legem, denique tradebat dogma ab omnibus Christianis necessitate praecepti explicite credendum, quia ad ipsas bases ac fundamenta religionis evidenter pertinet mysterium illud in quo proprium Novi Testamenti instrumentum videre est. Atqui testamenti confectio, sacramenti institutio, legis promulgatio, dogmatis traditio, natura sua requirunt claram et simplicem locutionem, nullique aequivocationi ansam praebentem, ne scilicet in ambiguo remaneant ea quae certissima in rebus tam divinis quam humanis necesse est esse. Non quod omne genus metonymiae excludatur, cum aliquando metonymiae non solum non noceant perspicuitati sententiae, imo vero inserviant quam plurimum. Dico autem locum non habere in huiusmodi, metaphoras obscuras, innaturales, aenigmaticas, et contra communem loquendi morem ex puro arbitrio introductas. Et hic nota in qua aequivocatione versentur Protestantes, cum aiunt omne sacramentum in aliqua figura seu signo consistere..

(*) Matth. XXVI, 26, 28.

Aliud enim est quod sacramenta constent rebus symbolice significantibus res invisibiles, aliud vero quod verbis aenigmaticis atque ambiguis instituantur, nam certe hoc ultimum non continetur in primo, sed foret per se deceptivum et inductivum falsi cultus gravissimique erroris in religione il). Quis igitur, nisi absurdissime, diceret Christum sic instituisse sacramentum primarium Novi testamenti, ut ne ipsi quidem divinae legis doctores inter se convenire possent, quid sit hoc sacramentum, an panis, an corpus eius? — De qua re vide omnino Bellarminum de Euchar. l. x, c. 9.

Eadem veritas apparet secundo ex forma propositionum, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Nam in propositionibus figuratis in quibus vel subiectum est figura praedicati, vel praedicatum figura subiecti, duplex modus attenditur. In primo modo explicatur proprietas subiecti per analogiam alius proprietatis maxime conspicuae in aliquo genere rerum, et tunc praedicatum çpuntiatur indeterminate, aut certe cum emphasi quadam, nusquam vero cum pronomine demonstrativo, sicut cum ait Dominus in evangelio : *ego sum ostium, ego sum vitis,* non autem *hoc* ostium, *haec* vitis. In secundo modo e contra, res aliqua determinata et in individuo demonstrata proponitur ut symbolum alterius, sicut cum Dan. IV-iy dicitur: *Arborem quam vidisti sublimem atque robustam..., tu es rex, qui magnificabis es;* vel iterum, Gen. XLI-26: *Septem boves pulchrae septem anni ubertatis sunt.* Interest autem inter unum et alterum modum, quod posterior ille adhiberi rationabiliter nequit nisi in inter-(*)

(*) «S'il (J. C.) avait voulu donner un signe, une ressemblance « toute pure, il aurait bien su le dire... Quand il a proposé des simi- « litudes, il a bien su tourner son langage d'une manière â le faire entendre, en sorte que personne n'en doutât jamais: *Je suis la porte; « celui qui entre par moi, sera sauvé.* Quand il fait des comparaisons, «des similitudes, les évangélistes ont bien su dire : *Jésus dit celte para- « bole.* Ici, sans rien préparer, sans rien tempérer, sans rien expliquer, ni «devant ni après, on nous dit tout court; *Jésus dit: Ceci est mon corps, « ceci est mon sang, mon corps donne, mon sang répandu,* voilà ce que «je vous donne». Bossuet, ubi supra, 2a4®· jour.

pretatione allegoriarum, vel visionum, vel factorum quae scimue fuisse a Deo disposita ut essent umbrae futurorum ; nam alias locutio foret omnino innaturalis, et praeter communes humant sermonis regulas, sicut revera innaturalis et absurda est in hypothesi Protestandum forma consecrationis. Etiamsi enim panis in genere sumi possit ut figura corporis Christi, quis tamen praesertim ex abrupto, de aliquo designato pane rationabiliter dicet: hoc, id est iste panis quem nunc demonstro, est corpus Christi? Et certe, iuveni cuipiam sese in figuris rhetoricis exercenti facile permittetur haec oratio : Alexander erat leo. Numquid forte ista : Hic leo est Alexander ?

Accedit denique tertio, quod in lectione graeca, determinantur corpus et sanguis per articulum pluries repetitum: Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον (1). Τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἱμά μου, τὸ τῆ καινῆ διαθήκη , τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον (2), ut sit sensus: Hoc quod do manducandum, est ipsum, corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur ; id quod porrigo bibendum est ipse sanguis meus, *ipse* novi testamenti, *ipse* qui pro multis effunditur (3). Praeterea, appositum vulgatae lectionis, *qui pro vobis fundetur,* enuntiatur ubique in graeco de praesenti, et ita quidem ut directe et immediate referri non possit nisi ad id quod est in calice, formaliter ut in calice ; nam Luc. XXII-20, sic legitur, Τοῦτο τό ποτήριον, ἡ καινῆ διαθήκη, ἐν τφ αιματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον, id est, *hic calix pro vobis fusus, novum testamentum est in sanguine meo.* Qui-

(*) Luc. XXII-19.

(·) Matt. XXVI, 28.

(*) «Chrétien, te voilà instruit; tu as vu toutes les paroles qui re-«gardent l'établissement de ce mystère. Quelle simplicité, quelle netteté «dans ces paroles! Il ne laisse rien à deviner, à gloser; et s'il y faut ▪ quelque chose, c'est seulement en remarquant que selon la force de «l'original, il faudait traduire : *Ceci est mon corps, mon propre corps, le «même corps gui est donné pour vous. Ceci est mon sang, mon propre «sang, le sang de la nouvelle alliance, le sang répandu pour vous en rémission de vos péchés...* Voila la glose, s'il en faut». Bossuet ubi supra 22,m* jour.

bus verbis significatur offerri et libari Deo illud ipsum quod sub speciebus vini in calice continetur, cum actio sacrificandi soleret apud ludaeos exprimi per sacrum ritum effundendi sanguinem (x). Constat autem aperte ex Scripturarum doctrina, nullam nunc nobis superesse victimam praeter Christum, et hostiam pro multis oblatam in remissionem peccatorum non esse panem aut vinum aut aliquid aliud, sed solum corpus et sanguinem Christi. Ergo adhuc evidentius excluditur omnis possibilitas sensus metaphorici (2).

Ad ium ergo dicendum quod subiectum *hoc.* in forma consecrationis formaliter significat substantiam *in confuso* quae sub panis speciebus continetur. Nec obstat quod sit nomen demonstrativum ; nam demonstratio fit ad sensum, id est per ordinem ad visibilia accidentia quae remanent, non autem per designationem quidditatis substantiae sub dictis accidentibus contentae: sed quid illa sit, praedicatum determinat. Patet igitur evidens discrimen inter verba consecrationis et propositionem, *ego sum ostium, ego sum vitis.* Illic enim pronomen *ego* determinate significat personam Christi, cui praedicata *ostium* et *vitis* minime convenire possunt nisi metaphorice accipiantur. Hic vero, subiectum *hoc* non significat formaliter panem, ac per hoc, non(*)

(*) Levit. l, 5-15; III, 2-13; IV, 7-25, etc.

(·) Nota tandem contra criticos scholae theologico-historicae. quid de verbis institutionis, ad exegesim quod attinet, dicat Tridentinum Sess. 13, Cap. i (Denzinger S74): «Quae verba a sanctis evangelistis commetuo- « rata, et a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam « significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt « indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis « hominibus ad fictitios et imaginarios tropos... contra universum *Eccle-* « siae sensum detorqueri, quae tamquam columna et firmamentum veritatis haec ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica de- « testata est, etc. ». Unde nullus fuit unquam auctor catholicus qui in verbis illis firmissimum atque inconcussum realis praesentiae argumentum non agnoverit, *si unum Caielanum iterum excipias,* a cuius commentariis inauditam temeritatem Pius V exsulare iussit. Scripserat Caietanus. q. 75, a. i, «non apparere ex Evangelio coactivum aliquod ad intelli- · genda haec verba proprie ».

de pane, sed de substantia latente sub a.. | Iᵻ ntibus panis, affirmatur quod sit corpus Christi.

Ad 2',m dicendum, vim argumenti nostri non in eo consistere, quod nulla omnino potuerit esse in verbis Christi metaphora. sed in eo quod materia non patiebatur metaphoras aenigmaticas et prorsus inusitatas quas fingunt adversarii. Huiusmodi autem non est metaphora illa qua dicitur apud Paulum : Τοὐτο μου ἑστιν τδ σὠμα, τδ υπέρ υμών κλώμενον (1), hoc est corpus meum quod pro vobis *frangitur.* Communi enim Indaeorum usu, locutio *frangere panem* adhibetur pro eo quod est, panem dare seu offerre, iuxta illud Isaiae : « Frange esu « rienti panem tuum ». Et quia in metaphoricis locutionibus non attenditur nisi externa species sub qua res sensibiliter sese manifestat, corpus Christi sub specie panis pro hominibus *frangi,* nihil aliud est quam *dari* seu *offerri Deo,* scilicet in sacrificium. Et ideo Lucas, discipulus et interpres Pauli, vertit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis *datur,* «τδ υπέρ υμών διδόμενον».

Ad 3Ù“ similiter dicendum, quod iuxta superius praemissa, effusio sanguinis ritu sacro apud Hebraeos, pro oblatione sacrificii propitiatorii accipiebatur. Non ergo aenigmatica locutio apponitur, sed adstruitur veritas sacrificii missae, ut infra suo loco patebit.

Ad 4Ù“ dicendum quod forma calicis apud Paulum et Lucam sic debet exponi : *Hic calix qui ratione sanguinis mei quem continet, offertur in remissionem peccatorum, novum est testamentum;* novum scilicet, per oppositionem ad antiquum quod iam abrogatur. In quo quidem enuntiatur in recto continens pro contento, id est calix pro sanguine, iuxta consuetum et usitatissimum loquendi morem; nulla autem alia ibi occurrit metaphora, sed cuncta sunt litteraliter accipienda, quia vere et proprie sanguis in calice fusus, testamentum Christi et dicitur et est.

Ad cuius intelligentiam observandum est primo, vocem *testamentum* indifferenter sumi, modo pro ipso actu ac voluntate ultima testatoris, modo pro instrumento quod a testatore in ma-

(·) 1 **Cor. XI, 24.**

nibus haeredum relinquitur (1). Observandum est secundo, quae nam ex natura rei inter testamentum Christi et testamenta hominum intercesserit differentia. Sane vero, id quod in humanis testamentis ad donationis validitatem facit, non est nisi voluntas qua testator secundum praescriptiones legum de bonis suis disponit pro tempore mortem suam secuturo ; mors vero eius fataliter superveniens non est nisi simplex conditio, sine qua effectum suum donatio non sortitur. At testamentum Christi causam suae validitatis habuit, non solam voluntatem disponendi de bonis quibus erat dives et beatus, verum etiam mortem expiatoriam in remissionem peccatorum Ratio est quia, sicut in humanis ii qui ob patrata scelera civiliter mortui dicuntur, privantur iure possidendi et accipiendi donationes, ita nos propter peccatum amiseramus ius civitatis in superna Jerusalem, incapaces •effecti qui in ea haeredes conscriberemur. Unde praeter voluntatem qua disponitur de bonis, necessaria fuit ad valorem testamenti Christi, expiatoria mors crucis per quam solam, iuxta legem et decretum Patris, iuridica capacitas poterat resarciri ; atque hinc tandem facile intelligitur, quomodo Eucharistia vel calix Eucharistiae sit vere et proprie ipsum novum et aeternum testamentum, sumendo nunc *testamentum* in altera e duabus acceptionibus supra declaratis.

Instrumentum enim testamenti solet dici illud in quo consignatur quidquid ad eius validitatem facit, puta sententia voluntatis ultimae, omnibus vestita solemnitatibus quae secundum legem adhiberi debent. Si ergo in testamento Christi ad dispositionis validitatem concurrebat tum voluntas donandi nobis caelestem haereditatem, tum etiam cruenta satisfactio a Patre con-

i') Et utroque modo, ut ex mox dicendis apparebit, sumitur in verbis consecrationis, secundum diversam formam qua utuntur evangelistae. Primo modo apud Matthaeum et Marcum, ubi vox testamentum ponitur in obliquo: *Hic est sanguis meus novi testamenti,* i. e. quo sancitur dispositio meae ultimae voluntatis. Alio modo apud Lucam et Paulum, ubi vox testamentum ponitur in recto : *Hic calix novum testamentum -est,* i. e. tabula dispositionis testamentariae quam in manibus vestris •et totius Ecclesiae relinquo.

stituta ut per quam firma rataque evadere l l iius sententia voluntatis, utrumque profecto in authentico instrumento debuit consignari. Bene autem sanguis in calice sa< r.unentaliter fusus utrumque exprimit; attestatur enim expiatoriam mortem quam pro salute nostra Redemptor noster obiit ; attestatur et ultimam eius voluntatem, *disponendi nobis sicut disposuit ei Pater cius, regnum* (*). Vere igitur et proprie dicitur *novum testamentum,* id est, testamentariae donationis Christi documentum et monumentum authenticum (2). Nam hoc est testamentum sublime, cuius tabulae per totum mundum a tot saeculis eduntur, et vocatis haeredibus quotidie praesentantur.

Ad 5nm denique dicendum quod verba illa dicta sunt a Christo in coena legali, ante institutionem sacramenti, ut constat ex Luca XXII, 17-20: «Et ait illis: Desiderio desideravi hoc « pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vo· « bis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in re· « gno Dei. *Et accepto calice, gratias egit et dixit : Accipite et « dividite inter vos : Dico enim vobis quod non bibam de gene· « ratione vitis donec regnum Dei veniat.* Et accepto pane gratias « egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum quod « pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. *Si· « militer et calicem, postquam coenavit, dicens : Hic est calix no· « vum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* », Ubi vides Lucam expresse distinguere calices duos, unum quem accepit Dominus inter coenandum, alterum postquam coenavit ; et ad priorem refert verba, *non bibam amodo de hoc genimine vitis,* etc. Atqui Lucas solet servare ordinem chronologicum, utpole qui initio sui Evangelii declarat se *ex ordine scribere.* E contra, Matthaeus ordinem saepe intervertit, ut apparet, ex. gr. in capite sequenti, ubi flagellationem et coronationem Christi

(*) Luc. XXII, 29.

(·) « *Cette coupe est le nouveau Testament en mon sang.* Comme s» • on disait : De même que ce papier où est écrite de la main de votre « père sa dernière volonté, est son testament, ainsi cette coupe sacrée « est le testament de Jésus-Christ par son sang qu'elle renferme, et dont « la dernière disposition devait être écrite ». Bossuet, uhi supra, 62",De jour.

nai rat post latam a Pilato sententiam, cum tamen ex Ioan. XIX 1-6, aperte constet flagellationem accidisse antequam a praeside Christus crucifigendus traderetur; imo vero flagellatio fuit ultimus Pilati conatus ut Christum salvaret a morte; sperabat enim ludaeorum animos ad commiserationem adducere. Verba itaque nobis obiecta, utpote dicta de calice coenae legalis, non sunt ad rem. Fuerunt tamen a Matthaeo et Marco qui coenam legalem non descripserunt, annexa institutioni Eucharistiae, ut quae rationem eius et causam exprimerent. Est enim Eucharistia, memoriale quod reliquit Christus abiens in propria et visibili specie, itemque viaticum quo confortati pervenire valemus ad aeternum illud convivium ad quod convocaverat discipulos, cum dixerat: *Non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat,* seu. ut habet Matthaeus, usquedum *illud bibam vobiscum novum tn regno Patris mei,* nectar coelestis gloriae significans. Et ideo, naturali quadam idearum connexione, adiuncta sunt a duobus evangelistis narrationi celebrationis sacramenti, verba quibus inter coenandum Dominus lesus de instanti suo discessu certiores fecerat discipulos, monueratque ultimum esse pascha figurativum. posthac implendum in regno Dei.

§ 3-

Superest ut argumentum Traditionis breviter proponatur: de quo videndus est omnino Bellarminus de Euchar., l. 2 per totum, et Card. Franzelin de Euchar., Thes. 8-9.

Praesupponendum est, duplicem esse in deposito revelationis categoriam credibilium. Prima est eorum quae ab omnibus necessitate vel medii vel simplicis praecepti semper fuerunt explicite credenda; de quibus nunquam potuerunt esse controversiae inter catholicos, quia ab initio cunctis fidelibus exstiterunt proposita per ordinarium exercitium ecclesiastici magisterii. Altera est eorum, quorum explicita cognitio de necessitate praecepti non est, quae etiam non semper fuerunt distincte proposita ab Ecclesia; unde et circa illa attenditur triplex illud stadium quod egregie exposuit Card. Franzelin, Thes. 23 de Tra-

ditione stadium dico fidei plus minusve implicitae, stadium motae controversiae, ac demum stadium consensus explicit! atque unanimis. consequens solemnem Concilii vel Pontificis definitionem. Cum autem dogma praesentiae realis, utpote pertinens ad ipsam substantiam cultus Christiani, in primo ordine credibilium evidenter debeat recenseri, eo ipso cadit sub notissimo canone Vincentii Lirinensis (P. L. 50, 640): « In ipsa item Ecclesia magnopere curan- « dum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab « omnibus creditum est ». Porro, etsi demonstratio consensus universalis quoad fidem realis Christi praesentiae sub speciebus sacramenti variis modis possit institui, non tamen illustriori modo fiet, quam si ex monumentis praeteritorum temporum, et potissimum quidem ex operibus Patrum, congerantur testimonia pertinentia ad diversas ac fere omnes partes Ecclesiae, ascendendo ab aevo in aevum, usque ad tempora apostolica. Tunc enim idem erit ac si universa Ecclesia cum omnibus suis pastoribus et doctoribus, martyribus ac populo fideli, in sua connexione cum apostolis, et per apostolos cum praedicatione ipsius Christi, sistatur coram, suam fidem contestans ; sicque evidentissime apparebit, dogma de quo agitur, purum intemeratumque ex fonte divinae Traditionis ad nos usque pervenisse. Et hoc modo agit Bellarrninus contra Protestantes, colligens testimonia omnium aetatum, incipiendo ab actis martyrii S. Andreae apostoli, producendoque testes innumerabiles usque ad saeculum XI.

Nos tamen utemur eo argumenti genere, quod insinuatum prius a Suarezio (1), fuit postmodum omnibus numeris absolutum per Cardinalem Franzelin, ubi supra, Thés. IX. Eminet, sin minus numero testimoniorum, at certe pondere eorumdem, quia vel unum solum testimonium potest esse instar plurimorum, quando refert non tantum communem fidem Ecclesiae unius aetatis, verum etiam conspirantem hostilium sectarum convictionem, per quam evidentissime excluditur possibilitas cuiuslibet innovationis ex parte catholicorum. Argumentum autem sic pro-

(1) Suarez, de Euchar., Disp. 46, Sect. 4, « Octavum caput addi « potest, etc. ».

ponitur: Constat de origine apostolica dogmatis quod in tota retro antiquitate Christiana firmiter retentum est, tum a catholicis, tum ab omnibus sectis quae sese a catholica communione separaverant, et iam ab initio, teste loanne, inceperant pullulare. Atqui eius conditionis esse ostenditur dogma praesentiae realis, utpote assumptum a Patribus tamquam *commune disputationis principium* contra omnis generis haereticos.

Primo, contra *Gnosticos Manichaeorum parentes.* Sic enim argumentatur Irenaeus l. 4 c. haeres., c. 18, n. 4-5 (P. G. 7, 1026 sq): Profitentur nobiscum Gnostici, transubstantiari panem et vinum in corpus et sanguinem Christi, et per hanc ipsam transuhstantiationem perfici sacrificium quod offertur Deo Patri. Quomodo igitur cum hac fide stare potest pravum eorum dogma quo asserunt panem et vinum fuisse creata, non a Deo Patre D. N. I. C.. sed ab alio quem fingunt visibilium omnium fabricatorem? Tunc enim, cum Deo offerunt sacrificium, offerunt ei, non de eius donis ac datis, sed de bono alieno, ipsumque ostendunt cupidum bonorum inimici, contumeliam facientes magis quam gratias agen» tes. Dicendum ergo est unum esse principium, unumque factorem sive visibilium sive invisibilium. Et similiter ex eodem communi dogmate, contra eosdem demonstrat Irenaeus, carnem esse capacem donationis Dei, id est, beatae resurrectionis (1).

Secundo, contra *Arianos* consubstantialitatem Filii negantes. Retorquet enim Hilarius,!. 8 de Trinit.,n. 16-17, argumentum quod ex hisce Evangelii verbis sumebant haeretici (P. L. 10, 248-49): « Ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me». Etenim, inquit, Pater et Filius sunt unum sicut et fideles unum sunt cum Christo. Atqui fideles cum Christo unum sunt, non per solam voluntatum concordiam, verum etiam *in quantum per* sacramentum communicatae carnis substantialiter in eis adest Christus. Ergo simili quodam modo, Filius dicitur unum cum Patre, non proper affectus unitatem, sed in quantum substantia Patris est in Filio per generationem communicata. Hinc Guitmundus, lib. 3 de corp, et sang. Domini (P. L. 149, 1474): « Commodissi-

(·) Irenaeus, c. haeres., I. 5, c. 2 (P. G. 7, ri2j sq).

« mum namque reor fore, ut quid etiam hi. mirabilis disputa- « tor, (Hilarium dicit), de Eucharistia Domini in l. 8 de Tri. « nitate sentiat, subtiliter attendamus. Contra Arianos quippe « disputans, ut substantialiter Patrem esse in Filio demonstraret, « ipsum Filium in nobis substantialiter esse per Eucharistiam «probavit». — Vide etiam Cyrillum Alexandrinum in cap. 15 bannis, ubi eodem utitur argumento (P. G. 74, 342 sq.).

Tertio, contra *Nestorianos* ponentes duas personas in Christo. Sic enim argumentatur Cyrillus l. 4 c. Nestor, c. 5 (P. G. 76, 190-91): Id quod accipimus in Eucharistia est vivificans. Atqui vivificans esse non potest id quod segregatum est et disiunctum ab eo qui est vita per essentiam. Ergo id quod in Eucharistia accipimus, non est seiunctum a Deo Verbo. Sed in Eucharistia accipimus carnem Christi; ergo caro Christi est propria caro Dei Verbi; ergo secundum hypostasim unitur ei. « Propria namque eius est, ait, et « non alterius cuiuspiam ab eo diversi qui seorsum intelligatur, et « unius e nostro numero hominis. Cum autem ab illa cum corpore «mystica veraque unione vivificum Dei Verbum segregaveris et « omnino distinxeris, quomodo ipsum corpus vivificum ostendes? «Qui porro est qui dicit: Qui manducat carnem meam et bibit « meum sanguinem, habet vitam aeternam. Nam si homo quispiam «seorsum, et non potius ipsum Verbum factum est simile no- « bis, res ipsa quae geritur, anthropophagia erit, et inutilis illa « participatio ».

Quarto, contra *Eutychianos* confusionem naturarum in Christo adstruentes. Sic enim ratiocinatur Theodoretus in dialogo *Inconfusus:* Eucharistiae sacramentum est imago mysterii incarnationis. Constat autem sacramentum ipsum duplici elemento, caelesti et terreno, corpore Christi et accidentibus panis, quae quidem accidentia a sua essentia non recedunt cum incipiunt continere corpus Christi, sed manent quod prius erant. Ergo a pari, Verbum incarnatum duas habet naturas, divinam scilicet et humanam, et unio humanitatis ad divinitatem in persona Verbi efficere nequaquam potuit ut humanitas a sua propria et distincta essentia recederet. Valde insignis est locus Theodoreti. Eranistes Eutychianus interrogat orthodoxum (P. G. 83, 167). «Qui appellas donum quod

« offertur, ante sacerdotis invocationem? — *Orth.* Aperte dicen-
« dum non est; verisimile enim est, adesse aliquos non initia-
tos. — *Eran.* Respondeatur aenigmatice. — *Orth.* Cibum ex
« talibus seminibus. — *Eran.* Alterum vero symbolum quomodo
« vocamus? — *Orth.* Commune et hoc nomen est, poculi spe-
« ciem significans. — *Eran.* Post sanctificationem vero, quo-
« modo haec appellas? — *Orth.* Corpus Christi, et sanguinem
« Christi. — *Eran.* Sicut symbola dominici corporis et sangui
« nis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem
« autem mutantur et alia fiunt, ita dominicum corpus post ascen-
« sionem in divinam substantiam mutatum est. — *Orth.* Reti-
« bus quae ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola my-
« stica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent
« enim in priori essentia, et figura, et forma, et conspici
« tangique possunt sicut et prius. Intelliguntur enim ea esse
« quae facta sunt, et creduntur, et adorantur ut quae illa sint
« quae creduntur (x). Confer igitur imaginem cum prototype,
« et videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse similem
« veritati ».

Quinto, contra *Macedonians* negantes divinitatem Spiritus Sancti. Sic enim argumentatur Isidorus Pelusiota, epist. lib. I, ep. 109 ad Marathonium (P. G. 78, 255): Spiritus Sanctus est qui transmutat dona in altari, et facit ea pretiosum corpus et sanguinem D. N. I. C., quod utique solius divinae potestatis esse potest: « Cum Deus et salvator noster homo factus, inquit, Spiritum San-
« ctum divinam complere Trinitatem tradiderit, atque... in my-
« stica mensa communem panem proprium incarnationis eius
« corpus (Spiritus Sanctus) reddat, quid tu, o vesane, eum quid-
« dani factitium, aut creatum, aut servilis naturae, ac non herilis
« et effectricis ac regiae essentiae cognatum et consubstantia-
lem Spiritum Sanctum esse doces? ».

(*) Id est, nonnisi acie intellectus fide illustrati potest cognosci id quod sub illis est, et circa ea factum est. Illud enim quod fuit mutatum est substantia quae ratione sui non est obiectum sensus. Quidquid autem per se est visibile et tangibile, (scilicet accidentia) non recessit a priori essentia, et figura, et forma.

Et haec quidem, pro more nostro breviter relata sufficiant. Qui plura desiderat, consulat auctores superius citatos ; quos cum legerit, videbit quanto iure liceat concludere contra Protestantes ipsissimis verbis quibus suam olim Augustinus concludebat disputationem contra Iulianum Pelagianum : « Numquid Irenaeus· « et Cyprianus..., et Hilarius, et Gregorius, et Basilius, et Am- « brosius, et Ioannes (Chrysostomus), de plebeia faece... in ve- « strain invidiam concitati sunt?... Isti episcopi sunt, graves, « sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanita- « tes... Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regio- « nibus ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in lo- « cum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare « possit ad homines. Quanto tibi essent isti iudices optabiliores· « si teneres catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores quia « oppugnas catholicam fidem ; quam in lacte suxerunt, quam in « cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisque mini- « straverunt, quam contra inimicos etiam vos, tunc nondum na- « tos, apertissime ac fortissime defenderunt. Talibus post apo- « stolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatori- « bus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo profanas voces ve- « strae novitatis expavit, et cauta ac sobria ex admonitione « apostolica, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et « mens eius corrumperetur a castitate quae est in Christo, in- « sidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit, et tamquam caput « colubri calcavit, obtrivit, abiecit. His igitur eloquiis et tanta « auctoritate sanctorum, profecto aut sanaberis, Dei misericordia « donante, (quod quantum tibi optem, videt qui faciat), aut si « quod abominor, in eadem quae tibi videtur sapientia perdu- « raveris, non tu iudices quaesiturus es ubi causam tuam purges. « sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles ca- « tholicae veritatis accuses, caeterosque socios ac participes eorum,. « insuper et universam Christi Ecclesiam, cui dominica cibaria « fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt » (1).

Cum igitur tantam habeamus impositam nubem testium

(·) Augustinus, l. 2 contra Iulianum, n. 37. (P. L. 44, 700).

vix potuerunt apud Patres colligi paucissimae quaedam subobscuriores locutiones, quae etiamsi commode explicari non possent, profecto in tanta luce, tantoque splendore consensus universalis Ecclesiae, certitudini dogmatis nequicquam officerent. Verum multum abest quin optimam interpretationem non patiantur, praesertim si consideres causas obscuritatis esse repetendas, partim quidem ex disciplina arcani, et partim ex securitate quam simplicitas fidei, nullo adhuc adversario in hac parte impugnata, necessario afferebat, partim ex assumptione dogmatis Eucharistiae loco communis principii argumentationis contra errores diversissimos, partim denique ex natura ipsius sacramenti in quo et veritas signo coniungitur, et corpus Christi adest non iuxta modum praesentiae naturalem, sed ea inexsistendi ratione quae soli fidei potest esse conspicua.

1. Disciplina arcani (x). — Ex hac lege manifestissime habes, non esse quaerendam plenam expositionem veritatis Eucharistiae in iis Patrum operibus apologeticis quae vel natura sua, vel ratione circumstantiarum, ad omnes promiscue destinabantur, tam fideles quam infideles seu non initiatos. Huiusmodi sunt quatuor libri Augustini *de doctrina Christiana,* scripti eo tempore quo incipiebat ipsa doctrina sacra passim evulgari, et a doctis etiam paganis ad trutinam revocari (a). Cum enim aliqua contineant, unde inexperti scandalum accipere possent, antidotum tradit Augustinus, monens non esse accipienda Scripturarum documenta secundum carnalem intellectum. Nihil ergo proficient

(*) Introducta fuit disciplina arcani consequenter ad praeceptum Christi, Mattii VII-6 : *Nolite dare sanctum canibus, neçue mittatis ntargarifas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* Et haec disciplina, quae sub initiis Ecclesiae possibilis erat, nunc autem possibilis amplius non est. maxime circa Eucharistiam observabatur; quod quidem evidenti indicio est, hoc sacramentum habitum esse apud primaevos Christianos ut mysterium sanctum per excellentiam, et potissimam Ecclesiae margaritam.

(*) Saeculo quarto exeunte et quinto ineunte studium hominum litteratorum ad sacram doctrinam undique convertebatur, ut apparet ex multis Augustini epistolis, ubi respondet ad quaestiones sibi factas ab hominibus laicis, imo adhuc paganis.

Sacranientarii ex l. 3, c. 16, sequentem Augustini regulam opponentes (P. L. 34. 74): « Si praeceptiva locutio... flagitium aut faci-
« nus videtur iubere..., figurata est. *Nisi manducaveritis,* inquit,
◊ *carnem Filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam*
* *in vobis.* Facinus vel flagitium videtur iubere ; figura est ergo,
◊ praecipiens passioni dominicae communicandum, et suaviter
* atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro
« eius crucifixa et vulnerata est ». Nam in primis observandum est quod in stylo Augustini figura inesse dicitur, quoties in aliquo facto vel praecepto latet aliquid mysterii, ratione cuius non debet crude accipi sicut ad litteram sonare videtur. Sic superius, in eodem libro tertio de doctrina Christiana, c. 12 (ib. 72, 73), dixerat: «Quae autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive
« tantum dicta, sive etiam facta sint, vel ex Dei persona, vel ex ho-
« minum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt». Non quod neget facta illa realiter accidisse, sed cum non sint de eo genere actionum quae ita intrinsece malae sunt, ut ne per divinam quidem dispensationem honestari queant, tollit scandalum ostendendo quomodo ordinabantur a Deo ut essent propheticae adumbrationes futurorum. Sic etiam dicit esse figurate intelligendum quod Magdalena Christi pedes unxit et lacrymis rigavit, quod sanata hemorroissa, Dominus interrogavit, *quis me tetigit?* Simili igitur ex causa, figuram esse ait in verbis evangelicis, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* etc. Ibi quippe aliquid est secretius intelligendum praeter id quod verba crude accepta prae se ferunt, mysterium est iubens non thyestaeum convivium seu horribilem anthropophagiam sicut Capharnaitae intellexerant et pagani olim calumniabantur (1), sed aliud longe

p) Istud flagitium sive facinus est, circa cuius remotionem maxime sollicitus esse solet Augustinus. Exponens enim psalmum nonagesimum octavum, sic dicit (P. L. 37, 1264) : « Durum illis visum est quod ait : Nisi
• quis manducaverit, etc. Acceperunt stulte, et *putaverunt quod praecisu-*
« rus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis»,—
Sedet super Evangelium secundum loannem : « Illi putabant erogaturum
▪ corpus suum, ille autem dixit se ascensurum in caelum, utique integrum.
▪ Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.., certe vel tunc

diversum. Nam id quod praecipitur manducari et bibi *ratione sui,* non est ipsum Christi corpus, ipse Christi sanguis, sed visibile sacramentum invisibiliter utrumque continens in cruentae passionis memoriam, iuxta illud Apostoli, I Cor. XI: «Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat». Quamquam non in nuda passionis Christi commemoratione consistat Eucharistiae celebratio ; at vero non solum non intendit Augustinus plenam et adaequatam catholici dogmatis expositionem tradere, sed imo ne mysteria revelet, arcani lege retinetur: idque unice ei prae scopo constitutum est, ut a studiosis christianae doctrinae removeat scandalum, quin prodat nondum initiatis id quod secretum manere debet. Hinc illud quod adeo frequenter in eius concionibus ad populum occurrit: *Noruntfideles corpus Christi... ecce coram catechumenis loquor, disputari inde modo non potest.* Hinc, Serm. 132, n. i (P. L. 38, 734), ait «Sicut audivimus, cum sanctum « evangelium legeretur, Dominus Iesus Christus exhortatus est « promissione vitae aeternae ad manducandam carnem suam, et « bibendum sanguinem suum. Qui audistis haec, nondum omnes « intellexistis. Qui enim baptizati et fideles estis, quid dixerit, « nostis. Qui autem inter vos adhuc catechumeni vel audientes « vocantur, potuerunt esse cum legeretur audientes, numquid et « intelligentes ? Ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui « iam manducant carnem Domini et bibunt sanguinem eius, co- « gitent quid manducent et quid bibant, ne sicut dicit Aposto- « lus, indicium sibi manducent et bibant. Qui autem nondum « manducant et nondum bibunt, ad tales epulas invitati festi- « nent... Et forte modo cum Evangelium legeretur, *dixistis in* «cordibus vestris: Putamus quid est quod dicit, *caro mea vere*

« *intelligetis quia gratia eius non consumitur morsibus*». — Et iterum: « Prout voluerunt ita intellexerunt, et more hominum, quia poterat « Iesus, aut hoc disponebat Iesus, carnem qua indutum erat Verbum, « *vetuli concisam distribuere credentibus in se* ». — Et paulo post: «Carnem quippe sic intellexerunt, *quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*». — Vide omnino Guitmundum, de corp, et sang. Dom. l. 2, (P. *L.* 149, 1454).

• *esca est, et sanguis meus vere potus est?* Quomodo manducamur caro Domini, et bibitur sanguis Domini? Quis contra te «clausit, ut hoc nescias? Velatum est; sed si volueris, erit re-« velatum. Accede ad professionem, et absolvisti quaestionem... « Ecce Pascha est, da nomen ad baptismum, Si non te excitat « festivitas, ducat ipsa curiositas, ut scias quid dictum sit: *Oui « manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me ma·« net, et ego in illo* » tl).

2. Securitas orta ex communi fide. — Sane vero evidens est, multas esse dictiones quae ante exortam haeresim sine periculo adhibentur, postmodum autem non ita. Unde in controversia Pelagiana respondet nonnunquam Augustinus adversariis objicientibus varia loca antecedentium Patrum : securius loquebantur antequam perversum vestrum dogma existeret. Nunc ergo si animadvertas quod usque ad tempora Berengarii nullus prodiit specialis error circa veritatem corporis Christi in sacramento, haud difficulter intelliges locum Augustini in libro contra Adimantum c. 12 (P. L. 42, 144), ubi explicans quamdam Deuteronomii sententiam quam Manichaei proponebant ut aperte contrariam Evangelio, et in qua dicitur sanguis esse anima carnis, sic habet ' « Ex eo quod scriptum est, sanguinem pecoris animam eis esse,. « praeter id quod supra dixi, non ad me pertinere quid agatur « de pecoris anima, possum etiam interpretari, praeceptum illud « in signo esse positum. Non enim dubitavit Dominus dicere : « *hoc est corpus meum,* cum signum daret corporis sui ». Nam etsi nunc temporis propositio ista, Christum dedisse signum, corporis sui, foret male sonans et suspecta de haeresi, habet

(·) Si quid historice constat, haec ipsa est de qua nunc sermo, lex arcani. Et ideo, eos qui se theologos dicunt critico-historicos, eiusmodi adiumentum pro defensione catholici dogmatis, ex propria eorum materia depromptam, ambabus manibus crederes esse arrepturos. Sed omnem admirationem superat, quod nihil e contra intentatum relinquunt, ut destruant. Quibus argumentis? Nullis, *de more.* Quid enim vel verosimile unquam afferetur contra tot et tanta et tam categorica testimonia quae colligit ex. gr. Franzelin, de Sacr. in gen. thes. 19? Solus igitur in causa hic est destructionis lubido.

-quemdam sensum plane orthodoxum, eumdemque tempore Augustini quo, ut ostensum est, in profitenda reali praesentia conveniebant omnes, tam catholici, quam acatholici, omnis ambiguitatis expertem. Eucharistia enim sumpta pro eo quod est *sacramentum tantum,* vere signum est corporis Christi, quia id quod tangimus, quod dentibus premimus, et cernimus oculis, non est ipsum Christi corpus, sed signum eius, signum dico non vacuum, signum continens rem significatam, signum tamen, utpote sacramentum.

Equidem non est diffitendum, nullam esse in re ipsa paritatem inter propositionem, *hoc est corpus meum,* et illam Deuteronomii a Manichaeo obiectam, *sanguis est anima carnis.* Ut enim esset paritas, oporteret pronomen *hoc* supponere in recto pro visibilibus speciebus seu accidentibus panis, quod verum non est, ut ex praemissis constat. Sed exinde nihil aliud sequitur nisi quod Augustinus non satis ponderavit formalem significationem subiecti, attentione ad alia distracta; sicut etiam nondum omnino assecutus erat proprietatem nominis *persona,* quando in l. 8 de Trinitate asserebat solo usu et consuetudine ecclesiastica factum fuisse ut tres personas, potius quam tres deos, liceret dicere. Quod autem in logica expositione terminorum propositionis *hoc est corpus meum,* aliquo modo lapsus sit, nemini mirum videri debet, praesertim consideranti quod ipso tempore S. Thomae, diversissimae adhuc opiniones in hac parte recensebantur et a variis magistris tradebantur, de quorum profecto fide in realem Christi praesentiam dubitare fas non est (1). Caeterum, quod

(*) «Quidam dixerunt quod in hac locutione, *hoc esi corpus meum,* haec dictio *hoc* importat demonstrationem ut conceptam, et non ut « exercitam, quia tota ista locutio sumitur materialiter, cum recitative « proferatur ; recitat enim sacerdos Christum dixisse *hoc est corpus « meum.* Sed hoc stare non potest... Et ideo alii dixerunt quod haec « dictio *hoc,* in hac locutione facit demonstrationem non ad sensum, «sed ad intellectum, ut sit sensus *s.gnijicatum per hoc, est corpus meum.* « Sed nec hoc stare potest... Et ideo alii dixerunt, quod haec dictio *hoc* « facit demonstrationem ad sensum ; sed intelligitur haec demonstratio, « non pro illo instanti locutionis quo profertur haec dictio, sed pro

Augustinus non habuerit Eucharistiam ut vacuum signum corporis Christi, quis ambigeret? «In principio ergo disputationis nostrae, «ait Guitmundus, l. 3 de corp, et sang. Doni. (P. L. 149, «1468), quoniam ex beato Augustino scandali pene totius vi- «detur esse principium, quid nobilissimus idem Doctor de sacri- «ficio Ecclesiae in expositione tituli Psalmi XXXIII sentiat, videa- «mus. Tractans enim quomodo David in manibus suis ferebatur «coram Achimelech, ait: *Hoc vero, fratres, quomodo possitfieri «in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? «Aliorum potest portari homo in manibus, suis nemo portatur. «Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non «invenimus; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Chri- «stus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, «ait: Hoc est coipus meum, Ferebat enim illud corpus in ma- «nibiis suis.* O sententia vere excellentissimo Doctore Augustino «dignissima...! Quod in David, inquit, et in aliis hominibus «secundum litteram non invenitur, in Christo invenitur... Quis «enim fere hominum aliquam sui figuram, in qua non sit sub- «stantia sua, (puta statuam vel picturam), in manibus suis ferre «non possit? Sed hoc, inquit, in ipso David non invenimus, et «manibus suis nemo portatur. In Christo autem, ait, invenimus. «Quoniam ergo dicit in Christo inveniri quod in David et in «aliis hominibus quomodo intelligatur non invenit, restat ma- «nifestissime quod non figuram tantum vel umbram, sicut ad- «versarii nostri dicunt, sed substantiam sui corporis, iuxta «Augustinum, ferebat Christus. Quid hic umbratici respondе- «bunt? (1). Alius quoque insignis Augustini locus est, Enarr.

«ultimo instanti locutionis... Sed nec hoc stare potest, etc.». Ita S. Thomas, infra q. 78, art. 5. — Cf. etiam S. Bonaventura, in IV, D. 8, Part. 2, a. 1, q. 1.

(1) Respondent tamen quod Augustinus in sermone sequenti, resumendo id quod pridie dixerat, apposuit aliquid multum diminuens et extenuans priorem suam affirmationem, eamque harmonizans cum conceptione praesentiae symbolicae, quae vera est Augustini conceptio: «Accepit, inquit, in manus suas quod norunt fideles, et ipse se portabat *a quodam modo,* cum diceret: hoc est corpus meum». — Sed veniam

in Γs. 98, n. 9 (P. L. 37, 1264), ubi de illa adoratione tractat, quae sine- impietate deferri non potest nisi ei qui fecit coelum et terram, et tamen defertur alicui terrae, id est alicui carni, *priusquam manducetur.* Et est caro Christi, hypostatice unita Filio Dei.

Sed ne in congerendis citationibus, ad defendendam Augustini fidem, diutius quam par est immoremur, sit pro aliis omnibus quae afferri possent, haec una eius responsio ad inquisitiones lanuarii (epist. 54, n. 4 et 8', de communione quotidiana et ieiunio eucharistico. Prior quaestio erat, utrum sit probanda communio quotidiana, an non. Tunc enim temporis, tam

peto. Nihil diminuitur, nihil extenuatur per istud *quodam modo,* quia non obstante reali praesentia veri, historici, et materialis corporis Christi, necessario debuit aut dici aut certe subintelligi Illud enim *simpliciter.* et non solum *quodam modo* portatur, defertur, movetur, circa quod vel immediate vel mediate exercetur actio portandi, movendi, transferendi. Hoc autem circa corpus Christi prout in Eucharistia, impossibile est contingere. Non enim cogitandum est corpus Christi esse in sacramento sicut homo sedens in curru. Si esset in sacramento sicut homo sedens in curru, portando vel movendo sacramentum, portarem utique et moverem corpus Christi, *non quodam modo,* sed *simpliciter.* nam cum homo in rheda sedens participet omnem motum mechanicum qui rhedae imprimitur, influendo motum rhedae, sedenti quoque in ea influerem. Sed non sic est in Eucharistia, quia speciebus motis ad dexteram vel sinistram, corpus Christi hunc motum non patitur, et cum neutralizatur circa species per actionem portandi influxus terrestris attractionis, non neutralizatur circa ipsum Christi corpus, quod per vim gravitatis in sacramento nequaquam attingitur. Ideo non simpliciter aut portatur aut movetur, sed quodam modo, quatenus moventur aut portantur species ipsum continentes, ipso interim manente immoto motu illo, et per vim terrestris gravitatis nequaquam sollicitato. *Quae omnia consequentia sunt ‹id modum continentiae in sacramento; qui continentiae modus non est modus localis seu quantilativus, ut in Q. 76, praesertim fhes.* i- explicabitur. Sed qui theologiam scholasticam despiciunt, nullam de his notionem habent, et ideo in hoc *quodam modo* tanquam in lapidem scandali offendunt, existimantes extenuari affirmationem qua dictum fuerat ab Augustino, verificari in Christo quod in nullo alio homine verificari potest : *Aliorum potest portari homo in manibus, suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus.*

pro affirmativa quam pro negativa, non spernendae rationes afferebantur: « *Dixerit aliquis* non quotidie accipiendam eucharistiam: quaesieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies ♦quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum sa· « cramentum dignus accedat. Qui enim manducaverit indigne, «indicium sibi manducat et bibit. *Alius contra:* Imo, inquit, ♦si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medica- « menta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ♦ab altari removeri ad agendam poenitentiam, et eadem aucto- « ritate reconciliari. Ceterum, si peccata tanta non sint, ut ex- ♦ communicandus quisquain homo iudicetur, non se debet a ‹ quotidiana medicina corporis dominici separare».

Quid ad haec Augustinus ?

« Rectius, ait, inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui « monet ut faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie « credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus « et sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certa- « tim honorare contendunt». Ratio est, quia unus honorando non audet quotidie sumere, alter honorando non audet ullo die praetermittere. Quod statim confirmat Augustinus similitudine Zachaei cum gaudio excipientis Christum in domum suam, tum Centurionis sese tanto honore indignum profitentis. « *Neque enim « litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri praeposuit, « Zachaeus et ille Centurio, cum alter eorum gaudens in do- « muni suam susceperit Christum, alter dixerit: Non sum di- •gnus ut intres sub tectum meum: ambo Salvatorem honori « picantes diverso et quasi contrario modo : ambo peccatis miseri, « ambo misericordiam consecuti* Dicant nunc qui non verentur fidem Augustini de reali praesentia in dubium revocare, vel etiam negare : dicant quid sentiant de responsione ista, utrum sit responsio persuasum habentis recipi in Eucharistia vacuum signum seu simulacrum corporis Christi, an non potius ipsum in persona Christum quem sub tectum suum gaudens suscepit Zachaeus, Centurio autem prae nimia reverentia non ausus est invitare.

Altera quaestio erat de lege ieiunii eucharistici, cui opponi

•batur circumstantia institutionis sacramenti, cum liquido ap-
. t, quando primum acceperunt discipuli corpus et sangui-
i. " Domini, non eos accepisse ieiunos.

Ad haec iterum, quid Augustinus ?

« Numquid tamen, ait, calumniandum est universae Eccle-
siae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit
« Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os chri-
« stiani prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi; nam
« ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim,
* quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi fratres aut
« coenati ad illud sacramentum accipiendum convenire debent.
« Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii
« huius altitudinem, ultimo hoc voluit altius infigere cordibus
« et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus
« erat. Et ideo non praecepit quo deinceps ordine sumeretur,
« ut apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc
« locum ».

Responsio igitur in eo est, quod ratio institutionis et primae ministrationis Eucharistiae *postquam coenatum est,* non est desumenda ex circumstantia coenae in quantum coena fuit, sed in quantum ultimus conventus in quo valedicebat Dominus suis discipulis antequam pateretur, non amplius cum eis in hac vita mortali conversaturus. Sed quid, putas, causae fuit secundum Augustinum, cur voluit Christus ultimum hoc altius infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus digrediebatur pergens ad mortem crucis? *Quo vehementius,* inquit, *commendaret mysterii huius altitudinem.* Nunc ergo dicant modernistae nostri, ubi esset in ea mente quam Augustino affingunt, altitudo et profunditas mysterii. Dicant an cum qualibet verisimilitudine admitti possit, hanc mysterii altitudinem aliam esse ab ea quam semper agnovit Ecclesia catholica, praesentiae corporis Christi sub modici panis specie, vere, realiter, substantialiter.

Tandem nota semel pro semper, facile explicari cur apud Augustinum in suis homiliis ad populum, non inveniantur categoricae explicationes de reali Christi praesentia in sacramento. Ipse enim prae ceteris, legis arcani tenaciorem ubique se exhi-

bet in iis omnibus quae scripto consignat vel consignari permittebat: ita ut in ipsis locis in quibus apertius loquitur semper praeoccupatus appareat timore revelandi sacrosancta mysteria. Vide rursus ad exemplum, exordium secundi serm, in Psal. XXXIII, ubi resumit ea quae pridie exposuerat et quae paulo supra a Guitmundo citabantur (P. L. 36, 308): « Et ferebatur, in« quit, in manibus suis; quomodo ferebatur in manibus suis? quia «cum commendaret *ipsum corpus suum* et sanguinem suum, *accepit in manus suas quod noruntfideles* ». Et in sermone primo, « n. 5 (ib. 303), dixerat: Nondum erat sacrificium corporis et san« guinis Domini, *quod fideles norunt,* et qui evangelium lege« runt» fl). Iam vero haec ipsa affectata cura tegendi quantum in ipso erat, Eucharistiae mysterium, iam per se solam praeclarum exhiberet testimonium fidei Augustini; nam, quaeso, quale tandem foret grande illud secretum, ut de nudo signo sacramentali corporis Christi, nequidem coram catechumenis disputare liceret?

3. Usus dogmatis polemicus. — Tertia est ratio qua explicantur obscurae quaedam locutiones Patrum. Contingebat enim ut dogma praesentiae realis loco principii assumptum, non haberet nisi longinquam connexionem cum veritate controversa; inde satis intorta videtur argumentatio, et ex argumentationis nimia subtilitate consequitur obscuritas. Sit ad exemplum illud Tertulliani, l. 4 contra Marcionem, c. 40 (P. L. 2, 450): «Acceptum(*)

(*) Eiusdem tenacitatis documentum haud spernendum accipi etiam potest ex hoc quod invenimus Augustinum solere in solemnitale Paschae excusare se de brevitate sermonis, propter sermonem alium eadem die habendum ad infantes, ut de sacramento eucharistiae specialiter instruerentur. Vide serm. 226 in fine, et 288, n. 3 (P. L. 38, 1099, 1102). Et tamen sermones illi annuntiati, *debiti infantibus,* in scriptis Augustini aut nullo modo, autcerte non in extenso reperiunlur. Nam in sermone 227 (ib. 1099). qui solus opponi posset, pars catechetica duabus brevibus propositionibus absolvitur, schematis seu recapitulationis instar, statimque transitus fit ad mysticas considerationes quibus totum corpus orationis constat. Atqui evidens est quod quacumque hypothesi facta, non simplici illa thesis enuntiatione poterant neophyti instrui de secreto tam diligenter custodito, tam solemnitvr promisso. Dicendum igitur quod pars sermonis quae proprie dictam continebat catechesim, fuit in scriptis praetermissa.

« i unem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *hcc* *'f corpus meum* dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritas esset corporis. Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse « istam figuram corporis Christi dicentis per leremiam *Adver·* « u/r *me cogitaverunt cogitatum dicentes : venite, conuciamus « lignum in panem eius,* scilicet crucem in corpus eius. Itaque « illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse pa- « nem, satis declaravit, corpus suum vocans panem ·. Vult quippe Tertullianus demonstrare corpus Christi habuisse figuram antiquitus, ut inde contra Marcionem concludat corpus Christi non fuisse phantasticum sicut haeretici dicebant : nam, inquit, phantasma figuram non habet, sicut umbra non habet umbram. Antecedens vero demonstrat ex leremia, apud quem corpus Christi figuratur per panem ; quam figuram antea ignotam aperuit ipse Christus illuminator antiquitatum, in ultima coena faciendo panem corpus suum. Quibus praemissis, dico Tertullianum non habuisse Eucharistiam ut ipsam umbram et vacuam figuram corporis Christi. Etenim primo, semper refert figuram ad tempus antiquum : « *Figura non fuisset,* inquit : *non intelli- • gens veterem fuisse figuram ; quid tunc voluerit significasse • panem,* etc ». Praeterea secundo, asserit Christum implevisse in coena figuram in leremia contentam, cum tamen figura panis apud Prophetam, non possit impleri per aliam figuram panis in Novo Testamento. Quapropter sensus Tertulliani est, Christum in coena facto suo prodidisse id quod in antiqua prophetia se habebat ad corpus suum ut figura ad figuratum. Caeterum propositio ista : « Acceptum panem corpus suum illum « fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis « mei », intelligenda est cum hyperbate a Tertulliano non rara usurpata, ut sit sensus : *Hoc, id est, antiqua figura corporis mei, nunc est, vel fit corpus meum. Nam* in r. contra Praxeam c. 29 (P. L. 2, 194), eodem modo dicit : « Christus mortuu·, est, id « est, unctus », ut sensus sit : Christus, id est unctus, mortuus est.

Et rursus, l 4 cont. Marc., u (ib. 383) : « Aperiam in parabolam «aurem meam, id est, similitudinem ».

Contingebat etiam ut argumentatio contra haereticos tota constaret in adstruenda quadam similitudine inter mysterium Eucharistiae et mysterium Incarnationis, sicut accidit in controversia Eutychiana, in qua iuxta superius praemissa, catholici asserebant non fuisse absorptam humanitatem a divinitate, sed mansisse in propria forma et essentia, eo fere modo quo in altaris sacramento accidentia panis manent integra et quoad essentiam immutata. Hinc fit ut quidam duriores loquendi modi reperiantur qui viderentur importare permanentiam, non accidentium tantum, sed et ipsius panis substantiae. Comparatio videlicet urgetur, et ut accidere solet, adhibentur verba exaggerantia similitudinem ; non tamen ita ut apparens exaggeratio convenienti antidoto, si dicere fas est, destituatur. In iisdem enim locis signanter asseritur, panem et vinum, Spiritu Sancto operante, in corporis et sanguinis Christi transire substantiam. Hinc facile solves nonnulla quae ex Patribus difficilia videri possent apud Hardouin, *de Sacramento altaris.*

4. Natura Sacramenti. — In hoc quippe mysterio veritas corporis Christi signo specierum coniungitur, et ita quidem ut omnino sub signo delitescat, ac per hoc, licet Christus sit ibi substantialiter praesens, tamen est aliquo modo absens et nondum plene in rerum veritate possessus, quia non possidetur in propria specie, sed sub velo impenetrabili. Inde est illud liturgiae nostrae quo abutebantur Berengariani : « Perficiant in nobis, « Domine, quaesumus, tua sacramenta quod continent, ut quae « nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus » f1).

Et ex eadem conditione *sacramenti* lucem accipiunt loca

(') Postcotnmunio Sabbati quatuor temporum Septembris. — « Il «ne convient pas à l'état de pèlerinage où nous sommes, d'avoir ni «de posséder Jésus-Christ tout pur... Il ne laisse pas d'être tout en- « tier dans ce sacrement, puisqu'il l' a dit, mais il y est caché à notre « vue, et n'y parait qu'à notre foi. Nous demandons donc qu'il se ma- « nifeste, que la foi devienne vue, et que les sacrements soient enfin « changés en la claire apparition de sa gloire... C' est quelque chose à

i;i.< veterum, iam dudum a Protestantibus collecta, et nunc .knuo exhumata a saepe iam dictis auctoribus theologiae historico-positivae. Qui specialiter insistunt in libro Ratramni. scriptoris saeculi IX, coaevi et sodalis S. Paschasii Radberti, sub imperatore Carolo Calvo ζl), In quo quidem libro, responsivo ad consultationem imperatoris, inveniunt doctores catholicos divisos circa Eucharistiam, ac disputantes utrum corpus Christi ibi in mysterio sit, an in veritate, et utrum corpus sacramentale debeat dici idem vel non idem cum corpore de Virgine nato et passo in cruce. Atque hinc deducunt quod usque ad epocham quae proxime antecessit tempora Gregorii VII et Innocentii III, cum formales editae sunt definitiones de reali praesentia et transubstantiatione, alii adhuc erant symbolistae. alii realistae, et quod ex consequenti, nondum erat fixa Ecclesiae sententia quantum ad ipsam substantiam dogmatis Eucharistiae. Sed sciendum est, controversiam et consultationem illam longe alium habuisse sensum ab eo quem isti imaginantur. In mysterio, an in veritate, id est. sub aliqua figura, an nulla sub figura, ut n. 2-9, ipse Ratramnus explicat; quatenus id quod manibus tractatur, oculis cernitur, palato gustatur, ira frangitur, sit reipsa ipsum Christi corpus, vel 1|0 | sit. Erant enim qui id volebant, id asserebant, •■xistim | | hri-tt in Eucharista tam immediate tangi, videri, palpari, quam in>-mediate tangitur et videtur corpus aliud quodlibet. Et haec e>t falsa imaginatio, hodiedum apud multos simplices p-r-· re·' quam iuxta principia verae theologiae et illumine tramnus destruit. Et ad idem pertinebat altera quaestio, quae non tam alia quaestio erat, quam diversa forma praecedentis. Quia si id quod cernitur, quod tangitur, quod gustatur, esset(*)

« l'épouse de savoir l'époux dans la maison, et d'en sentir déjà, pour « ainsi dire, les parfums ; mais si on n'ouvre la porte, si on ne perce « les voiles, en un mot, si elle ne voit, les rigueurs de l'absence ne « finissent pas, mais plutôt elles se font mieux sentir». Bossuet. *Explication de quelques difficultés sur les prières de la messe,* n. 42-43.

(*) Migne, Patr. Lat. Torn. rat.

ipsum corpus Christi in sacramento datum, sequeretur utique, non esse idem cum corpore de Virgine nato, et passo in cruce. Et hic sensus fuit concertationis saeculo IX inter quosdam exortae, cuius solutionem quaesierat Carolus imperator (1), In qua quidem nihil fuit commune cum haereticali distinctione inter corpus Christi sacramentale, id est imaginarium, et corpus eius verum, ad mentem hodiernorum novatorum. Sed qui ista legit informatus principiis sanae theologiae, qui nihil cognoscit de distinctione inter substantiam materialem et accidentia eius, qui traditionalem doctrinam de speciebus eucharisticis absurdam reputat inventionem cum aristotelica philosophia introductam, non assequetur quomodo ibi esse possit figura simul et realitas, latens realitas materialis corporis Christi, et sensibilis figura in remanentibus accidentibus panis. Et dicet: Qui figuram in sacramento asserit, excludit realitem, et qui realitatem ponit, excludit figuram, cum tamen utrumque rectissime affirmetur. Rursus dicet: Si non est ipsum corpus de Virgine natum, id quod sensus nostri in Eucharistia attingunt : ergo corpus Christi eucharisticum est aliud a corpore eius naturali. At difficultas evanesceret, si cogitaremus esse revera in sacramento signum simul et realitatem ; signum quantum ad species quae apparent exterius, realitatem quantum ad id quod sub speciebus continetur.

Adhuc, species consecratae corporis et sanguinis rationem habent imaginis respectu cruentae mortis quam olim in cruce passus est Christus. Porro, sola haec cruenta oblatio fuit proprie loquendo, Christi *immolatio* sive *mactatio ;* nam licet in Eucharistia verum ac proprie dictum offeratur sacrificium, non tamen in ea proprie immolatur Christus, sed mystice tantum, id est in sola sacramentali repraesentatione; non enim iterum occiditur, sed solum induit sub speciebus sacramenti externum characterem mactationis suae. Hinc facile explicatur dictum Augustini, epist. 98 ad Boniacium, n. 9 (P. L. 33, 363) : « Nonne semel immolatus est(*)

(*) Id multis ostendit doctor Sorbonicus, I. B. Boileau, in suis notis ad Ratramnum, apud Migne, l. c.

Christus in seipso, et tamen in sacramento non solum per
Pinnes Paschae solemnitates, sed omni die populis immolatur,
utique mentitur qui interrogatus responderit *immolari.* Si
nim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum
I ramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent.
« Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum
· r.omina accipiunt. Sicut ergo *secundum quemdam modum sa·*
« *tramentum corporis Christi corpus Christi est,* (utique mortuum
« et mactatum), *sacramentum sanguinis Christi, sanguis Chri-*
« *sti est,* (utique effusus et a corpore separatus), *ita sacramen-*
« *tum fidei* (baptismus) *fides est* » (1). Adhuc, veritas corporis Christi sub speciebus habet rationem signi respectu corporis eius mystici quod per charitatem coagmentatur; recte ergo idem Augustinus, Serm 227, in die Paschae 4 ad infantes, ait (P. L. 38, 1099): «Si bene accepistis, vos estis quod accepistis». Denique, ratione significationis quae inesl corpori Christi in sacramento respectu futurae gloriae, intelligitur quare Eucharistia dicta sit a Nazianzeno et Damasceno typus nostrae salutis, seu antitypa futurorum, conformiter ad id quod in postcommunione missae Sanctissimi Sacramenti profitemur: *Fac nos, quaesumus. Domine, divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat.*

(1) Ibi respondet Augustinus ad quaestionem Bonifacii: quomodo parvuli baptizati dici possint fideles, seu habentes fidem. Et notandum quod tunc temporis, non ita notum erat, habitum fidei infundi parvulis in baptismo. Unde in responsione sua Augustinus ad hanc considerationem non descendit, quae nunc nobis est evidentissima. Sed contentus est animadvertere, parvulos dici habere fidem, in quantum habent sacramentum fidei quod est baptismus. Nam, ait, sacramentum seu signum sacrum alicuius rei, res illa est secundum quemdam modum, et eodem nomine recenseri solet, idque confirmat exemplo Eucharistiae. Quia etsi in Eucharistia Christus non vere immoletur, adhuc tamen immolari dicitur, quatenus sistitur in sacramento sub signis suae immolationis in cruce: ut scilicet sacramentum corporis Christi sit secundum quemdam modum corpus Christi (denuo immolatum), et sacramentum sanguinis Christi, secundum quemdam modum sanguis Christi (denuo eftusus et separatus a corpore;.

Sed etsi unum idemque sit numero con us quod in caelis regnat et in sacramento praesens est, non h.'bet tamen utrobique eumdem modum praesentiae. Hinc est quod distinguunt Patres carnem Christi quae pro nobis crucifixa est, a carne eius *intelligibili,* non introducentes distinctionem substantiae, sed duplicem adessendi rationem significantes, in propria scilicet et sub aliena specie, sub qua obiectum sensus esse non potest, sed solius intellectus fide illustrati, et hac de causa spiritualem praesentiae modum habere rectissime dicitur. Unde Hieronymus in Ephes. l-7 (P. L. 26, 451): « Dupliciter, ait, sanguis Christi et «caro intelligitur: vel spiritualis illa atque divina de qua ipse « dixit : *caro mea esi cibus,* vel caro et sanguis, quae crucifixa «est, et qui militis effusus est lancea». Et eodem sensu accipiendus est Augustinus cum Enarrat, in Psalm. 98 (P. L. 37, 1265), dicit: «Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, «et bibituri sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent».

Ultimo nota quod cum iuxta Tridentinum distingui debeat manducatio quae est *sacramentalis tantum,* a manducatione quae est *sacramentalis simul et spiritualis,* id est cum fructu coniuncta, haud difficulter intelligitur quid sibi velit Augustinus, quoties asserit peccatores, non manducare corpus eius verum. Non enim manducant in eum finem ad quem institutum est sacramentum, sed ad proprium iudicium propriamque condemnationem, iuxta notissiman apostoli Pauli sententiam.

Et de difficultatibus quae apud Patres occurrunt hactenus satis. Quae omnes ultimo tandem refunduntur in specialem rationem sacramenti Eucharistiae, in quo invenitur coniuncta veritas cum figura, realitas cum signo, et cum praesentia *non locali,* substantialis praesentia corporis *in loco.* Neque enim status fidei seu vitae praesentis fert ut Christo aperta facie fruamur, sed exigit ut ipsum habeamus sub aliena specie occultatum, adeoque invisibiliter, etsi substantialiter praesentem fl). Hinc ergo provenit apparens illa testimoniorum traditionis contrarietas in qua(*)

(*) De his vide omnino Bossuet, *Histoire des variations des églises protestantes,* l. 4, per totum.

liqui turbantur. Et idem fere accidit circa incarnationis mysterium apud antiquiores illos Patres quos disputationes haereticorum nondum coegerant ad modos dicendi omnino praecisos. Et neratim loquendo, quoties oportet componere simul duas res oppositae videntur, sicut in dogmatibus trinitatis et incarnationis, esse aequalem et esse minorem, vel in sacramento eucharistiae, contineri substantialiter et contineri in signo, consequitur quaedam loquendi ratio quae confusa apparet, nisi quis teneat, si dici possit, Ecclesiae elavem, et adaequatam notionem revelati mysterii. Quam quidam non habentes, ad omnem fere passum offendunt, et in theologia positiva occasionem inveniunt ruinae spiritualis tam pro se quam pro aliis f1).

(›) Hoc est quod observavit Bossuet ubi supra, ostendens quomodo Mélanchton a fide realis praesentiae in sententiam sacramentariorum tandem declinaverit. « Pendant que Bucer et ses disciples, ennemis si oéclarés de la doctrine de Luther sur la présence réelle, s'en rapprochaient, Mélanchton. le cher disciple du même Luther, l'auteur de la « confession đ Augsbourg et de Γ apologie où il avait soutenu la réalité «jusqu'à paraître incliner vers la transubstantiation, commençait à se «laisser ébranler. Ce fut en 1535 ou environ que ce doute lui vint dans « l'esprit, car auparavant on a pu voir jusqu'à quel point il était ferme. « Il avait même composé un livre du sentiment des saints Pères sur la « cène, où il avait recueilli beaucoup de passages très exprès pour la « présence réelle. Comme la critique en ce temps n'était pas enc re fort « fine, il s' aperçut dans la suite qu' il y en avait quelques-uns de supposés. « et que des copistes ignorants ou peu soigneux, avaient attribué aux « anciens des ouvrages dont ils n'étaient pas les auteurs. Cela le troubla, encore qu'il eût produit un assez bon nombre de passages incontestablés. Mais ce qui l'embarrassa davantage, c'est de trouver dans les «anciens beaucoup d'endroits où ils appelaient l'eucharistie une figure. « Il ramassait les passages, et il était étonné, disait il, *d'y voir une grande « diversité.* Faible théologien, qui ne songeait pas que l'état de foi ni «de cette vie ne permettait pas que nous jouissions de *J. C.* à découvert, de sorte qu'il se donnait sous une forme étrangère, joignant nécessairement la vérité avec la figure, et la présence réelle avec un «signe extérieur qui nous la couvrait. C'est de là que vient dans les « Pères cette diversité apparente qui étonnait Mélanchton. La même «chose lui eût paru, s'il y eût pris garde de près, sur le mystère de «l'incarnation et sur la divinité du Fils de Dieu, avant que les disputes

Adhuc superessent nonnulla quae ex cai.<>ne et ordine Missae obiicere solent haeretici. Sed cum stiblin·· - illae preces ut recte intelligantur, praerequirant multas notiones circa rationem et propriam conditionem *sacrificii,* in ultima huius tractatus parte discutiendae relinquuntur.

§ 4.

Ratio demum quae ostendit conveniens fuisse ut in hoc sacramento ipse Christus contineretur, in principio huius tractatus iam dicta est, inquit S. Thomas in IV, D. 10, q. 1, a. 1. «Quia « scilicet non ita perfecte Christus nobis coniungeretur, si sola « sacramenta illa haberemus in quibus coniungitur nobis Christus « per virtutem suam in sacramentis illis participatam ; et ideo « oportet esse aliquod sacramentum in quo Christus non parti- « cipative, sed per suam essentiam contineatur, ut sit perfecta « coniunctio capitis ad membra. Consequuntur autem et aliae « utilitates, sicut ostensio maximae charitatis in hoc quod seipsum « dat nobis in cibum, sublevatio spei ex tam familiari coniun-

«des hérétiques eussent obligé les Pères à en parler plus précisément. « Et en général, toutes les fois qu' il faut accorder ensemble deux vérités «qui semblent contraires, comme dans le mystère de la Trinité et dans «celui de l'incarnation, être égal et être au dessous, et dans le sacre- «ment de l'eucharistie, être présent et être en figure, il se fait naturel- «lement une espèce de langage qui parait confus, à moins qu'on n'ait « pour ainsi parler, la clé de l' Eglise et l' entière compréhension de tout « le mystère, outre les autres raisons qui obligeaient les saints Pères à «envelopper les mystères en certains endroits, donnant en d'autres des • moyens certains de les entendre. Mélanchton n' en savait pas tant. «Ebloui du nom de réforme, et de l'extérieur alors assez spécieux de «Luther, il s'était d'abord jeté dans son parti. Jeune encore, grand hu- « maniste, mais seulement humaniste..., il n'avait guère pu apprendre ‹ d'antiquité ecclésiastique avec son maître Luther, et il était tourmenté « d'une étrange sorte des contrariétés qu' il croyait voir dans les saints « Pères. Pour achever de l' embarrasser, il fallut encore qu' il allât tomber «sur le livre de Ratramne qui commençait alors à paraître, etc. ».

ctione ad ipsum, et maximum meritum fidei in hoc quod ere « duntur multa in hoc sacramento quae non solum praeter rationem sunt, sed etiam contra sensum, ut videtur ; et multae aliae utilitates quae explicari sufficienter non possent»^),

THESIS XXXIX.

(Art. 2-4).

Post consecrationem statim cessat tota substantia panis et vini, quae tamen non annihilatur, sed transubstantiatur in corpus et sanguinem Christi. Et quia non est aliqua possibilis via qua ipsum Christi corpus verum incipiat esse in sacramento, nisi per huiusmodi conversionem, dicendum est transubstantiationis dogma ita intime et necessario cohaerere cum dogmate praesentiae realis, ut unum sine altero omnino consistere non possit.

9 ■

Ut demonstret substantiam panis post consecrationem non manere, affert S. Thomas in praesenti rationes quatuor, quarum prima est, quia conversio totius substantiae panis est unica possibilis via ad sacramentalem praesentiam ; ergo necesse est ut panis substantia desinat, nam id quod convertitur in aliquid, facta conversione, non manet. In quo quidem argumento consequentia est evidens, sed principium ipsum relinquitur infra demonstrandum. Ex tribus autem aliis rationibus, principalis illa est quae sumitur ex verbis formae, et hoc modo potest exponi :

Si remaneret substantia panis simul cum corpore Christi, propositio *hoc est corpus meum* vera non esset. Quando enim contingit ut una substantia lateat in alia quae suis propriis accidentibus exterius manifestatur, pronomen demonstrativum *hoc,*

(·) Cf. Bullam Urbani IV *Transiturus de hoc mundo ad Patrem,* in corp, iur., Clementin. l. 4, Tit. 10 de reliquiis et veneratione Sanctorum.

pro ea substantia cuius sunt accidentia prop; i.t, necessario sup. ponit, nisi forte unum ad continendum aliud communi usu et destinatione ordinetur. Bene enim demonstrata lagena dices: hoc est vinum ; non tamen demonstrato pane in quo nummus delitescit, recte diceretur : hoc est nummus, sed : hic (adverbialiter) est nummus. Et ratio regulae est quia cum dictio *hoc* significet substantiam per ordinem ad accidentia quae eam sensibus externis manifestant, quamdiu permanet propria substantia sub propriis accidentibus, necesse est ut accidentia sint manifestativa illius substantiae quam afficiunt. Ratio vero exceptionis est quia, demonstrato eo quod natura sua vel communi usu destinatur ad continendum aliud, propositio habet veritatem secundum vulgarem illam metaphoram qua continens pro contento accipitur.

Atqui panis nec natura sua nec usu communi ordinatur ad continendum corpus Christi ; unde dicta metaphora locum ibi habere nequaquam potest. Remanente igitur substantia propria accidentium, quae est panis, oporteret subiectum *hoc* supponere pro ea, et sic veritatem nunquam haberet forma sacramenti : « Nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potius « esset dicendum : hic est corpus meum » (1).

Cessat ergo substantia panis, et totaliter cessat, scilicet tam secundum materiam quam secundum formam. Non enim posset remanere materia ad sensum Durandi, nisi in quantum tot generarentur nova Christi corpora, quot fiunt consecrationes. Atqui hoc est omnino absurdum, et contra veritatem verborum Evangelii Ioan. VI-51 : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,tà*\ corpus in Eucharistia exsistens dicitur esse ipsum corpus quod fuit in cruce oblatum pro salute mundi.

Sed nunc, quomodo cesset panis substantia, statim videndum est; dico autem, non annihilatione, sed transubstantiatione.(*)

(*) S. Thom. hic, art. 2 in corp. Pariter in 4 cont. Gent., c. 63, dicit: «Si substantia panis simul est in hoc sacramento cum vero corpore Christi, potius Christo dicendum fuit: *Hic est corpus meum,* quam: « *hoc esi corpus meum,* cum per *hoc* demonstretur substantia quae vi« detur, quae quidem est substantia panis, si in sacramento cum corpore « Christi remaneat ».

§ 2.

Rursus, argumentum a S. Thoma primo loco adductum, ex necessitate conversionis dicitur: «Non est dare, inquit, aliquem « modum quo corpus Christi verum esse incipiat in sacramento, « nisi per conversionem substantiae panis in ipsum; quae quidem « conversio tollitur, posita vel annihilatione vel resolutione in « praejacentem materiam ». Verum, ut supra dictum est, hoc argumenti genus exponetur in tertia parte huius propositionis. Ideo sola iterum ratio afferetur, quam sumit S. Doctor ex forma sacramenti: « Similiter etiam, ait, non est dare unde talis reso- « lutio vel annihilatio in hoc sacramento causetur, cum effectus « sacramenti significetur per formam; neutrum autem horum « significatur per haec verba formae: *hoc est corpus meum* ». Propositio enim ista, tota est de esse, et nullo modo de non «sse, id est de reductione ad nihilum; insuper omnis mutatio circa sacramenti materiam contingens, ita adaequate respondere debet significationi verborum, ut neque excedat, neque excedatur. Si autem non est unde significetur annihilatio panis, iam transubstantiationis veritas sponte sua consequitur; substantia enim quae totaliter cessat, et non per reductionem ad nihilum, profecto aliter cessare non potest quam per totalem sui conversionem in aliquid aliud. Operae tamen pretium erit si argumentum quo istud dogma ex praedictis consecrationis verbis eruitur, paulo accuratius expendamus, adiectis postea pro rei gravitate testimoniis antiquae traditionis.

1. Argumentum scripturale. — Primum igitur omnium observare oportet differentiam propositionis speculativae et propositionis practicae. Comparatur quippe propositio practica ad locutiones speculativas, sicut comparatur conceptio intellectus practici quae est factiva rei, ad conceptionem intellectus speculativi quae est solummodo repraesentativa rei. Nam propositiones speculativae enuntiant id quod verum praeexistit, sed non efficiunt ut sit id quod affirmatur; in illis ergo, significatio propo-

sitionis enuntiantis posterior est veritate onto)···. ‖ i rei enuntiatae. E contra, propositiones practicae significant id quod fit verum dependenter ab enuntiatione ipsa. Et ideo in huiusmodi, prior natura est significatio ut mensura obiectivae veritatis ; quae quidem obiectiva veritas, cum non praeexsistat, vi verborum efficitur ; atque hinc tandem in tertio signo resultat conformitas propositionis significantis cum re significata. In eodem tamen instanti reali simul sunt et significatio, et efficientia, et formalis veritas propositionis, quia per diversa illa rationis signa, non ordo temporis, sed solius naturae sive depeiídentiae designatur. Unde S. Thomas in IV, D. 8, q. 2, a. 1, q. 5, sol. 4, ad 1am : « Ea <quae sunt in voce proportionantur his quae sunt in anima : « conceptio autem animae duobus modis se habet. Uno modo « ut repraesentatio rei tantum sicut est in omnibus cognitio- « nibus acceptis a rebus, et tunc veritas conceptionis praesup- « ponit entitatem rei sicut propriam mensuram, et per modum «huiusmodi conceptionum se habent locutiones quae causa si- « gnificationis tantum proferuntur. Alio modo conceptio animae « non est repraesentativa rei, sed magis praesignificativa, sicut <exemplar factivum, sicut patet in scientia practica quae est « causa rei, et veritas huius conceptionis non praesupponit en- « titatem rei, sed praecedit ipsam naturaliter quasi causa, etsi » simul sint tempore. Et ad hunc modum se habent verba prae- « missa, (id est verba formae *hoc est corpus meum*\ quia sunt « significativa et factiva eius quod significatur ».

Observandum praeterea est quod in propositionibus demonstrativis in quibus pronomen substantivum *hoc* tenet locum subiecti, necesse est distinguere formale eius significatum a significatione materiali; nam talis distinctio adhibenda est in omnibus nominibus significantibus sub quadam indeterminatione. In praesenti autem, formale significatum huius dictionis *hoc,* est *substantia sub accidentibus panis contenta, praescindendo a determinatione propriae eius naturae*(·). Significatum autem materiale est substantia a parte

(·) Formale significatum dictionis *hoc* est quadantenus determinatum, et quadantenus indeterminatum : determinatum quidem quoad

rei deteri"^ ita, in qua de facto salvatur praefata ratio obiectiva, scilicet r sub panis accidentibus contentae ; sicut si dicerem quod sub tum *hoc,* antecedenter quidem ad verborum efficientiam, d· ji ii *materialiter* substantiam panis, consequenter vero substant; i corporis Christi.

Ob andum denique est quod ad veritatem cuiuslibet propositi . ,› demonstrativae de praesenti, esse debet obiectiva adaequati.. inter materiale subiecti et esse praedicati, pro reali instanti in quo significatio perficitur ; sic enim, et non aliter, habetur conformitas enuntiationis ad rem, in qua sita est ratio veritatis, interest tamen inter practicam et speculativam, quod speculativa, ut dictum est, adaequationem hanc non facit, sed significat tantum ; practica autem de qua nunc sermo, et significat et facit ; non enim se habet ad entitatem rei quae fuit materialiter designata in primo instanti prolationis subiecti *(hoc),* sicut ab ea mensurata, sed magis sicut mensurans mutationem in ea inducendam, ad hoc ut sua sibi veritas constet. Et ideo, prolata propositione, vis verborum sese quodammodo reflectit supra propositionis subiectum, ut salvo semper manente formali eius significato, ipsum materiale mutetur in id quod enuntiat praedicatum, atque hoc modo debita habeatur adaequatio.

Recta igitur expositio verborum formae est: Hoc, seu contentum sub his speciebus (quod a parte rei erat panis in primo demonstrationis instanti), est (consequenter ad vim verborum, quorum virtute panis trahitur ad aliud esse), corpus meum, seu verum Christi corpus quod natum est de Virgine, passum in cruce, et in coelos assumptum. Ergo ut impleatur significatio formae, oportet dari mutationem totius substantiae panis in hanc

rationem contenti sub speciebus designatis; indeterminatum vero quoad specificationem propriae naturae sive quidditatis. Si enim nomen demonstrativum *hoc* significaret formaliter rem demonstratam sub determinatione naturae suae, omnes propositiones demonstrativae in quibus gerit vices subiecti, forent totidem tautologiae; sicut cum dico, *hoc est lignum,* sensus esset : *lignum est lignum.* Quod nemo etiam somnians admittet.

praeexsistentem substantiam corporis Christi, 'is manentibus speciebus substantiae conversae. Sed in hoc stat. .pria transubstantiationis ratio, ut liquet ex praemissis. Ergo verbis formae bene concluditur, transubstantiari panem in corp·: Christi.

2. Argumentum traditionis. — Principio notandum quod in praesenti, idem omnino est conversio et transubstantiatio. Non quod haec duo sint per se synonyma, absit; sed quia inter duo extrema quae sunt panis et corpus Christi, nulla alia conversionis species aut possibilis est, aut excogitabilis; dummodo utique, per corpus de quo dictum est: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum,* intelligamus ut par est, corpus Christi naturale, quod accepit a Virgine, cum quo apud nos ambulavit, in quo passus est, in quo resurrexit, in quo ascendit ad coelum: uno verbo, corpus quod eucharistiae conversioni praeexsistebat et praeexsistit, ac per eam nec mutatur nec augescit, sed in sua substantia totum permanet. Iam enim ostensum est, hoc esse proprium solius transubstantiationis, ut pro termino habeat aliqpid praeexsistens, et quidem non ut cui additur sicut fit per nutritionem, sed praeexsistens simpliciter et absolute, etiam in quantum formalis terminus conversionis est. In subiecta itaque materia, affirmare conversionem est affirmare transubstantiationem, et tot habebimus dogmatis transubstantiationis testes, quot inveniemus asserentes: panem converti in corpus Christi, mutari in corpus Christi, desinere in corpus Christi, fieri vel factum esse corpus Christi, aut si quid aliud huiusmodi tl). Tales autem sunt omnes Patres inde ab initio, qui eadem fide qua credendum est Christum realiter in sacra-(*)

(*) Dico idem esse quoad rem, tametsi non secundum explicitum conceptum quem exprimit transubstantiationis nomen. Unde frustra sunt novi auctores theologiae historicae, cum loquuntur de lenta elaboratione ideae transubstantiationis, quasi nescio cuius theoriae quae prius germinans in mente quorumdam, fuisset postea sancita per definitiones conciliorum. Non ibi fuit elaboratio ideae, sed mera explicatio notionis *singularis huius ac mirabilis conversionis,* quae in revelatione contenta, integra iam ab initio habebatur, licet non in metaphysica illa analysi quam posteriorum doctorum lucubrationes ediderunt.

mento contineri, credendum quoque docuerunt id fieri per conversionem seu mutationem panis et vini in eius corpus et sanguinem.

Id quidem iam videre licuit in testimoniis traditionis supra relatis. apud Irenaeum l. 4, c. 18. Sic apud Isidorum Pelusiotam, epist. 109 ad Marath. Sic apud Theodoretum, Dial. *Inconfusus;* «Post sanctificationem, inquiebat Orthodoxus, sym- « bola mystica non recedunt a sua natura ; manent enim in * priori essentia et figura et forma, et conspici tangique pos- « sunt sicut et prius. Intelliguntur enim ea esse quae facta sunt, «et creduntur». Ubi duas mutationes aperte distinguit Theodoretus, ex quibus unam affirmat et alteram negat. Unam affirmat, nempe substantialem, cum dicit: *Intelliguntur, creduntur ea esse quae facta sunt* (utique per sanctificationem seu consecrationem), *et ut talia adorantur.* Nam si symbola mystica quae prius erant *cibus ex talibus seminibus* (id est panis), et *poculi species* (id est vinum), facta sunt id quod adoramus, corpus et sanguis Christi, ut supra aperte confessus est Orthodoxus: ergo in ipsum corpus et sanguinem conversa sunt. Sed praecise quia conversio fuit solius substantiae quae ratione sui sub sensu minime cadit, ideo ad illam pertingit solus intellectus fide illustratus. Propterea dicit quod symbola mystica *intelliguntur, creduntur* ea esse quae facta sunt, quatenus sola panis et vini substantia transiit in substantiam corporis et sanguinis Christi. Hanc igitur substantialem conversionem aperte Theodoretus affirmat. Nunc autem aliam distinguit et negat : conversionem nempe mysticorum symbolorum quoad omnia quae per se sensibus subjacent. Secundum haec, inquit, *non recesserunt a sua natura;* secundum haec *manent in priori essentia glfigura etforma, et conspici tangique possunt sicut et prius (').*

C) Sunt tamen qui ideo dicunt Theodoretum negare quod sit in Eucharistia conversio substantialis, quia secundum eorum opinionem, nulla est distinctio inter substantiam et accidentia, inter id quod in corporibus est obiectum sensus, et id quod per se est obiectum solius intellectus. Proinde, nullum quoque discrimen inter mutationem mysticorum symbolorum quantum ad accidentia (id quod apparet exterius),

Accipe nunc quaedam alia selecta Patrum testimonia ex variis operum generibus desumpta.

Ex *catechesibus ad infantes*. — « Haec Agni caro, hic «sanguis est, ait Gaudentius Brixiensis (1). ipse igitur na« turarum creator et dominus qui producit de teira panem, de « pane rursus efficit proprium corpus». – Et Ambrosius, de Mysteriis: «Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque « ipsam sacramentorum rationem edere, quam ante baptismum «si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius « quam edidisse aestimaremur... Ista esca quam accipis, est « corpus Christi... Forte dicis : aliud video, quomodo tu mihi « asseris quod Christi corpus accipiam ? Et hoc nobis super« est ut probemus... Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut « ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut « species mutet elementorum ? De totius mundi operibus legisti « quia ipse dixit, et facta sunt. Sermo ergo Christi qui potuit « ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, in «id mutare quod non erant?» (2) — Cyrillus quoque Hierosolymitanus, ad recens baptizatos ait: «Deum benignum « exoramus ut emittat Spiritum Sanctum super dona proposita, « ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sangui« nem Christi » (3).

Ex *sermonibus ad populum*. — Ait Pseudo Eusebius Emisse-NUS, Horn. 5 de Paschate: «Recedat ergo omne infidelitatis ambi« guum quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis « est veritatis... Ne igitur dubitet quisquam, primarias creaturas « (id est, ex quibus primario nostra vita corporalis sustentatur), « nutu potentiae, praesentia Maiestatis, in dominici corporis

et mutationem eorumdem quantum ad substantiam (id quod transcendit sensuum perceptionem). Et qui negat mutationem in eo quod conspici tangique potest, eo ipso negat conversionem substantialem !

(1) Serm. 2 de Exodi lectione, egressis e fonte neophytis (P. L. 20, 855).

(2) Ambr. de myst, c. 8-9 (P. L. 16, 405-08). — Et similia omnino habet existimatus Ambrosius, l. 4 de Sacram., c. 3-5 (P. L. 16, 437,443).

(3) Catech. mystagog, 5, n. 7 (P. G. 33> 113).

« transir.· posse substantiam... Quid autem mirum est, si ea quae « potui' verbo creare, verbo possit creata convertere? Imo iam « mine i s videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo condidisse « agno itur, iam conditum in melius valeat commutare»^).

E *operibus didaclicis.* — Valde notanda sunt ea quae habet Dama !.nus, de fide orth., l. 4, c. 13: «Tu quoque nunc quaeris, «qui panis fiat corpus Christi? Ego vero tibi repono. Spiritum « Sanctum supervenire... Est revera corpus divinitati unitum na· «tum a Sancta Virgine corpus : non quod in caelos assumptum « corpus descendat de caelo, sed quod panis ipse et vinum trans- « mutentur in corpus et sanguinem Domini» (P. G. 94, 1142).

Ex *liturgiis,* et potissima omnium, quae est Romana. — Orationem quae habetur in canone immediate ante consecrationem, bene urget Guitmundus contra Berengarium, l. 3 de corpore et sanguine Domini (P. L. 149, 1484): «Unde et Ecclesia Dei « consequenter a se eosdem separat, cum in ipso canone missae ex « apostolica traditione ita orat : *Quam oblationem lu, Deus, in om- « nibus, quaesumus, benedictam, adseriptam, ratam, rationabilem « acceptabilemque facere digneris, ut nobis corfus et sanguis fiat « dilectissimi Filii tui D. N. 7. C.* Non hic oratur ut in ea cor- « pus et sanguis lateat, aut in eam corpus et sanguis adveniat, « sed ut ipsa oblatio, et corpus et sanguis fiat » (a).

In his obiter animadvertes quomodo doctrina Patrum adamussim conveniat cum notione transubstantiationis superius exposita. Hac quippe notione retenta, intelligitur quare Patres reddant credibile mysterium praesentiae realis ex consideratione creationis, dicentes eum qui potuit de nihilo omnia facere, posse etiam ea quae sunt, in aliud commutare. In quo quidem dicendi modo, praeexistentia substantiae panis manifeste proponitur ut quaedam positiva conditio ad operationem mysterii, cum in sententiis adversariorum se habet potius ut obstaculum quod debet prius removeri per destructionem, sive annihilationem ff. — Intelligitur

(*) Apud Algerum, l. 1, c. 7 (P. L. 180, 757)·

(*) Vide innumera alia testimonia ex liturgiis deprompta, apud Bossuet, *Explication de quelques difficultés sur lesprières de la messe,* c. 4-1.S.

(») Idem etiam observare licet super testimonium Irsnaei, in thesi

iterum, quare dicatur Spiritus Sanctus descender uper dona, et nutu potentiae, praesentia Maiestatis illa transmiti i . Sed si ponas, dona proposita destrui, non est eiusmodi efh tus qui potentiae nutum et Maiestatis praesentiam requirat, imo p tius eiusdem recessum et subtractionem. Et nutus quidem potentiae necessarius esset ad rcproducendum vel adducendum corpus Christi sub speciebus post destructam panis substantiam. At vero Patres requirunt omnipotentiae interventum ut circa ipsum panem perficiatur benedictio qua in dominici corporis transit essentiam. Fatere ergo cum Patribus et liturgiis, Spiritum Sanctum descendere super dona, (id est, super panis et vini substantiam), ut aliquid positivum circa illa operetur. — Intelligitur denique, cur Patres negent actionem effectivam praesentiae Christi ad ipsum Christi corpus primo terminari, et semper inculcent actionem mutativam quae versetur tantummodo circa eas creaturas, de quibus ad fragilitatis nostrae subsidium conditis suo quoque nomini Deus munera iussit dicanda constitui (1). *Non quod,* inquit Damascenus ubi supra, *corpus in caelos assumptum descendat de caelo, sed quod panis ipse transmutetur in corpus Domini.* Et Guitmundus : *Non hic oratur ut in ea* (hostia) *corpus lateat, aut in eam corpus adveniat, sed ut ipsa corpus fiat.*

3. Caeterum, consideratio quam affert S. Thomas, art. 4 in corp., non est ad demonstrandum directe et a priori possibilitatem transubstantiationis. Transubstantiari enim panem in corpus Christi, deducit S. Doctor ex praesupposito mysterio realis prae-

praecedenti propositum. Vult enim Irenaeus ex dogmate transubstantialionis convellere insaniam Gnosticorum distinguentium Deum fabricatorem rerum visibilium, a Deo Patre D. N. I. C., asserens indignum fore, si ex creaturis alterius conficeretur altaris sacramentum et acceptabilis oblatio Filii unigeniti. Periret autem argumenti nervus ac robur, si potuissent statim haeretici reponere, confirmari potius ex hoc dogmate inimicitias Patris cum fabricatore huius mundi visibilis ; destruit enim Paler opus inimici sui, scilicet odibilem sibi panis et vini substantiam, ut loco eius ponat corpus Filii sui ; non ergo probas unum esse principium visibilium omnium et invisibilium.

(1) Secreta fer. V post Dominicam Passionis.

sentiae : Respondeo dicendum, inquit, quod sicut supra dictum «est, cum in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec inci- « piat ilii esse de novo per motum localem..., necesse est dicere « quod in· ipiat ibi esse per conversionem substantiae panis in « ipsum ». Quia vero huiusmodi conversio est omnino supernaturalis, t supra omnem comprehensionem nostram, subiungit considerationem propter quam non debet naturalis ratio iudicare impossibile quod divina virtute talis mutatio fiat, et ad hoc ostendit quid distet inter agens creatum, cuius est agere in formas prout pendent a potentia subiecti, et agens increatum quod cum sit actus purus et irreceptus, sua operatione attingit primas radices entis (1).

§ 3.

Restat denique demostrandum, transubstantiationem esse unicam viam ad realem Christi praesentiam in sacramento. Et re quidem vera impossibile est ut corpus Christi fiat substan-

(1) Et in hoc sensu intelligenda sunt quae habet in responsione ad 3«““: «Virtute agentis infiniti quod habet actionem in totum ens, « potest talis conversio fieri, quia utrique formae et utrique materiae « est communis natura entis, et id quod est entitatis in una, potest « auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo « per quod ab illa distinguebatur». Ubi non intendit declarare rationem transubstantiationis secundum se, formaliter eam reponendo in hoc quod remanente secundum rem nescio qua ratione entis communi tum substantiae panis tum substantiae corporis Christi, tolleretur nescio quid aliud quo distinguebatur una ab altera. Hoc enim esset absurdum, et expresse removetur a S. Bonav. D. n, a. i, q. 2 ad 4““. Sed solum intendit proponere rationem cur non sit reputanda impossibilis mirabilis illa ac singularis conversio per respectum ad potentiam Dei. Quasi diceret : Ratio entis in quantum ens, quam respicit propria actio Dei. est communis utrique termino ; et ideo incredibile videri non debet, quod Deo operante, talis fiat conversio unius in aliud, quae attingat omnia entis principia usque ad ultimas radices, et non solum formas in quantum pendent a potentia remanentis materiae, ut fit in transformationibus quas agens creatum operatur, et ad quas solas intellectus noster naturali via assurgere potest.

tialiter praesens sub speciebus panis, sub quibus tea non erat, nisi vel productione, vel adductione, vel denique terius rei sub dictis speciebus praeexsistentis conversione. Atqui ·. ·ıs tur *omnino evidenter* repugnare ut corpus Christi fiat praesens in sacramento per sui productionem vel adductionem, quocumque i. ndem modo res explicetur. Relinquitur ergo quod non sit dare aliquam viam ad realem praesentiam praeter transubstantiationem, ut saepe dicunt antiqui doctores scholastici, et satis confirmat Tridenti· num, Sess. XIII, cap. 4 (Denzinger 878).

Maior argumenti est catechismi ad parochos ζ1), et facile declaratur. Impossibile enim est, corpus Christi habere alicubi novam realem praesentiam nisi per realem quamdam mutationem, vel sui, vel alterius. Si per realem mutationem sui, oportet quod ibi reproducatur, vel illuc adducatur. Si per realem mutationem alterius, oportet quod in ipsum convertatur substantia ibi praeexistens, manente dimensiva eiusdem quantitate. Nunc autem minor demonstratur per partes.

In primis videtur repugnare *evidenter* productio influens esse substantiale corporis Christi. Nam productio ista active sumpta, vel de facto ponit terminum suum, vel illud non ponit, sed solum esset sufficiens ad ponendum si corpus Christi aliunde iam non praeexsisteret. Si de facto non ponit, ergo nihil de novo habetur a parte rei, ubi omnia perseverant immota. Si de facto ponit, ergo substantia quae nunc incipit sub speciebus contineri, est substantia noviter existens ; omnis enim productio est eductio rei e nihilo sui, et ideo, ut supra in prolegomeno insinuatum est, essendi novitas est evidentissime de ratione termini actionis productivae in quantum huiusmodi. Iam age, contradictionem implicat quod substantia nunc de novo exsistens, sit illa ipsa numero eadem quae non de novo exsistit, sed ab antiquo in esse perseverat. Ergo impossibile omnino est ut terminus actionis productivae in celebratione sacramenti, sit ipsum Christi corpus de Virgine natum, « quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, « et quod sedet ad dexteram Patris ». Ideo Catechismus ad pa-

(·) Catech. Conc. Trid., de Euchar., n. 37.

rochos, uh. supra: «Creari autem corpus Christi minus cre-« dibile est, *et ne in cogitationem quidem cadere hoc potent* ».

Repu ? nat etiam adductio, vel quaecumque actio cuius terminus es\« t localis constitutio corporis Christi in loco specierum sacramenti. — Et nota imprimis quod antiqui doctores scholastici, cum de modo ubicationis a posterioribus invento nullam suspicionem haberent, hypothesim adductionis excludunt ostendendo quam sit evidenter impossibile ut Christus *per motum localem* incipiat esse in Eucharistia ; assumebant enim ut per se notum, non posse *aliter* fieri mutationem qua aliquid sub unius loci mensura positum, in loco distanti incipit locari (') Nunc autem inventus est pro effugio intrinsecus ille ubicationis modus, quo aiunt rem formaliter coniungi loco, imo formaliter transmitti de loco in locum, imo transmitti in locum distantem, non deserendo priorem, si priore ubicatione permanente, superaddatur modus ubicationis novus ; quae omnia imaginationem simul et intellectum confundere videntur. — Primo quia ubicatio, seu concrete loquendo, *esse ubicatum,* non aliter concipi potest quam ut resultans ex coaptatione rei ad locum, sicut *esse vestitum* ex adaptatione vestium ad corpus ; quemadmodum igitur evidenter fabulosus est intrinsecus modus vestitionis quo quis formaliter vestitus evaderet, ita et modus ubicationis. — Secundo quia quidquid in aliquo praeexsistente recipitur, recipitur ubi illud praeexistit ; corpus autem Christi praeexistit in caelo ; ergo ubicatio terrestris in caelo recipietur ; porro semel in caelo re-(*)

(*) Cf. S. Thom., hic, art. 2, ubi ait : « Non autem aliquid potest « esse alicubi ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per * alterius conversionem in ipsum... Manifestum est autem quod corpus « Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo «quidem quia sequeretur quod desineret esse in caelo: non enim quod « localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat «priorem. Secundo quia omne corpus localiter motum pertransit omnia « media, quod hic dici non potest. Tertio quia impossibile est quod « unus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad di-« versa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sa-«t mento simul esse incipiat-.

copta, quidni ibi in aeternum remaneret, cum in his quae sunt sine motu, idem sit fieri et factum esse? — Icilio quia, esto quod novae ubicationes productae vim haberent transmittendi corpus Christi a loco caeli in locos terrestres absque ullo locali motu intermedio; at certe non habebunt vim multiplicandi unam eamdemque substantiam, ita ut pluribus locis iam affixa, in eisque situata, instar multitudinis efficiatur. — Quarto quia ubicumque aliquid est, ibi ex naturali concomitantia oportet esse omnia quae sunt ei realiter coniuncta, eique realiter inhaerent; ex quo evidenti principio deducitur, totum atque integrum Christum sub utraque specie sacramenti exsistere, tametsi sub specie panis vi verborum sit solum corpus, et sub specie vini solus sanguis. Si ergo corpori Christi tot inhaerent modi ubicationis, quot habet praesentias, oportebit ut in singulis locis quibus adest, adsint etiam ex naturali et necessaria concomitantia omnes illae ubicationes simul, americanae, africanae, europeae, asiaticae, etc.; ex quo sequeretur, Christum Romae esse in America, et in America esse Romae: quae omnia profecto non sunt nisi congeries contradictionum. — Denique adductio, quocumque tandem modo excogitata, semper ponit unius eiusdemque corporis *multilocationem,* multilocatio autem videtur esse evidenter contra essentialem rationem individui, ut iam fuit insinuatum in praeambulo huius quaestionis, et ex professo declarabitur in quaestione, sequenti, ubi de modo quo Christus est in Eucharistia.

Remanet ergo ad realem praesentiam sola transubstantiationis via; quam viam etsi ratio naturalis non comprehendat, tamen non demonstrat evidenter impossibilem, nec in se, nec in ordine ad effectum novae praesentiae de quo agitur, sicut ex solutione praecipuorum argumentorum satis apparebit.

Opponitur primo: *Per transubstantiationem proutfuit declarata superius, nihil de novo fit. Sed actio ad extra qua nihil de novo fit, est inintelligibilis et repugnans. Ergo haec via videtur mente concipi non posse* (1).

Respondeo: *Dist. mai.* Per transubstantiationem nihil de

(1) Suarez, de Euchar., Disp. 50, Sect. 4.

novo fit, hoc est, nihil de novo producitur, *conc. mai.* Hoc est, nihil in aliud praeexsistens convertitur et totaliter transmutatur, *neg. niai.* Similiter contradistinguo minorem : Actio ad extra qua nec producitur aliquid, nec convertitur, est inintelligibilis et repugnans, *conc. min.* Qua nihil novi producitur, *subdist.* Est inintelligibilis, id est, extra obiectum proportionatum intellectus creati, seu ultra ea ad quae naturalis ratio pertingere potest, iterum *conc. min.* Id est, pugnantibus et contradictoriis notis evidenter constans, *neg. min.* et consequentiam.

Scilicet, aliud importat conceptus *productionis,* et aliud conceptus *conversionis.* Ab agente autem creato nulla potest fieri productio quae non sit simul, aut conversio, aut certe proprie dicta praeexsistentis transmutatio ; et vicissim, nulla conversio vel mutatio, quae non sit simul aliqua novae entitatis productio. Ast, sicut habet Deus operationem sibi propriam qua producit absque ulla conversione vel transmutatione praeexsistentis, et haec est *creatio :* ita testante revelatione, habet operationem sibi pariter propriam qua convertit absque ulla novi entis productione, et haec est *transubstantiatio.* Undenam autem proveniat quod transubstantiatio magis remota sit a comprehensione nostri intellectus, dictum est superius in prolegomeno quaestionis, § 4. Quare, ne in principium assumatur illud ipsum quod in quaestione est, non oportet supponere repugnantiam actionis ad extra quae non sit novi entis productiva.

Ex hac observatione corruere videtur praecipua ratio quam Suarez affert ubi supra, contra sententiam quae vult, *conversionem hanc fieri sine ulla mutatione in corpore Christi, ut videtur loqui D. Thomas in tota hac quaestione :* « Quia, inquit, si in « Christi corpore nihil reale denuo positum est, totum id quod « de illo denuo dicitur, est denominatio extrinseca... Ergo ter« minus formalis huius actionis non est ullo modo substantia « corporis Christi, sed solum illa denominatio qua substantia « corporis Christi dicitur esse id in quod conversus est panis... « Ergo iuxta hanc sententiam, formalis terminus est aliquid ac« cidentarium, eo modo quo extrinseca denominatio potest dici «accidentalis». Sed contra, quia suppositum totius argumenta-

tionis est, quod terminus actionis transubstantiate ıĸ· debeat esse aliquid de novo productum. Sic enim procedit conclusio: nihil est de novo pruductum vel quasi productum, nisi denominatio quaedam extrinseca ; ergo denominatio ista, et non substantia corporis Christi, actionis transubstantiativae terminus est. Verum ex dictis absolute negandum est suppositum in hac conversione mirabili et singulari, quae nihil habet admixtum de productione entis nondum exsistentis, sicut creatio nihil admixtum habet de transmutatione entis prius exsistentis. Et ideo terminus actionis transubstantiativae vere est substantia corporis Christi, non quidem ut quod producitur, sed ut in quod aliud totaliter convertitur et conversum est. Caeterum ne turberis cum audis nihil accedere corpori Christi nisi denominationem extrinsecam, quasi hoc tolleret realitatem praesentiae. Praesentia enim est de genere coniunctionum vel habitudinum ad aliquid extrinsecum ; et ideo, ut aliquid incipiat esse realiter praesens ubi prius non erat, satis est ut sit realis mutatio, vel in ipsomet, vel in aliquo alio quod incipit novo modo se habere ad ipsum. Nam et Deus fit de novo praesens in creatura, non per mutationem sui, sed per hoc quod creatura incipit esse ; et Verbum de novo factum est caro, non per mutationem sui, sed per assumptionem humanae naturae ad ipsum ; et Spiritus Sanctus de novo animam iusti inhabitat, non per mutationem sui, sed per hoc quod anima ornatur gratia qua prius carebat. Simili igitur modo, corpus Christi de novo fit realiter praesens in sacramento, non per mutationem sui, sed per mutationem panis, cuius species remanentes incipiunt vi transubstantiationis ipsum continere. — At vero :

Opponitur secundo : *Ut transubstantiatio esset via ad praesentiam sacramentalem, oporteret ut vi conversionis terminus ad quem* (scilicet corpus Christi) *inciperet esse ubi erat terminus a quo* (scilicet panis substantia). *Sed hoc milio modo fieri potest in proposito, quia terminus ad quem praeexsistit in loco distanti, puta caelesti, et vi conversionis nec adducitur, nec alia quacumque ratione mutatur. Ergo haec via est omnino impossibilis.*

Respondeo: *Dist. mai.* Oporteret ut vi conversionis terminus *ad quem* inciperet esse ubi erat terminus *a quo,* idque

per modum rei habentis positionem in loco, et sub mensura loci consti itae. *neg. mai.* Quadam alia ratione qua loco non mensuratur, nec localiter distat a loco illo in quo naturali prae sentia era; prius et remanet semper, *conc. niai.* Similiter con· tradistingi minorem. Non potest esse tit vi transubstantiationis terminus /·<? *quem* sit *localiter,* ubi erat terminus *a quo,* sicut ratio addita optime probat, *conc. min.* Alio modo, seu per mo dum substantiae ad quam conversio directe terminatur, *subdist.* Hoc esse non posset, si dimensiones substantiae conversae non permanerent, iterum *conc. min.* Si permanent, ut reipsa contin- git in hoc mysterio, *neg. min.* Et consequenter negatur con- clusio argumenti.

Considerandum quippe est, hanc aliam esse fundamentalem differentiam inter doctrinam antiquorum et opiniones recentiorum circa praesens mysterium, quod recentiores non cogitant nisi praesentiam localem qua res habet situm in loco. Quod si dicant corpus Christi non circumscriptive exsistere in hoc sacramento, hoc ideo est quia asserunt sacratissimum corpus per ablationem dimensionum veluti redigi in punctum, adeoque attribuunt ei ubicationem puncti. Punctum autem est *indivisibile habens si- tum,* inquit S. Thomas fl), et ideo semper in ea linea invenitur in qua distantiae locales attenduntur, nam unum punctum vere ab alio localiter distat, et ab eo localiter dividitur. Nunc autem antiqui Doctores Scholastici ponunt praesentiam Christi in sa- cramento esse omnino extra ordinem quantitatis et situs, ut in •Quaestione 76 exponetur, nec ullam fingunt compenetrationem partium gloriosi corporis, quia Christus prorsus immutatus per- manet. Sed solum dicunt quod « substantia corporis Christi im- « mediate habet ordinem ad dimensiones panis remanentes, quan- « titas autem corporis Christi, quasi ex consequenti. E converso « autem est in ordine locati ad locum, quia substantia locati « ordinatur ad locum mediantibus dimensionibus propriis, et « inde est quod oportet dimensiones locati commensurari dimen- ·« sionibus loci continentis, non autem dimensionem corporis

(·) S. Thom., i* Part. Quaest. 52, a. 2, in corp.

« Christi commensurari dimensionibus speciem » (1). gecj his infra.

Obiicitur tertio: 5Ï *transubstantiatio nihH mutat in ipso corporc Christi, ergo ad summum dimensiones sacramentales consequuntur relationem ad ipsum prout habens esse in caelo, ubi manet eodem semper modo ac prius (2). Sed ex hoc quod specierum dimensiones consequuntur relationem ad corpus Christi prout habens esse in caelo, non fit ut Christus sit vere et realiter praesens in sacramento. Ergo permanentia dimcusionum panis nihil iuvat in hac via, in qua praesentia sacramentatis, non realis, sed fictilia esse convincitur.*

Respondeo primo, negando suppositum antecedentis, pro quanto asserit sacramentales dimensiones vi transubstantiationis consequi habitudinem ad corpus Christi *prout habens esse in caelo.* Nam haec habitudo est ad ipsam Christi substantiam *secundum se,* quae profecto abstrahit ab omni denominatione extrinseca, cuiusmodi est *esse in caelo vel alibi.* Consequenter autem ad habitudinem continendi quae dimensionibus acquiritur repectu eius in quod transiit propria earum substantia, Christus habet vere in eis contineri ; sicut etiam, consequenter ad contactum quantitativum, habet contineri, sed longe alio modo, in extrinseco loco caelesti ubi est praesens naturali modo praesentiae. Quare, vel difficultas proposita caret fundamento, vel deberet potius ita enuntiari : Si in transubstantiatione tota mutatio est ex parte panis, corpus Christi vi eiusmodi conversionis debet remanere sicut prius *in solo loco caelesti,* ac per hoc, nulla nova realis praesentia resultat vel resultare potest. Hoc igitur sensu sumendo argumentum :

Respondeo : *Dist. antec.* Sequeretur hoc, si non daretur alius modus continentiae corporis in dimensionibus extrinsecis,(*)

(*) S. Thom., Quodl. 7, art. 8 in corp.

(·) « Si ex vi talis modi conversionis substantia corporis Christi ‹ nullo modo se habet aliter ac prius, ergo ex vi illius non constituetur « substantia corporis Christi sub speciebus panis, quia talis conversio- › eodem modo potest fieri iuxta hanc sententiam, in corpus Christi in- ‡ solo caelo manens ». Suarez, ubi supra.

praeter illum quem imaginatio nobis repraesentat, et qui est per contactum et commensurationem quantitatum, *conc. antec.* Si alia est r o continentiae toto caelo diversa, quam sola huius mysterii velatio nos edocet, et quae est per modum substantiae, seu mediante substantia, ut postea dicetur, *neg. antec.* Equidem x hoc quod corpus Christi non mutatur, sequitur quod non potest fieri praesens *localiter* sub dimensionibus et in loco sacramenti, quia talis modus praesentiae non acquiritur rei localiter distanti nisi per motum eius de uno in alium locum, sed non sequitur impossibilitas praesentiae quae sit alterius omnino rationis. Quod autem *generatim loquendo,* corpus manens in se immotum possit nihilominus incipere esse de novo ubi antea non erat, incredibile videri non debet. Nam certe si Deus crearet novum caelum ambiens totam amplitudinem mundi qui nunc est, eo ipso mundus inciperet esse ubi non erat prius, idque non per intraneam sui mutationem, sed ex hoc solo quod inciperet esse extrinsecum continens. Proportionaliter igitur sentiendum est in praesenti, nisi quod in exemplo proposito continens circumscriberet contentum, illudque contineret per modum loci, hic autem non ita, propter rationes quarum expositio ad sequentem quaestionem reservatur. Sed iam vides difficultatem hinc provenire, quod mens phantasmate prasentiae localis semper praeoccupatur. Cum enim maneant distantiae locales inter hostiam in altari positam et caelum in quo corpus Christi est localisatum, excluditur profecto localis eius coniunctio ad hostiae locum ; at vero, nisi iterum velis instar principii assumere id ipsum quod in quaestione est, non oportet concludere, ergo excluditur omnis continentia, etiam in alia linea alioque ordine.

Obiicitur quarto: *Deus posset facere ut corpus suum esset praesens sacramento altaris simul cum substantia panis; non enim est maior repugnantia quod corpus Christi sit simul cum substantia panis, quam sub quantitate eius. Ergo tunc non fieret praesens per panis conversionem, ct ideo transubstantiatio non est via saltem unica ad praesentiam sacramentalem.*

Respondeo : *Neg. mai.* Ad rationem additam dico non fore maiorem repugnantiam ex parte simultatis substantiae cum sub-

stantia, ut sic, *cone.* Ex parte viae necessariae ..<l hoc ut corpus Christi semper in caelo manens consequatur alia praesentias in terra sub speciebus sacramenti, *neg.* Et ratio -< n-itat ex dictis in demonstratione positionis.

Obiicitur quinto: *Quantitas corporis Chri .. et anima eius incipiunt esse in sacramento quin sint terminus conversionis. Ergo redit praecedens conclusio:*

Respondeo : Incipiunt esse in sacramento, directe ex vi actionis quae novitatem praesentiae inducit, *neg.* Per concomitantiam et ratione realis inseparationis ab eo quod per se primo, vi transubstantiationis, praesens sistitur, *conc.* Explicatio patebit ex dicendis in Quaest. 76.

Obiicitur sexto : *Ideo in aliis conversionibus oportet terminum ad quem esse ubi erat terminus a quo, quia remanet materia eommunis utrique. Sed hic nihil remanet commune. Ergo conversio non potest reddere rationem novae praesentiae termini ad quem, id est corporis Christi, ubi erat terminus a quo, id est, substantia panis.*

Respondeo : Ideo oportet terminum *ad quem* esse ubi erat terminus *a quo,* vel quia ut in naturalibus, remanet materia, vel quia ut in transubstantiatione, remanet dimensio continens, *conc.* Aliter, *neg.* Et rursus distinguo minorem : Nihil remanet commune in hoc mysterio, quod sit intrinsece constituens extrema conversionis, *conc.* Nihil remanet commune in ratione continentis, *neg.* Manent enim dimensiones panis.

Obiicitur septimo : *Id quod convertitur in praeexsistens trahitur ad conditiones praeexsistentis, et non e converso. Ergo si panis convertitur in corpus Christi, sequitur quod panis conversus, est ubi erat corpus Christi; non autem viceversa, quod corpus Christi sit ubi erat panis.*

Respondeo: *Dist. antec.* Id quod convertitur in praeexsistens, ita ut ei addatur prout fit in nutritione, trahitur ad conditiones praeexsistentis, *conc. antec.* Id quod transubstantiatur in praeexsistens, et ideo ei non additur, *subdist.* Trahitur ad conditiones praeexsistentis, ita ut totaliter desinat in ipsum, *conc.* Ita ut praeexsistens, ratione permanentiae dimensionum continentium

non consequatur novam praesentiam ubi erat substantia conversa, *neg.*

Obiicitur octavo: *Si per conversionem fit terminus ad quem ubi fui/ /■ minus a quo, modus adessendi utrimque idem sit necesse es/. Ergo, sicut panis erat ibi localiter et quantitative, ita et localiter adesse deberet corpus Christi; sed hoc ex concessis est omnino impossibile.*

Respondeo : *Dist. assumpt.* Valeret haec sequela si dimensiones remanentes inhaererent substantiae corporis Christi, sicut inhaerebant propriae suae substantiae, *conc.* Secus, *neg.* Nec a longe repetenda ratio est; nam substantia panis non erat ibi localiter praecise quia contenta in dimensione, sed quia exsistens sub dimensione sua, per quam non modo continebatur, verum etiam afficiebatur sicut subiectum per proprium accidens. Unde S. Thomas: «Non tamen substantia corporis Christi est subie-« ctum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis, et ideo « substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi. « quia comparabatur ad locum illum, mediantibus propriis di-« mensionibus; substantia auterri corporis Christi comparatur ad « locum illum, mediantibus dimensionibus alienis... Unde nullo « modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter » (x).

Obiicitur nono : *Restaret tamen explicandum quomodo vi conversionis acquiratur speciebus habitudo continentiae. Sed hoc nullo modo explicatur, imo ostenditur impossibile. Nam actio conversiva nihil operatur circa species nisi separationem a propria substantia ; atqui actio pure separativa quantitatis a propria substantia non potest esse ratio cur ipsa incipiat continere alienam substantiam. Ergo, etc.*

Respondeo : Restaret *positive* explicandum quomodo vi conversionis acquiratur speciebus habitudo continentiae erga corpus Christi, *neg.:* sufficit enim ut removeatur evidens impossibilitas. Ratio sequitur ex dictis de transubstantiatione, cuius naturam proprie non novimus, sed nec noscere possumus. Aliunde vero positive innitimur in verbis formae, cuius sensus est : Contentum(*)

(*) S. Thoni., infra, Quaest. 76, a. 5.

sub his speciebus est (consequenter ad mutation- m vi verborum effectam), corpus meum. Quo satis superque exprimitur, mutari panem in corpus Christi quod exhinc contineri habet sub remanente panis dimensione; et quia mutatio per formam significata se tenet *tota* ex parte panis, oportet etiam ut *sola* mutatio panis in causa sit cur remanentes species ipsum Christi corpus incipiant de novo continere.

Caeterum ad argumentum in oppositum, dico : Actio conversiva separat accidentia a propria eorum substantia, eo genere separationis quae aufert contentum a continente, *neg. mai.* Separat ea separatione quae est pura mutatio contenti in aliquid aliud, *conc. mai.* Contradistinguo minorem, et nego consequentiam. Nam certe per actionem quae in tantum est separativa in quantum conversiva, nec plus nec minus, non oportet ut continentiae habitudo simpliciter auferatur a remanentibus dimensionibus, sed solum ut incipiat habere novum terminum, scilicet corpus Christi in quod transiit panis substantia. Argumentum igitur non concludit nisi in hypothesi destructionis sive annihilationis huius substantiae, quia tunc nihil plus haberetur quam nuda et simplex ablatio contenti a continente. Sed est ingens differentia in doctrina S. Thomae, et differentia ista semper pertinet ad differentiam primordialem quae sub aliis omnibus ubique recurrit, et in quam aliae omnes ultimo resolvuntur.

Hactenus summatim fuerunt indicatae praecipuae transubstantiationis conditiones et consequentiae in ordine ad realem praesentiam corporis et sanguinis Christi sub speciebus sacramenti : quae tamen conditiones et consequentiae remanent ulterius declarandae et convenienter exponendae in decursu nostrae tractationis. Statim autem dicendum de permanentia accidentium, de qua S. Thomas, articulo huius quaestionis quinto. Hinc :

THESIS XL.

(Ar t . 5).

Post consecrationem manent eadem numero accidentia quae prius fuerant substantiae panis et vini ; et haec per manentia est conditio essentialiter requisita tum ad realem Christi praesentiam in sacramento, tum ad ea omnia quae circa ipsius praesentiae durationem et desitionem certa fide credenda sunt et creduntur.

Ex duabus assertionibus quibus propositio constat, priorem tantum attingit S. Thomas in hoc articulo; verum alteram ubique supponit et expresse etiam tradit in 4 c. Gent., c. 63, loco iam in superioribus recitato. Caeterum animadvertere necesse est quod praesens disputatio non respicit accidentium permanentiam nisi *in sua connexione atque habitudine ad mysterium praesentiae realis,* de quo nunc agitur. Quomodo autem concipi possit accidentia illa persistere absque ullo substantiali subiecto, qua item de ratione eiusmodi miraculum intrinsece non repugnet saltem evidenter, non huius loci est declarare ; ex hoc enim capite discussio pertinet ad Quaest. 77, ubi sermo erit de accidentibus separatis *secundum se.*

§ i-

Praeobservandum est prodiisse contra praesentem veritatem opiniones duas, quae tamen in substantia ad idem reducuntur. — Prima eorum est qui dicunt species sacramentales esse puras apparentias, quibus nihil omnino respondet a parte rei, quia consecratione peracta, tota panis realitas in nihilum abit ; Deus tamen omnipotenti sua virtute immediate modificat sensus nostros, perinde ac si nihil mutatum fuisset ex parte obiectorum. — Cum autem haec sententia, ut sonat, durior videretur, quidam alii eam quadantenus emollire tentaverunt.

Conveniunt certe cum prioribus in hoc, quod asseverant nihil omnino panis remanere ; opinantur enim, nullam dari realem distinctionem inter substantiam et accidens, adeoque, ne de potentia quidem Dei absoluta fieri posse ut maneat accidens, cessante substantia. Animadvertentes autem corpora non imprimere in organa nostra nisi mediante motu aetheris vel quorumcumque fluidorum imponderabilium, asserunt Deum, etsi videntium oculos et manducantium palatum et tangentium manus non immediate per seipsum modificet, (ea, inquam, modificatione ex qua sequatur solita sensatio), adhuc tamen supplere defectum obiectivae realitatis, excitando in aethere easdem vibrationes quas exstans prius panis et vini substantia naturaliter ibidem producebat. Et hoc modo, omissa quam dicunt absurditate separationis accidentium corporeorum a subiecto, putant se vitare inconvenientia prioris modi dicendi, salvando scilicet obiectivitatem sensationum quas in sacramento experimur, et removendo a mysterio veritatis omnem deceptionem. Sed in hoc egregie falli videntur, ut statim ostendo. Neque enim oportet confundere medium quo transmittitur impressio ad sensationem requisita, cum ipso obiectivo sensationis termino; illud enim quod tangitur, quod gustatur, non est profecto motus aetheris, sed ipsa res quanta, colorata, et sapida, vel immediate in seipsa, vel certe in aliqua sui specie et repraesentatione organum informante. Ex quo patet quod si ad annihilationem totius realitatis panis Deus continuat motum in aethere, adhuc quidem aderit causa sensibilis perceptionis, sed nullus respondebit terminus obiectivus cui adaequetur ipsa perceptio ; ideo deerit ab ea veritas, imo aderit fallacia similis illi quam daemon praestigiis suis causare consuevit. — Hinc apparet, discrimen inter posteriorem hunc dicendi modum et praecedentem in hoc ad summum reponi, quod in prima opinione quaedam est modificatio sensuum a Deo immediate producta, in secunda vero est modificatio facta, mediante motu aetheris. Sed quia utroque modo obiectiva veritas deficit, discrimen illud nullius momenti esse agnoscitur ; unde statim infero, nulli fieri iniuriam si ambae illae opiniones pro una eademque habeantur. — Nunc au-

tem, utrum dicenda sit opinio, an non potius error in doctrina fidei, non pronuntio, sed prolatis documentis, aequo aestimatori iudicandum relinquo.

Damnantur in Concilio Constantiensi confirmato a Martino V tres sequentes Wiclefi propositiones: «Substantia panis « materialis et similiter substantia vini materialis remanent in «sacramento altaris. Accidentia panis non manent sine subiecto « in eodem sacramento. Christus non est in eodem sacramento « identice et realiter, propria praesentia corporali» (1). — Porro, ex tribus propositionibus damnatis a Concilio oecumenico in materia fidei, una est cuius contradictoria sic effertur: *Accidentta ftanis manent sine subiecto in altaris sacramento.* Videant ergo adversarii quomodo sese ab ea definitione expediant, nam profecto sensus propositionis minime dubius esse potest. Et re quidem vera, etiamsi alicuius valoris esset inventum effugium circa nomen *specierum,* considerandum est quod non dicuntur hic manere species, sed *accidentia;* atqui accidentia panis sunt aliquid panis, quod physice et realiter substantiae inhaerere natum est. Quod si interpretari velis accidentia de extrinsecis quibusdam phaenomenis, contra certissimam et universalem vocis acceptionem, maxime tempore Concilii, pari iure poterit quispiam pro lubitu et secundum suas particulares opiniones philosophicas, detorquere ad quoslibet sensus voces *hypostasis, natura, essentia,* etc., et sic nihil iam certum remanebit in definitionibus ecclesiasticis, convellenturque ipsa fidei fundamenta. — Praeterea, absolute damnat Concilium sententiam asserentem non manere accidentia sine subiecto: atqui ista qualiacumque accidentia quorum permanentiam adstruunt adversarii, profecto sine subiecto non sunt, sed subiectantur vel in sensibus percipientis, vel certe in substantia aetheris aut quorumcumque Huidorum. Et manifeste nulla est responsio si dicas nihil aliud per Concilium nunc determinari, nisi quod accidentia ipsi substantiae panis non inhaerent; tum quia hoc est gratuito assertum, imo vero est contra obvium sensum litterae, tum quia omnino(*)

(*) Enchirid., 581-83.

coincideret error reprobatus in secunda propositl· >ne cum errore reprobato in prima, sicut cuilibet consideranti evidenter apparebit. — Accedit demum quod, ut refert Thomas Waldensis, theologus Angius coaevus Wiclefo et Concilio Constantiensi, ipse Wiclefus *distincte* errabat circa tria ; nam de pane dicebat quod permanet ; de corpore Christi dicebat quod ibi non adest nisi figuraliter ; tandem de accidente dicebat quod non potest esse sine subiecto, etiam de potentia Dei absoluta. Quin imo, tota illa haeresis, teste eodem Waldensi fl), ex philosophia de accidente tamquam ex fonte et primo principio oriebatur. Ponens enim impossibile esse ut accidens sit sine subiecto, ita ratiocinabatur haereticus : Sunt in sacramento panis accidentia ; ergo necesse est ut adsit et panis substantia, qua permanente, non potest ibi esse Corpus Christi vere et realiter, propria praesentia corporali. Hinc tres propositiones singillatim a Concilio condemnatae.

Nunc autem non oportet aequivocare circa vocabulum *specierum* quo utuntur Concilium Lateranense IV cap. *Firmiter,* et Tridentinum, Sess. XIII, can. 2 et 3, quasi indicaret meram apparentiam absque obiectiva realitate. — Etenim primo, species quae iuxta Tridentinum remanent, sunt iuxta Constantiense accidentia. Et bene quidem accidentia dixit Constantiense, quia Wiclefi error circa accidentia *qua talia* versabatur, id est, secundum quod substantiae accidere sive inhaerere nata sunt. Verum quia in sacramento actu non accidunt, optimo iure alio vocabulo nominata fuerunt, ut designentur potissimum in sua habitudine ad sensus nostros quae manet penitus invariata. « Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt « a sua natura, manent enim in priori essentia, et figura, et « forma, *et conspici tangique possunt sicut et prius* » (2). — Praeterea secundo, in sacra doctrina species nunquam significant meras apparentias nisi quando apud Prophetas visio imaginaria describitur. Quotiescumque autem sermo est de eo quod com-

C) Waldensis, de Euchar., c. 75, n. 4; et c. 78, n. 2.
(·) Theodoretus in dialogo *inconfusus,* ubi supra.

muniter oculis exterioribus percipitur, species sunt aliquid visibile et tangibile a parte rei exsistens, sicut species columbae in qua apparuit Spiritus Sanctus in die baptismatis Christi, vel species linguarum ignearum in qua visus est die Pentecostes.— Deniqu· tertio, ut optime notavit Cardinalis Franzelin, praeter quaestionem est inquirere quid per hoc nomen absolute significari possit, sed inquirendum est quid terminus complexus *species panis ei vini* in materia Eucharistiae, usu apud theologos universaliter recepto, de facto significet. Atqui non potest esse dubium quin fuerit ab antiquo consecratus ad designandum permanentia sine substantiali subiecto accidentia.

Hinc, ut solos illos commemorem theologos qui Tridentino Concilio posteriores fuere, Suarez dicit *esse certum in doctrina fidei,* manere accidentia eadem numero, quae in pane et vino praefuerunt ζl). Lugo ait, hoc *expresse definiri* in Concilio Tridentino (2). Toletus ait, *conclusionem esse de fide* (·). Valentia dicit se assentiri Soto, qui non dubitat asserere *haeresim esse,* si quis negaverit absolute haec accidentia sine ullo subiecto ℓ. Salmanticenses : Haec conclusio est *de fide* (6). Billuart ait *esse constans dogma in Ecclesia receptum,* remanere accidentia solida absque ullo subiecto substantiali (6). Catechismus ad parochos, ubi supra : «Tria sunt... quae in hoc sacramento *fides catholica sine*

(*) Suarez, de Euchar., Disp. 56, Sect. 1.

(·) Lugo, Disp. to, Sect. I, n. 1.

(·) Toletus, in jam Partem, Q. 75, a. 5.

(*) Valentia, Commentar, théologie., Tom. 4. Disp. 6. Quest 5, Punct. i.

(·) Salmanticenses, de Euchar., Tract. 23, Disp. 8, Dub. r, « 1.

(·) Billuart, de Euch., Dissert. 1, a. 6, j 2· — Nec dicas, eos ipsos esse theologos quos supra de transubstantiatione agentes, impugnabamus ; sicut ergo tunc, ita et nunc, parum valebit ipsorum auctoritas. Nulla enim est sequela, ut constat, quia nunc sumuntur ut *testes* sensus Ecclesiae circa id quod, salva fide, vel negare vel asserere non licet ; tunc autem sumebantur ut proponentes suas proprias opiniones circa *scientificam* explicationem dogmatis. Et similis etiam distinctio quoad SS. Patres valet.

«ꝛZ/ʌ *dubitatione credit...* Tertium est, accidentia sine ulla re « subiecta, esse, mira quadam atque inexplicabili ratione».

His igitur ex auctoritate Conciliorum praeiactis, veniendum est ad rationes. Proponentur autem tria argumenta: primum ex verbis formae, alterum ex natura sacramenti veritatis, tertium ex absurdis quae in opinione adversariorum consequerentur.

Primum, inquam, argumentum deducitur ex verbis formae, in quorum mira simplicitate tota continetur huius mysterii altitudo. Ut enim veritatem habeat propositio, *hoc est corpus meum,* necesse est ut maneat invariatum *formale* significatum subiecti, quod aliquid demonstrat ad sensum. Sed non remaneret invariatum, si transiret illud per ordinem ad quod fit demonstratio, id est, si transirent accidentia sub quibus substantia in confuso designatur praesens. Oportet igitur ut accidentia continentia remaneant, et solum varietur contentum, quod cum prius esset panis substantia, nunc ex vi verborum est corpus Christi. Unde S. Thomas; «Necesse est tamen aliquid remanere, ut verum sit «quod dicitur: *hoc est corpus meum,* quae quidem verba sunt « huius conversionis significativa et factiva. Et quia substantia « panis non manet, nec aliqua prior materia, necesse est dicere « quod maneat id quod est praeter substantiam panis. Huius« modi autem est accidens panis. Remanent igitur accidentia pa« nis, etiam post conversionem praedictam » ζ1).

Ex testimonio quoque sensuum efficacissime demonstratur omnia accidentia panis et vini remanere; accidentia enim, non substantia, sunt proprium sensuum externorum obiectum. Unde in Officio corporis Christi dicitur: « Accidentia autem sine sub« iecto in eodem (sacramento) subsistunt, ut sensus a deceptione «reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis» (2). Et in opusculo contra Graecos, Armenos, et Saracenos ad cantorem Antiochenum, Angelicus ait: « Non tamen hoc fieri dicimus, « quasi species illae quae sensibus apparent in sacramento, sint(*)

(*) S. Thomas., 4 c. Gent., c. 63.
(») Lect. Ll Nocturni.

« solum in phantasia videntium, sicut solet esse in prestigiis ar-
« tis magicae, quia veritatis sacramentum nulla fictio decet» (').
Et re quidem vera, auctor veritatis Deus nullius deceptionis causa
esse potest : atqui esset causa deceptionis, si tota panis realitate
cessante, procuraret apparentiam obiecti nullo modo exsistentis
a parte rei. Tunc enim verissimi nominis deceptio est, quando
obiectiva realitate deficiente, causatur eius apparentia, praesertim
lege constanti atque universali, et maxime si non detur unde
per naturale lumen rationis vel per altius fidei lumen error cor-
rigi possit; sed omnes illae conditiones concurrunt in praesenti.
Certo enim certius homo non habet unde per naturalem ratio-
nem corrigat testimonium sensuum circa Eucharistiam; imo vero
habet unde confirmet, quia ratio naturalis dictat, constantem ex-
perientiam visus, olfactus, gustus, tactus, non fallere. Nihil etiam
afferri potest ex superiore lumine fidei cum fides potius nos
edoceat solam substantiam in substantiam mutari, et Concilia
expresse dicant conformiter ad significationem verborum formae,
accidentia sine subiecto in hoc mysterio permanere. Nec obii-
ciantur verba hymni ecclesiastici: *visus, tactus, gustus in te fal-
litur,* aut modus loquendi Patrum dicentium non esse hic cre-
dendum sensibus, abiiciendum esse testimonium sensuum, etc.
Haec enim omnia manifeste significant sensus falli, *non circa
Proprium sensibile,* sed quatenus verax eorum testimonium natum
esset fundare falsum intellectus iudicium circa substantiam quae
accidentibus subest, nisi attenderetur verbo Domini dicentis: hoc
est, non panis, sed corpus meum. Et certe, idem S. Thomas qui
metrice scripsit: *visus, tactus, gustus in te fallitur,* centies mil-
liesque inculcat sensus nequaquam decipi in eo quod immediate
attingunt, sed proprium daemonis esse ut magicis suis artibus va-
cuas obiiciat atque inanes rerum apparentias. Hinc Algerus de Sa-
cram. corp, et sang. Domini, l. i, c. 7 (P. L. 180, 759): «Cum
« autem in sacramento forma panis, soliditas, color, sapor sentia-
« tur, vel verum hoc esse, vel phantasticum dicitur. Sed absit ut(*)

(*) Opusc. c. Graecos, Armenos et Saracenos ad Cantorem Antio-
chenum, c. 8.

«perfecta veritas phantasiae fallacia astruatur, maxime cum ipsi «angeli et ipse Spiritus Sanctus in columba vel linguis igneis quo- « ties apparuisse leguntur, non phantastica, sed vera corpora in «aere assumere astruantur; et in caeteris omnibus sacramentis « Novi Testamenti et Veteris, nihil phantasiae, sed omnia vera in· « veniantur. Absurdum enim revera est ut quod non vere est ve- « ritatem approbet, et quod de se fallit aestimationem, de alio «veram exhibeat fidem. Phantastica enim illusio magicis congruit «et diabolicis fraudibus, veritatis autem assertio divinis sanctio- « nibus. Ne ergo phantastica species sacramento Christi aliena « prorsus et indigna superinduci credatur, quomodo id non solum « rationi, sed et auctoritati sit contrarium, videamus ».

Tertium denique argumentum sit, quia fateri necesse est species sacramentales frangi, iuxta illud rythmi ecclesiastici: *Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur;* at, quaeso, quid est quod frangitur? Fateri necesse est, sub singulis specierum partibus, *separatione facta,* ut Tridentinum ait, totum Christum contineri; at iterum, quid est quod separatur? Fateri necesse est, circumgestari sacramentum, et de loco in locum transferri; at cum corpus Christi ibi sit intangibile et secundum se minime asportabile, quid est quod primo, quod directe, quod ratione sui circumgestatur? Fateri necesse est species corrumpi, et ad earum corruptionem desinere Christi praesentiam; sed si dicas non manere qualitates panis et vini in quantitate dimensiva panis tamquam in vicesubstantia (sicut postea dicetur) subieclatas, quid est quod corrumpitur? Quid illud ad quod sequitur desitio praesentiae? Ecce ergo labimur in novi generis occasionalismum; nam occasionalismus quem invexit Malebranchius, adstruebat Deum omnia per se solum operari, occasione tamen eorum quae vere in rerum natura accidunt; nunc autem ponitur operatio Dei sacramentali praesentiae terminum imponens, occasione eius quod nequidem vere accidit, sed solum accidisset si panis et vinum fuissent conservata in esse, naturali corruptioni obnoxia. De veritate igitur accidentium nullus relinquitur dubitandi locus.

Accedit vel maxime quod-sarum permanentia est sx. natura

rei conditio essentialiter requisita ad ea omnia quae ꝺ dogma praesentiae realis, et hoc restat declarandum.

§ 2.

Certe nulla substantia determinatur ad praesentiam in loco (l . nisi per quamdam coniunctionem ad reales dimensiones quae locum replent, eoque circumscribuntur ; tota enim loci et spatii realitas in ordine dimensionum est. In tantum igitur transubstantiatio esse potest via ad praesentiam sacramentalem, in quantum vi conversionis determinantur dimensiones in loco sacramenti exsistentes ad continendum substantiam corporis Christi. Sed dimensiones quibus vi conversionis potest acquiri huiusmodi continentia, non sunt nisi dimensiones panis transubstantiati eaedem numero permanentes, cum evidentissime appareat alias dimensiones omnes relinqui in eodem statu ac modo essendi in quo erant prius. Necesse igitur est ut maneat eadem numero quantitas dimensiva panis, et ista permanentia haberi debet pro conditione essentialiter requisita ad Christi praesentiam in_vicramento.

Praeterea, non sufficit considerare quomodo incipiat sacramentalis praesentia, verum etiam quomodo desinat. Atqui nulla est possibilis causa desitionis praesentiae praeter realem desitionem specierum, quae utique praesupponit realem earumdem permanentiam post consecrationem. Et facile demonstratur assumptum, quia impossibile est ut praesentia sacramentalis desinat per quamcumque mutationem in ipso Christo inductam, sicut impossibile etiam fuit ut per hanc viam inciperet. Non desinit per abductionem, quia Christus non fuit in hostiam adductus ; non desinit per destructionem aut conversionem corporis Christi(*)

(*) Observa iam nunc, quomodo differant haec duo: *esse praesens in loco ei esse praesens localiter.* Primum horum competit corpori Christi sub specibus existent!' ; alterum vero non. Et similiter angeli vere sunt praesentes in loco ubi operantur, non tamen localiter, quia coniunguntur dimensionibus loci, non per contactum quantitativum, sed per solum contactum virtutis. — De his infra, in quaest. 76.

in aliquid aliud, quia sic Christus amplius noti exsisteret. Nihil ergo relinquitur nisi specierum corruptio, ex qua sola sequi potest et sequitur *ipso facto* sacramentalis praesentiae desitio ; quippe, desinente continente, desinit continentia, ac per hoc, praesentia in loco continentis. Hinc S. Thomas in quaestione sequenti, art. 6 : « Illud quod de se habet esse indeficiens non potest « esse deficiendi principium, sed *alio deficiente, hoc desinit esse • in eo;* sicut Deus, cuius esse est indeficiens et immortale, « desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod crea- « tura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo, cum Christus ha- « beat de se esse indeficiens et incorruptibile, non desinit esse « sub hoc sacramento, neque per hoc quod ipsum desinat esse, « neque etiam per motum localem sui, sed solum per hoc quod «species huius sacramenti desinunt esse». De hac autem specierum desinentia dicetur infra in Quaest. 77.

SCHOLION.

Ex dictis videre est, talem esse nexum logicum inter primordialem illam actionem qua corpus Christi asseritur fieri primo praesens in sacramento, et caetera omnia ad hoc mysterium pertinentia, ut ex modo quo illa explicatur, alia cuncta dependeant. Unde etiam hoc pacto dari potest retrospectiva quaedam demonstratio veritatis vel falsitatis viae quam ingressus es : quatenus, si in una via procedendo, nihil cogeris adstruere quod sit praeter fundamentum revelationis, magna habebitur confirmatio pro veritate tuae expositionis ; sin autem debes continuo adiicere ex proprio penu quasdam veluti contignationes, quasi ad ruinosae domus sustentaculum, tunc signum tibi erit quod *systema* fabricasti. Systemata autem sunt ruina theologiae, quae iam cadit, non solum a dignitate scientiae supremae, verum etiam a dignitate scientiae simpliciter, ut nihil aliud sit quam materia quaedam in qua sese exercet inventiva hominum ingeniositas.

Nunc vide applicationem horum in praesenti. Certe, procedendo in via antiquorum doctorum scholasticorum, sicut in

initio nihil accipitur praeter conversionem illam quam nos docent Scripturae et Concilia, ita in progressu et in fine nihil apponitur quod sit ab homine confictum ; sed manente semper mysterio impenetrabili, praesto adsunt omnia ex quibus analogicum quemdam tibi efformes sacramentalis praesentiae conceptum *quoad eius inceptionem, durationem, et terminum,* habeasque insuper unde a sacrosancto fidei obiecto evidens impossibilitas propulsetur: praeter quae, nihil aliud quaerendum est in praesenti vita. Et vere, divina revelatio tum in suis propriis fontibus tum in authentica Conciliorum expositione, manifestissime proponit talem conversionem panis, ex qua resultet in dimensionibus sacramenti continentia quaedam sui generis respectu substantiae corporis Christi, quod non replicatur, nec ulla alia ratione in semetipso mutatur. Nam profecto, quantumcumque verba formae extorqueas, nunquam ea deduces ad hunc sensum qui esset secundum intellectum omnium adversariorum : *hic replicatur corpus meum.* Cum igitur una legitima formae expositio sit, *hoc quod continetur sub his dimensionibus, est* (consequenter ad vim conversivam verborum) non amplius panis, sed *corpus Christi:* quamdiu permanent dimensiones panis transubstantiati, tamdiu etiam perseverat sacramentalis praesentia, quia tamdiu manet ratio continentiae. Verum speciebus corruptis et in aliud quid mutatis, eo ipso cessat esse in natura rerum *illa designata dimensio separata quae fuit determinata ad continendum Christum,* non quidem localiter, sed citra omnem separationem eius a loco caelesti, ideoque ex natura rei consequitur praesentiae cessatio. Nihil ergo a principio ad finem adstruitur quod sit praeter revelationis fundamentum.

Considera nunc vias oppositas. — Primo asseritur, *ad praesentiae initium,* actio replicativa corporis Christi quae a revelatione non datur. Sed hoc interim omisso, animadverte quod ex actione replicativa, (sive replicatio fiat per reproductionem substantialem, sive per ubicationem accidentalem), sequitur quidem corpus Christi ibi adesse in primo consecrationis instanti, ubi sunt species sacramentales ; nondum vero consequitur quod quocumque in posterum species transferentur, ibidem etiam debeat

esse corpus Christi. Actio enim replicativa solum fecit ut Christus esset simul cum speciebus in momento completae prolationis verborum, sed non potuit ponere rationem sufficientem cur ad elevationem hostiae elevetur simul corpus Christi, et intra eiusdem hostiae terminos perseveret illius praesentia. Quippe, nondum intelligitur modus colligantiae unius ad alterum, imo positive intelligitur quod vi solius replicationis dari non potest. — Ecce igitur, ut rationem reddas *continuationis praesentiae* in sacramento, debes adstruere aliquam aliam actionem qua fiat ut corpus Christi semper sit simul cum speciebus, quocumque illae transferantur. Unde aliqui excogitaverunt « inseparabilem praesentiam ex pacto divino..., quatenus dicunt corpus Christi moveri motis speciebus, ex voluntate et pacto Dei » (1). Alii volunt, « inter Christum et species intercedere reale vinculum «per efficientiam, et quasi attractionem unius ad alterum» (2), ponendo in ipsis speciebus qualitatem supernaturalem intrinsecam, « qua possint trahere secum corpus Christi, sicut magnes « trahit per naturalem virtutem secum ferrum » (3). Verum, ut omittam interim omnes intrinsecas repugnantias quae in his dicendi modis latent, praesertim quia corpus Christi in Eucharistia localiter moveri et trahi nequaquam potest, manifestum est ista esse praeter quodlibet revelationis fundamentum, nec posse ullo modo erui ex verbis formae, quibus tamen significatur id omne quod circa panem et vinum in consecratione factum est. — Sed haec rursus praetermitto. Satis explicetur, si vis, continuatio sacramentalis praesentiae; nunc considerandum est qualiter accidat *eius desitio*. Corrumpuntur quidem species, et per specierum corruptionem cessat virtus earum attractiva; ast non satis, quia solum sequitur corpus Christi relinqui in eo loco quem ultimo occupabant species quando corruptae sunt. Et quid impedit ex natura rei quominus ibi remaneat, utique invisibiliter et intan-

(1) Ita Scotistae et Nominales, apud Suarez, de Euchar., Disp. 47, Sect. 3.

(2) Ita ipse Suarez, l. c.

(3) Ita Lugo, de Euchar. Disp. 6, Sect. 2, n. 33 et seq.

gibiliter sicut prius, remaneat tamen? Ecce ergo iterum oportebit recurrere ad deum ex machina, scilicet ad pactum et voluntatem divinam, qua fiat ut desinentibus speciebus, destruatur seu annihiletur Christus *secundum esse replicatum* quod habebat in sacramento. Verum haec sunt phantastice excogitata, et quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Nota. — Hactenus dictum est de accidentium permanentia in ordine ad realem praesentiam. Porro articulus sequens apud S. Thomam, quoad ea quae in corpore continentur, non habet specialem difficultatem, ut legenti patebit. Docet enim non permanere formam substantialem panis, contra quamdam erroneam opinionem olim exsistentem, sed nunc antiquatam, et aliunde iam satis superque confutatam, ubi ostensum est fieri conversionem totius substantiae quantum ad omnia principia constitutiva eius. In responsionibus autem ad 2am et ad 3"" inveniuntur quaedam ad intelligentiam mysterii apprime conducentia, sed quae idoneam habebunt expositionem, partim quidem ubi de iis quae sunt in sacramento vi verborum vel per solam concomitantiam, partim vero ubi de modo essendi accidentium sine subiecto manentium, et ideo in praesenti transmittuntur.

THESIS XLI.

(Art. 2).

Conversio panis in corpus Christi non fit secundum successionem temporis, sed est omnino instantanea.

Instantaneitas transubstantiationis tripliciter ostenditur. Primo, quia terminus *ad quem* non suscipit magis et minus, et ideo impossibile est ut conversio terminetur ad aliquid quod sit veluti initialiter corpus Christi, deinde vero magis, ac demum perfecte. Secundo, quia terminus *a quo* non potest successive praeparari ad transitum in aliud extremum; huiusmodi enim successiva praeparatio concipi nequit, nisi ubi remanet commune sublectum, sicut in transformationibus. Tertio quia huius conversionis auctor est solus Deus; atqui illae etiam conversiones

quae alias natae essent fieri successive, in instanti perficiuntur ab agente cuius infinita virtus mora tempoi is non indiget (*). Ita fere S. Thomas, in praesenti.

Quoad responsionem ad primum quae non est ita obvia, animadvertes in primis, difficultatem non esse peculiarem huic mysterio, sed eodem modo procedere in omni mutatione substantiali. «Idem est in mutationibus naturalibus», ait S. Doctor in fine responsionis, et iterum in IV, D. n, q. i, a. 3, q. 3, sol. 2, ad 2um: «Similiter est de illis mutationibus quae sunt termini «motus, sicut generatio est terminus alterationis». — Ne igitur suspiceris latere hic magnum arcanum, breviter exponitur difficultas et responsio. Difficultas est huiusmodi: Inter quaelibet duo instantia cadit tempus medium; sed haec conversio clauditur duobus instantibus, quae sunt ultimum instans quo sub speciebus est substantia panis, et primum instans quo sub illis est corpus Christi; ergo conversio ista mensuratur tempore quod cadit inter unum et alterum instans.

Porro in hoc argumento quidam non simpliciter concedebant maiorem, sed varias introducebant distinctiones quas successive refutat S. Thomas, nixus hoc principio, quod instantia in tempore se habent ut indivisibilia in continuo. In continuo autem, inter quaelibet duo indivisibilia puncta assignata mediat semper pars continui; alias, ex hoc ipso quod simplicia sunt, ex toto forent simul, et non esset unde distinguerentur, quod est

(*) Nota quod conversiones substantiales quas facit natura quodammodo conveniunt *quoad instanlaneitatem* cum transubstantiatione, et quodammodo ab ea differunt. Conveniunt in hoc, quod ipsa mutatio substantiae in substantiam semper fit in instanti; non enim datur aut dari potest tempus intermedium in quo conversionis subiectum, nec per unam nec per alteram formam substantialem informetur; et ideo necesse est ut primum esse termini *ad quem* sit primum non esse termini *a quo*. Verum in naturalibus conversio terminat praevium quemdam alterationis motum quo paulatim disponitur subiectum ad susceptionem novae formae, ita ut extremum *a quo* semper magis magisque appropinquet ad sui dissolutionem, quae futura est alterius extremi generatio. Sed in transubstantiatione nihil tale invenitur, ut satis constat ex dictis, et clare ostendit S. Thomas in corpore.

contra hypothesim. Quare concludit S. Doctor, esse simpliciter concedendam maiorem argumenti. — Negat igitur minorem et suppositum ~~quia~~, non est dare *ultimum instans* in quo sit sub speciebus substantia panis, sed solum *ultimum tempus*. quod quidem sic ostendit : Cum conversio ista fiat dependenter a verbis consecrationis quae successive proferuntur, oportet quod ultimum instans prolationis verborum, sit primum instans in quo est sub speciebus corpus Christi. Si ergo daretur ultimum instans praesentiae panis, istud foret instans *penultimum* prolationis verborum ; sed *penultimum* instans non datur, sicut nec in linea penultimum punctum ; ad hoc enim oporteret continuum constare indivisibilibus punctis vel instantibus consequenter se habentibus, quod constat esse impossibile. Si autem non est dare nisi *ultimum tempus* praesentiae panis, iam cessat difficultas, quia inter tempus et instans non oportet cadere tempus medium.

Et eodem modo, non est dare ultimum instans vitae et primum instans mortis, ita scilicet, ut inter ista duo cadat tempus quo homo nec vivus est, nec mortuus. Sed in toto tempore alterationis per quam perducitur ad mortem, homo est vivus, praeter ultimum instans in quo est mortuus; et quia impossibile est assignare in hoc alterationis motu instans penultimum, sequitur dari, non quidem ultimum instans, sed solum ultimum tempus vitae. Et similiter est in transubstantiatione, nisi quod successivus motus secundum quem ultimum instans attenditur, non est in subiecto conversionis, sed in enuntiatione verborum quae sunt factiva conversionis.

QUAESTIONIS CONCLUSIO.

(Art. 8).

Concludit S. Thomas disputationem *de conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi,* tradendo quasdam regulas circa modum loquendi in hoc mysterio. Oportet enim theologum catholicum non solum recte sentire, verum etiam exacte loqui, quia saepe ex verbis inordinate prolatis incurritur error:

quare in persona Timothei Ecclesiam monet Apostolus: «For· « mam habe sanorum verborum quae a tne audisti » (1).

Sane vero necesse est ut in his quae rationem naturalem undequaque transcendunt, voces humanae inveniantur deficientes. Possunt autem deficere tripliciter: Primo mere negative, in quantum nihil per se important quod non conveniat mysterio, sed propter hoc ipsum sunt maxime generales, sicut cum dico panem converti vel transubstantiari in corpus Christi, et istae locutiones sunt simpliciter concedendae, quia simpliciter verae. — Alio modo deficiunt voces, quatenus conveniunt mysterio, non secundum id quod proprie significant, sed secundum aliqualem similitudinem tantum, et huiusmodi locutiones non sunt concedendae nisi secundum quid, quia impropriae. — Tertio modo deficiunt voces per omnimodam disconvenientiam, et istae sunt simpliciter falsae, adeoque negandae (2).

Circa quae non occurrit specialis difficultas, nisi forte quantum ad propositiones, *panis fit corpus Christi,* vel *panis erit corpus Christi,* vel, *de fane fit corpus Christi;* quas omnes collocat S. Doctor inter improprias, licet ipsemet explicando propriam transubstantiationis rationem, similibus locutionibus, imo et expressioribus, usus esse quandoque videatur: « Cum in hac «conversione, inquit in IV, D. ii, q. i, a. 2, ad ium, id quod « est terminus a quo, scilicet substantia panis, convertatur se- « eundum se totam in terminum ad quem, scilicet corpus Chri- « sti, non quidem ut sit sub ipso, sed *ut sit ipsummet,* patet «quod non est annihilatio substantiae panis». Et ibid., a. 3, q. 3, sol. i, in corpore: « Hoc totum convertitur in totum, quia **fanis fit corpus Christi,* ut partes etiam convertantur, etc.».

In hoc igitur observanda sunt duo. — Primum est, quod ratio cur locutiones supradictae collocantur inter improprias, est quia important aliquid commune utrique conversionis termino in ratione subiecti: «Non conceditur quod panis erit corpus Chri- « sti, vel quod fiat corpus Christi, quia hic modus loquendi veri-

t') 2 Tim., I-J3.
(·) Cf. S. Thom., in IV, D. n, q. I, a. 4.

« ficatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, puta « cum dicimus quod album fit nigrum, vel album erit nigrum» (1). Quare, si permanentia subiecti communis expresse excludatur per declarationem additam, (utputa si dicam quod *panis per totalem sui conversionem fit corpus Christi,* vel quod substantia panis convertitur secundum se totam in corpus Christi *ut sit ipsummet,* sicut in locis praecitatis habetur), patet nullam esse amplius locutionis improprietatem. Tunc enim nihil aliud vi ter minorum exprimitur, nisi quod cessatio totius substantiae panis est desilio eius, non quidem in nihilum, sed in corpus Christi ; in hoc autem stat essentialis ratio huius conversionis, ut saepe dictum est. At vero, si nihil addatur quo expresse excludatur intellectus elementi permanentis, tunc, ut notat S. Thomas in fine articuli, impropria quidem locutio erit, sed adhuc poterit secundum quamdam similitudinem concedi. Nam etsi in hac conversione nihil maneat commune quod sit constitutivum unius et alterius extremi, manet tamen aliquid sub quo unum et alterum successive continetur, et est ad sensum demonstrabile. Unde potest dici quod panis fit corpus Christi, vel quod panis erit corpus Christi, si «nomine panis non intelligatur substantia « panis, sed in universali hoc quod sub speciebus panis conti- « netur ».

(1) S. Thom., hic art. 8, in corp.

Quaest. LXXVI.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

Cum hucusque dictum sit de reali praesentia et de actione quae est via ad ipsam, ordo rerum requirit ut explicetur modus quo Christus est in sacramento, et in hac quaestione habetur ultima enodatio doctrinae veterum circa praesens mysterium. Sunt autem iterum quaedam notiones per modum praeambuli exponendae : *primo* de habitudine substantiae corporeae ad quantitatem dimensivam, *secundo* de variis rationibus essendi in loco, *tertio* de praecipuis differentiis quae circa modum praesentiae sacramentalis inter doctrinam S. Thomae et doctrinam modernorum attenduntur.

§ i.

De substantia corporea, et quantitate dimensiva.

Ex notionibus de substantia et quantitate pendet fere omnis intelligentia huius quaestionis, maxime vero, quod attinet ad diversas rationes quibus res possunt secundum suam substantiam loco adesse ; constat enim locum in ordine dimensionum inveniri. Unde duplex in proposito solvenda quaestio occurrit : an scilicet substantia corporea realiter distinguatur a quantitate dimensiva, et quatenus affirmative, quomodo concipienda sit dicta distinctio.

i. De reali distinctione substantiae et quantitatis. Substantiam corpoream realiter distingui a quantitate, hoc est ab ea forma qua ens corporale habet esse dimensionatum in longum, latum, et profundum, agnovit Aristoteles solo lumine rationis ductus, et post ipsum cum communi scholasticorum indubitanter tradidit S. Thomas. Hanc distinctionem quam solus intellectus assequitur, (nam imaginatio nequit omnino dimen-

siones transcendere), solidis argumentis philosophia naturalis demonstrat. Etenim primo, *in rebus proportionalis intellectui nostro,* quaecumque sunt conceptu adaequate distincta, secundum rem etiam differant necesse est, eo quod in huiusmodi, obiecta non excedunt intellectum, adeoque nulla ratio sufficiens esse posset cur realiter identica distinctis conceptibus ita apprehenderentur, ut ne implicite quidem unus conceptus alium contineret. Atqui notio substantiae est adaequate extra notionem quantitatis, cum substant. ‹ b liniatur z‹/ · z/z *competit* ·■ ·■ quantitas vero *id quo aliquid est dinunsionatum.* Sequitur ergo quod in corporeis, quantitas a substantia differt secundum rem sicut accidens a subiecto. Praeterea, si substantia et quantitas essent re idem, variata specie quantitatis, variaretur etiam species substantiae, quod constat esse falsum. Quantitates enim specie differunt secundum magnitudines maiores vel minores, sicut binarius specie differt a ternario; substantia autem est eadem specie, in magno vel parvo homine, in magno vel parvo auro, atque ita porro. Item alia multa dantur argumenta deducta ex generalibus principiis de potentia et actu (x), quae tamen non sunt huius loci, praesertim cum *habeamus firmiorem propheticum sermonem,* cui theologus bene facit attendens tanquam regulae sibi propriae. Revelatio quippe praesentis mysterii duas firmissimas rationes quoad rem de qua nunc agitur, nobis suppeditat.

Prima est, quod tota substantia panis convertitur, permanente quantitate dimensiva eius, sicut in quaestione praecedenti ostensum est. Si autem totaliter transit substantia, quantitate remanente, ergo quantitas non est re idem cum substantia, sed ab ea realiter distinguitur.

Aliud quoque argumentum sumitur ex modo mirabili quo totus et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus similiter sub vini specie et sub eius partibus creditur exsistere (2). Si quis enim recte consideret, videbit evi-

(·) Vide, si lubet, S. Thomam, in. 11. D. 3, q. 1, a. 4, et Qq. disp, de Anima, a. 7, et de Spiritualibus creaturis, a. 8. et 4 c. Gent, c. 65. etc.

(·) Trident., Sess. XIII, cap. 3 (Denzinger 876).

denter, non posse ullo modo salvari hanc veritatem, posita reali identitate substantiae cum quantitate dimensiva. Non quod oporteat Christum esse in sacramento sine sua quantitate vel naturalibus dimensionibus, (huic enim positioni, ut ex sequentibus apparebit, omni ex parte repugnat S. Thomas, asserens esse in altari ipsum immutatum corpus quod in caelis est, et sub modici panis specie contineri Christum Deum et hominem perfectum), sed quia oportet ut illud quod per se primo est in hostia, id quod habet immediatam habitudinem ad species, id quod caeteris omnibus ad Christi personam pertinentibus est ratio adessendi, quodque hac de causa determinat modum continentiae proprium huic sacramento: oportet, Inquam, ut sit quiddam *ratione sui* indimensum, potens contineri indifferenter sub parva vel magna hostia, totum sub toto, et totum sub partibus singulis. Hoc namque pacto, sine contradictione dicetur adesse integrum Christum sub panis specie etiam modicissima, dum scilicet continentiae modus consequitur ibi, non naturam extensionis, sed magis naturam substantiae comparatam ad dimensiones ipsam non afficientes. At vero, si substantia esset idem cum quantitate, tunc foret ipsa dimensio; si autem substantia est ipsa dimensio, statim sequitur dimensiones corporis Christi esse per se primo sub speciebus sacramenti; unde non solum erit ibi corpus Christi in sua naturali dimensione et natura, (quod est necessario tenendum, ut videbimus), sed etiam ibi erit ratione dimensionis sub alia dimensione positionem habentis; quo semel statuto, omnino repugnat ut sit sub minima hostia, praesertim totum sub toto et totum sub partibus singulis, sicut cuilibet vel leviter attendenti evidenter apparebit.

Fuerunt equidem theologi Cartesii discipuli, qui cum magistro opinantes essentiam corporum in actuali extensione esse sitam, conati sunt nihilominus explicare modum exsistendi sacramentalem, recurrendo ad *condensationem :* quidni enim posset virtus divina id quod potest machina hydraulica? Dixerunt igitur, corpus Christi virtute divina redigi ad staturam minutissimam atque in hoc statu microscopic© replicari sub singulis, ut ipsi lo-

quuntur, specierum moleculis (*). Sed contra est quod transmissa nunc possibilitate huiusmodi condensationis, haec inventio facit de corpore Christi monstrum. Insuper, vel dices singulas specierum moleculas habere proportionaliter configurationem corporis humani, vel non. Si/primum,) sub praetextu accommodandi mysteria fidei placitis physicorum, statuis aliquid quod superat omnem credulitatem. Si fsecunduijfr, vel erit corpus Christi rotundum, quadratum, ellipticum, prout molecula est quadrata, elliptica, rotunda etc., vel si inscribitur in molecula sicut triangulus in circulo, ergo erunt partes moleculae sub quibus Christus non aderit, imo nulla erit pars sub qua totus exsistet, quod est contra doctrinam Tridentini ubi supra. Aut, si ad explicandum quomodo ubicumque est aliquid Christi, ibi est totus Christus: si, inquam, in una molecula multiplicas praesentias per varios situs variasque positiones, tunc incidis in eas absurditates quibus nulla opus est refutatione. Praetereaiiertio^ secundum hanc inventionem tot erunt Christi corpora, quot sunt moleculae in speciebus consecratis ; ea enim quae mensurantur et circumscribuntur superficiebus atomorum distantium, profecto a se invicem distant et separantur; habebis ergo hostiam infinitis Christi corporibus constellatam. (Quarto)denique, impossibile est ut unum idemque corpus sit simul in seipso dimensionis molecularis et dimensionis hominis perfecti, nisi velis contradictoria simul verificari de eodem et sub eodem ; plane igitur repugnat ut corpus inscriptum in specierum moleculis sit numero idem cum eo corpore quod in caelo iustam habet corporis humani proportionem.

(*) « Partes corporis organizati a Deo conservari possunt sub ex-
« tensione minori et minori in infinitum, cum figura et ordine situali. —
« Totum et integrum corpus organizatum, a Deo sub minori et minori
« in infinitum extensione conservari potest, cum figura et ordine situali
«omnium partium suarum. — Recte dici potest corpus Christi cum fi-
« gura et ordine situali omnium suarum partium, *vi* verborum consecra-
« tionis reproduci sub omnibus et singulis moleculis speciei panis.. . Totus
« et integer Christus est in tota hostia et in qualibet eius parte sensibi-
« liter designabili, sicut homo toties in aula replicatus ut eam impleret,
«esset in tota aula, et in qualibet eius parte sibi commensurate, etc. ».
Simonnet, de Euchar., Disp. 5, art. 4.

Mitto alios dicendi modos theologorum eiusdem scholae, quia easdem continent repugnantias, imo superaddunt maiores. Quidam enim ponunt, non condensationem, sed ‹umpenetrationem omnium atomorum corporis Christi, dum scilicet superiori virtute divina vincitur atque eliditur, ut ipsi aiunt, vis resistentiae qua molecula a suo situ aliam repellebat. Sed £bsit a gloriosi corporis mysterio huiusmodi confusio partium qua vel speciem humanam amitteret. (Praeterea} ipsa hypothesis compositionis corporis organici ex atomis individuis est ex toto absurda, quia sequeretur humanum corpus non esse unam substantiam, sed aggregatum et acervum substantiarum/ Denique} quantumvis atomicum corpus dicas, semper remanet extensum, et ex tuis principiis, ipsa extensio; unde, cum semper cogaris ponere corpus Christi in sacramento per modum dimensionis, redeunt omnia argumenta praecedenter allata. Sed et ‹jiîhuc magis} ut cuique facile apparebit, explodenda est sententia eorum qui ponunt corpora omnia, tam organica quam inorganica, constitui punctis simplicibus certa dispositione in spatio distributis, mysteriumque sacramentalis praesentiae explicant per collectionem omnium punctorum corporis Christi in punctum unum, quod deinde in singulis specierum punctis replicaretur.

Sic igitur dicendum necessario est, non solum ex naturalis rationis dictamine, sed etiam consequenter ad principia revelata, quantitatem dimensivam realiter distingui a substantia corporea. Verum, etsi in hac assertione concordent scholastici omnes, (nam Cartesiani inter scholasticos profecto non numerantur), non omnes tamen eodem modo quantitativum compositum concipiunt. Quare inquirendum superest de natura ipsius compositionis et utriusque componentium.

2. De quantitate dimensiva, quid sentiunt scholastici recentiores. — Iuxta scholasticos recentiores substantia corporea, praeter partes essentiales quae sunt materia et forma, habet etiam *per seipsam* partes intégrales in actu, id est partes eiusdem rationis substantialis, nondum quidem situ per distributionem in spatio, sed iam entitate inter se distinguibiles ac distinctas. Unde duplicem extensionem excogitant, *substantiale*™

scilicet *dimmsivam* sive magnitudinalem, opinantes quod « substant' ilis extensio est de intrinseco conceptu substantiae « materi ▮ » (1). Quantitas igitur accedens solummodo distribuit in spatio partes actu iam praeexsistentes, sicque evadit formale principium dimensionati, constituendo molem sese nunc extenden tem in longum, latum et profundum. « Non potest, inquit Suarez « ubi supra, Sect, i, esse effectus formalis quantitatis, facere par· « tem substantiae extra partem esse in ordine ad se. Unde ulte « rius colligi videtur, si extensio partium, (vel quod una sit extra « aliam), est effectus formalis quantitatis, solum posse id esse in « ordine ad locum vel spatium ».

Sed nunc, antequam ulterius progrediamur, praecipua animadversione dignum est, quod iidem theologi omnem praesen tiam rerum in loco concipiunt *per modum cuiusdam materialis repletionis,* in quantum scilicet dicunt res omnes tam corporales quam spirituales, vel per suarn substantiam, vel etiam per suas dimensiones (si habeant), *implere spatii vacuitatem,* ac per hoc, sub mensura loci in quo sunt, semper et necessario constitui. « Si per localem praesentiam, ait Suarez, de Euchar., Disp. 48, « Sect. I, intelligamus quamlibet realem et substantialem prae· « sentiam, ratione cuius res hic adest potius quam alibi, sic prae· « sentia (sacramentalis) localis est, ad eum modum quo praesen· « tia angeli exsistentis in suo loco localis est. Nam huiusmodi « denominatio non connotât aliquem modum physicum seu quan· « titativum occupandi spatium, sed modum substantialem aut en· « titativum, ratione cuius fit ut *spatium illud cui res dicitur esse « praesens, non sit omnino vacuum, sed tali re vel substantia « plenum* ». Differentia porro nulla esse potest nisi in modo repletionis ; nam si substantia habeat actuales dimensiones, ita spatium replet ut totum sit in toto et pars in parte; si autem acjuali dimensione careat, cogitanda est spatium implen- p› r mo‹lum rei quae in punetum veluti contracta, simul continue per spatium diffunditur atque inflatur, ut tota ex.-istat 01 r ·;.. in partibus singulis. « Duo ad modum essendi spiritualem, quem(*)

(*) Suarez, de Euchar., Disp. .,8, Sect. 1.

«substantiae incorporeae habent, reqnirim ' . Aitertïnp est, *ut «res lota sit veluti collecta in punctum indivisibile,* ita ut nihil «illius sit quod in illo indivisibili non reperiatur; si enim aliquid «esset extra illud indivisibile, quod etiam intra illud non sit, «haberet potius modum exsistendi rerum coi porearum, quarum «est habere partem extra partem, quam rerum spiritualium quae « totam entitatem suam in punctum indivisibile collectam obti- « nent.<Alterum)est, *ut illud indivisibile continue sit extensum «vel diffusum per suas, ut ita dixerim, totalitatcs;* alioquin non « posset aliquod spatium continuum simul totum et continuo « modo occupare, quod est etiam contra modum exsistendi re- « rum spiritualium. Requiritur itaque ut totum sit intra punctum « indivisibile, et totum extra, absque tamen discontinuatione. « Utrumque hoc reperitur in modo exsistendi quo corpus Christi «exsistit in hoc sacramento; nam totum est sub quovis puncto « indivisibili, et totum est continue atque sine intercisione dii- « fusum per totam specierum quantitatem, *sicut substantiae spi- « rituales sunt diffusae per totum spatium quod occupant »* (*). Sic igitur, secundum theologos illos, nihil omnino in loco esse potest nisi per modum cuiusdam continui quod ipsam loci va- cuitatem repleat, vel mole quantitativa, vel certe diffusione et veluti inflatione entitatis in indivisibile punctum collectae.

Quae si ita se habeant, statim sequitur, dimensiones ^orporis Christi non esse in sacramento. Fieri enim nequit ut locus hostiae

(*) Lessius, de perf. divin., l. 12, c. 16, n. 124. — Consonat Card. Franzelin, de Euchar., Thés. XI: «Diversitas huius modi praesentiae « corporis a modo exsistendi spirituum, satis per se patet. Spiritus enim «nullas habet partes, secundum quas commensurari posset spatio ex- «stenso; unde et praesentia citra extensionem *velut in puncto indivisi- • bili,* et indivisibilitas subiecti ei essentialis est ex ipsa sua simplici- «tate; illa autem *praesentiae velut diffusio intra, certos limites,* spiritui « naturalis est, non vi ipsius simplicitatis, sed ex sua intima spirituali «virtute, etc.». Quae omnia iam videntur omnem excedere fidem. Quo- modo enim possit id quod est et manet in punctum indivisibile col- lectum, adhuc diffundi et replere spatii vacuitatem, difficile sane erit, non solum imaginatione assequi, verum etiam intellectu et cogitatione apprehendere.

sit repletus dimensionibus illis. Est enim evidenter impossibile ut dimensio maior (puta, hominis perfecti) repleat locum dimensionis minoris (puta, unius parvae hostiae), et a fortiori, ut repleat b· um illum ita ut sit tota in toto et tota in singulis partibus. Itaque necesse habuerunt praedicti theologi privare ipsum Christi orpus in sacramento exsistens, omni dimensione actuali. Ne autem cogerentur etiam auferre ab eo propriam quantitatem, (sic enim sequeretur non esse sub speciebus Christum totum atque integrum, quod est contra fidem), debuerunt consequenter asserere, quantitatem corporis Christi adesse quidem in Eucharistia, sed sine formali effectu magnitudinalis extensionis. Verum, quia iterum absurdum est ponere formam sine suo formali effectu saltem primario atque immediato, ideo tandem necessitate quadam compulsi, duplicem quantitati formalem effectum attribuerunt, primarium unum, secundarium alterum. Primarium dat substantiae corporeae solummodo *aptitudinalem* dimensionem in longum, latum, et profundum; secundarius vero *actualem.* Quo posito, aiunt secundarium hunc effectum virtute divina suspendi in sacramento, atque hoc modo remanet ibi corpus Christi quantum, et nihilominus actu indimensum. Doctrina igitur de quantitate dimensiva apud recentiores scholasticos sic resumitur: « Di« cendum existimo, materialem substantiam non habere a quan« titate intrinsece ac formaliter entitativam extensionem, seu di« stinctionem ac coniunctionem suarum partium substantialium, « sed eam habere per intrinsecam suam entitatem. Habet autem « substantia a quantitate hanc corpoream molem quam nos per « effectus explicamus, et per ordinem ad locum et ad sensus « nostros. Primum itaque habet haec substantia a quantitate ita «occupare locum, ut una pars excludat aliam ab eodem spatio. « et consequenter, ut inter se localiter distent; et similiter inde « habet substantia corporea ut aliam similem ab eodem loco ex« eludat, et impenetrabilis sit, et alteri corpori resistat, quamdiu « non dividitur et loco pellitur. Possunt autem haec omnia du« pliciter intelligi in substantia quanta: primo *aptitudine* tantum, «seu potentia proxima; secundo *in actu exercito,* ut sic dicam. « Primo modo pertinet ad primarium effectum quantitatis, inse-

«parabilem ab illa etiam per divinam potentiam,... Posteriori «autem modo, non pertinent haec ad primarium effectum for« malein quantitatis, sed sunt vehit proprietates naturales conse« quentes, quae proinde impediri possunt, conservata quantitate. « Et iuxta haec duo membra explicari potest communis distinctio, «de extensione in ordine ad se, vel in ordine ad locum; nam « prior illa aptiludinalis dispositio dici potest extensio quaedam « corporis secundum se, quia ratione illius aptum est occupare « spatium extensum... : posterior vero dici potest extensio in or« dine ad locum, quia consideratur secundum actualem modum « quo corpus occupat spatium extensum per commensurationem « seu extensionem partium respectu illius » ζ1).

Verum hic dicendi modus, multiplici ex capite excludendus esse videtur. —(Primmest contra communes animi conceptiones, quatenus ponit rem corpoream posse affici quantitate, et simul ab omni actuali dimensione absolvi. Duplex enim est quantitas: *discreta,* quae est principium numeri praedicamentalis, et *continua,* de qua agitur in praesenti. Iam age, quantitas continua cum ipsa dimensione in longum et latum et profundum, ita evidenter convertitur, ut quidquid actu est quantum seu continuum, eo ipso dicendum sit habere actu triplicem dimensionem; sin autem in sola aptitudine sit dimensionatum, nonnisi aptitudinaliter etiam quantitate affectum concipi possit. (Accent quod substantia corpprea habet evidentissime, non quidem per accidentalem formam sibi superadditam, sed omnino *per seipsa»i,* aptitudinem ad extensionem magnitudinalem, multoque magis si, ut isti auctores dicunt, per seipsam est entitative extensa, habens in actu partes intégrales quarum aliae immediate, aliae mediate ordinantur et continuantur inter se. Non ergo sustineri ullo modo potest quod actualis dimensio sit effectus formalis *solum secundarius* quantitatis,(*)

(*) Suarez, de Euchar., Disp. 48, Sect. 1. — Ubi vides differentiam huius opinionis a doctrina Cartesianorum superius refutata Non enim asseritur nunc condensatio corporis Christi, nec etiam compenetratio partium, quasi vi positiva vinceretur resistentia qua uua pars repellit aliam a suo situ. Sed aufertur ipsum fundamentum impenetrabilitatis, per ablationem magnitudinalie extensionis.

idemqip ib ea realiter separabilis. —(Secundo,iste dicendi modus null'· nititur fundamento, sive in naturali philosophia, sive etiam in divina revelatione, nisi forte excipias factum praesentiae corporis Christi intellectae per modum repletionis omnium locorum in quibus est sacramentum. At vero huiusmodi fundamentum non solum est infirmum, verum omnino fictitium atque impossibile, eadem scilicet impossibilitate qua impossibile est ut unum ens individuum dividatur a seipso, et a seipso locorum distantiis separetur. Unde ex doctrina fidei circa Eucharistiam non sequitur quod Christus qui mole sua replet locum caelestem, repleat etiam sua substantia innumerabiles locos sacramenti, sed solum quod Ίη sacramento nobis adest ea praesentiae ratione quae transcendit genus positionis et situs, ut iam dictum est superius, et magis infra declarabitur. — Tertio idem ille dicendi modus non solum caret fundamento, sed nequidem satisfacit causae propter quam fuit inventus. Quaeritur enim quomodo concipi possit vacuitatem loci repleri per aliquid indimensum, praesertim si illud cogitetur ad modum puncti quod non eminet supra extensum, sed de genere extensi exsistens, ipsa sui generis perfectione privatur. —v.Çjuarto demum, si Christus in sacramento careret omni dimensione actuali, sequeretur eum non esse ibi organizatum, ea saltem organizatione quae necessaria est ad corporalem vitam in actu secundo. Non ergo adesset sub speciebus totus et integer in perfectione suae humanitatis, ut interim omittam contradictionem sitam in hoc, quod ponatur simul in caelo exercens immanentes operationes vitae, in sacramento autem incapax earumdem.

Hinc tandem infero, debere alio modo concipi compositionem quantitativam, necnon et naturam componentium. Quis autem ille modus sit, sequentia declarabunt.

3. De quantitate dimensiva, quid doceat S. Thomas. — Substantia corporea nullas habet *per seipsam* partes intégrales entitativas in actu, sed in potentia tantum, id est, radicaliter et exigitive. Quare, ante quantitatem adest quidem tota entitas ex qua partes habebunt substantialitatem, sed nondum adest ratio formalis partium extra partes, etiam in ordine ad se. quod qui·

dam bene exprimunt dicentes, esse in substantia sine quantitate *totam entitatem substantialem partium,* nondum tamen *partes entitatis substantialis.* Unde, si removeatur quantitas, substantia est simpliciter indivisibilis, etiam entitative. « Remota quantitate, ait « S. Doctor in 4 c. Gent., c. 65, substantia omnis indivisibilis « est, ut patet per Philosophum ». Et iterum, in prima parte, Q. 50, a. 2: «Materiam dividi in partes non convenit nisi secundum « quod intelligitur sub quantitate, qua remota, remanet substan- « tia indivisibilis». Et iterum. Quodl. 9, q. 4, a. 6: «Subtracta «quantitate, substantia remanet indivisibilis».

At vero, (et hic tangitur id quod est caput differentiae inter veteres et modernos, sed et in ordine ad praesens mysterium, praecipuum habet momentum), indivisibilitas illa quae substantiae competit *ratione sui,* nequaquam est concipienda per modum indivisibilitatis puncti habentis situm in spatio, quod deberet ex consequenti replere spatii vacuitatem, si per impossibile supponeretur intra loci terminos diffundi. Et re quidem vera, si substantia realiter distinguitur a forma qua fit quanta et divisibilis, necesse profecto est ut propria eius indivisibilitas non sit indivisibilitas privationis et imperfectionis de ipso genere extensi, *cuiusmodi est indivisibilitas puncti,* nam alias, numquam fieri posset quanta sicut punctum numquam fieri potest linea. Sed cogitanda est *indivisibilitas conveniens substantiae ratione sui, velut transcendens totum genus quantitatis et continui,* ideoque omnem etiam ambitum rerum imaginabilium, quia imaginatio non refert nisi ea quae sensu exteriori percipimus, ac proinde quidquid excedit ordinem dimensionum,eo ipso extra obiectum adaequatum sensuum et imaginationis invenitur. Unde S. Thomas in II, D. 30, q. 2, a. 1, in corp., refutans eos qui aiebant totum mundum fuisse factum ex materia punctali, hac ratione innixi, quod materia ante quantitatem indivisibilis est, ad modum puncti se habens: « Iste modus, « inquit, multipliciter deficit. Primo, quia imaginatur indivisibilita- « tem materiae ad modum puncti, ut sic ex materia mundus sit « factus per quamdam quasi extensionem, sicut si res parva in « magnam extendatur, hoc autem non est verum. Materia enim, « (vel corporea substantia ratione sui), dicitur *indivisibilis per nega-*

« *tionem totius generis quantitatis. Punctus autem est indivisibilis* « *sicut quantitatis principium, situm determinatum habens.* Unde « ex materia res quanta efficituf, non per extensionem, loquendo « de materia prima, cum extensio non sit nisi eius quod alicuius « quantitatis erat, sed per quantitatis susceptionem ». Quibus affinia sunt ea quae habet S. Doctor in I, D. 37, q. 2. a. 1, ad 40P'. « Relicta imaginatione, indivisibilitas substantiae incorporeae, ut « Dei vel angeli, vel animae, *vel etiam materiae* (seu substantiae « materialis absque quantitate) sicut indivisibilitas puncti non « cogitetur, quia ut dicit Boetius de Trin., oportet intellectualia « non deduci ad imaginationem » (l).

Quae igitur cum ita sint, quantitas sive forma illa accidentalis quae est *ut quo* substantia corporea fit dimensionata et divisibilis: quantitas, inquam, constituit partes integrates in formali ratione partium, et in tantum constituit eas, in quantum facit alias esse extra alias, non quidem in ratione ent entia extra alia entia, sed praecise in ratione extensionis, pro quanto partes istae, effbrmando Quiddam actu spatiosum, situ seu positione inter se invicem distinguuntur. Quare substantia corporea quae ratione sui se habet per modum unius indivisibilis extra totum genus continui, incipit habere per quantitatem, et ratione quantitatis, extensionem in longum et latum et profundum, adeoque situm et positionem, etiam in ordine ad locum extrinsecum quem suis dimensionibus occupat et contingit. Neque ulla est in praesenti ponenda differentia inter substantias organicas et inorganicas, tametsi obiicere quis posset, de ratione corporis organici esse, ut habeat partes intégrales, easdemque heterogeneas, et determinate distantes ab invicem. Nam sicut in

(·) Similiter, directe contra positionem Lessii ubi supra, ait Angelicus de Spiritual, creat., a. 4, ad i6u"": «Anima non est indivisibilis *ut* « *punctum habens situm in continuo;* contra cuius rationem esset, in loco «divisibili esse. Sed anima est indivisibilis per abstractionem a toto ge- « nere continui : unde non est contra eius rationem, si sit in aliquo divi- « sibili toto ». Et iterum, de Anima, a. 10, ad 18"": « Quod simplex est, « (habens determinatum situm in continuo ut punctum), non potest esse «simul in diversis partibus continui».

creatis oportet distinguere *vivens in actu primo,* quod est praedicatum substantiale, et *vivens in actu secundo,* quod est praedicatum accidentale, utpote nominans operationem vitae, vel vegetativae, vel sensitivae, etc.: ita necesse est sub duplici respectu considerare substantiam corporis org;>ni< i. primo quidem ratione sui et antecedenter ad quantitatem, deinde vero prout est affecta quantitate et sub determinatione quantitatis. Porro, priori modo nondum habet partes organicas nisi radicaliter et in naturali exigentia, in quantum forma substantialis nata est diversimode explicare virtutem suam per varia membra et organa, consequenter ad constitutionem partium integralium seu quantitativarum. Caeterum, tam in rebus inorganicis quam in organicis, substantia est tota *totalitale essentiae specificae,* sive in toto sive in partibus singulis; partes enim organicae non differunt ab invicem substantialiter, sed accidentaliter tantum, quatenus per varias qualitates accidentales acquirunt rationem carnis, ossium, nervorum, et aliorum huiusmodi ζl).

Et haec quidem praecipua principia sunt, quae in praesenti(*)

(*) Nihil refert, quod non de qualibet parte animalis dici potest quod sit animal, sicut de qualibet parte aquae, quod sit aqua. Ratio enim differentiae non est quia in *solis* homogeneis substantia est totalitate essentiae, tam in toto quam in partibus; sed quia substantiae homogeneae sunt divisibiles in plura tota eiusdem speciei, substantiae vero organicae, quarum est perfectior unitas, non ita. Cum enim pars integralis qua talis nihil aliud sit quam *aliquod totum potentialiter contentum in continuo,* in tantum de aliqua parte aquae designata praedicatur quod sit aqua, in quantum est potentialiter quoddam totum, cui adhuc, separatione facta, species aquae conveniret. Ast separatione facta unius membri a reliquo corpore, membrum illud non esset aliquod aliud eiusdem speciei individuum, et ideo de uno membro in corpore designato dici non potest quod sit animal. Caeterum, manifestum per se est, compositionem materiae et formae substantialis inveniri tam in toto quam in partibus singulis, sive organica consideres, sive inorganica. Unde utraque substantia est ratione sui indivisibilis, extra genus continui ; utraque etiam per susceptionem quantitatis et ratione quantitatis fit dimensa et extensa in partes ; sed in viventibus forma substantialis diversimode explicat virtutem suam in partibus semel constitutis, prout requiritur ad operationes vitae tum vegetativae tum sensitivae.

mysterio debent attendi, quae etiam logice deducuntur ex praedemonstrata distinctione reali substantiam inter et quantitatem. Si enim substantia corporea a quantitate dimensiva secundum rem distinguitur, necesse omnino est ut per seipsam extra omne genus dimensionum exsistat, necesse pariter est ut quantitas sit id quo primo partes habentur extra partes, situ inter se distinguibiles. Nunc autem, ex hoc quod corporea substantia, ratione quidem sui prorsus absolvitur ab iis quae consequuntur dimensionem, ratione vero quantitatis sibi inhaerentis nata est occupare locum et determinatum in eo situm habere, statim licet concludere nullam fore contradictionem, si ipsa substantia dicatur posse dimensivo simul et indimensivo modo in diversis locis contineri, quatenus scilicet, in uno adesset ratione propriae quantitatis et eo continentiae modo qui sequitur habitudinem dimensionis ad dimensionem ; in altero vero, ratione sui ipsius et quodam diverso modo continentiae consentaneo naturae substantiae secundum se (1).

Quod ut manifestius fiat, considera sequentem processum, qui est purum corollarium praecedentium. — Quippe, ex hucusque dictis sequitur primo, quod si per possibile vel impossibile substantia quaedam corporea spoliata quantitate propria coniungeretur alicui dimensioni extrinsecae, dicenda quidem foret vere esse in loco dimensionis huius, non tamen ut habens in eo positionem et situm, nec quasi constituta sub mensura loci, aut tamquam replens vacuitatem eius; sed totalitate reali tatis suae exsistens indifferenter tota in toto et tota in partibus singulis, haberet praesentiae modum omnino diversum a *modo* consueto quem solum nos imaginamur et proprio conceptu valemus attingere, in quo scilicet terminis loci res clauditur, iis-

(1) Ideo cum dicitur *dimensivo* et *indimensivo modo,* ne accipias, quaeso, hos duos modos quasi *contrarie* oppositos; quod quidem tunc esset, si ly *indimensivum* sumeretur *privative.* in ipso ordine dimensionis. Sic enim foret absoluta repugnantia, quia nihil potest contineri alicubi per modum extensi, et alibi per modum puncti. Igitur dimensivus modus est continentiae modus qui determinatur ex natura dimensionis; indimensivus vero, ex natura alicuius alius quod est secundum se *extra* totum continui genus.

demque circumscribitur. — Consequitur secundo, quod si iterum per possibile vel impossibile haec eadem substantia, manens semper *ratione sui* coniuncta alienae dimensioni, inciperet hic et nunc affici sua propria quantitate, non propterea mutaretur praecedentis continentiae seu praesentiae modus, quia semper perseveraret eadem ratio, idemque titulus eius. Cum enim ille modus inveniatur extra ordinem commensurationis quanti ad quantum, sed omnino in alio genere, ut dictum est, nequaquam ex accessu quarumcumque dimensionum posset impediri (†); imo vero, dimensiones advenientes concomitanter adessent propter realem inseparationem a substantia, adeoque mediante substantia et per modum substantiae. Quid ergo sequeretur? Nihil aliud nisi quod substantiae illi proveniret alia nova praesentia, eaque localis et circumscriptiva, in eo scilicet loco quem suis propriis dimensionibus replere inciperet, et cui coaptaretur per contactum quantitatis. — Hinc tertio, si ordine inverso, existens prius cum quantitate sua in proprio et commensurato loco, inciperet contineri *ratione sui* in extrinseca dimensione, non ideo amitteret situm praecedentem, neque mutaretur aut quocumque modo moveretur in semetipsa, sed solum acquireret in loco alienae dimensionis novam praesentiam extra genus situs et clausurae sub mensura loci, et haec praesentia est ex transubstantiatione resultans, de qua dixit Tridentinum Sess. XIII, cap. 1, quod etsi illam verbis exprimere vix sufficimus, « possibilem tamen esse « Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et con- « stantissime credere debemus».

§ 2.

De variis rationibus essendi in loco.

Cum ex dictis quantitas sit ut quo formaliter habentur partes, quarum propria ratio in hoc consistit, quod aliae sint extra alias, id est, positione et situ inter se distinguantur, constituendo

† Iterum ad huius rei intelligentiam oportet removere (quod attinet ad propriam conditionem substantiae), phantasma puncti. Si enim per accessum quantitatis substantia transiret de statu punctali in statum di-

dimension.itum quoddam in longum et latum et profundum : statim apparet, constitutivum *spatii* esse ipsam dimensivam quantitatem. I nmensio enim et spatium profecto idem sunt, et ita quidem ut dimensio imaginata faciat spatium imaginarium, dimensio vero realis spatium reale. — Porro *locus* dicit terminationem alicuius portionis spatii per superficiem circumscribentem. Definitur enim ab Aristotele, *superficies dimensionati continentis, immobilis, prima :* id est, superficies primo et immediate claudens capacitatem certi spatii interclusi, eademque non materialiter accepta, (qua ratione est mobilis ad motum ipsius corporis continentis), sed accepta immobiliter per certam distantiam a punctis fixis, puta a centro universi. Locus itaque est aliquid extrinsecum rei quae dicitur esse in loco ; unde statim apparet quod *esse in loco* non est nisi resultantia ex coniunctione cum loco ; apparet etiam esse omnino impossibile ut praesentia in loco habeatur formaliter per intrinsecum quemdam modum per se primo productum in subiecto; apparet demum quod alia atque alia datur ratio essendi in loco, secundum aliam atque aliam rationem coniunctionis cum eo. In praedicta autem coniunctione duo possunt considerari : *primo* modus coniunctionis : tum *secundo* potentia ad coniunctionem.

i. De variis rationibus essendi in loco, attento modo coniunctionis cum loco. — Modus coniunctionis per contradictorias differentias acceptus attenditur dupliciter. Nam est coniunctio cum loco *per modum loci ipsius,* ex qua resultat id quod est esse in loco localiter, et est coniunctio cum loco *non Per modum loci,* ex qua resultat id quod est esse in loco non localiter (x).

Certe, si locus est superficies dimensionati continentis, ut dictum est supra, res quaepiam coniungitur loco per modum

mensionati, profecto prior continentiae modus, utpote *contrarius* modo illi quem requirit natura extensionis, omnino auferretur. Nunc autem modus continentiae qui determinationem accipit ex propria ratione substantiae, et ille alius qui regulatur ex natura dimensionum, non sunt duo contraria, ut dictum est, sed in alio atque alio genere considerantur.

(») Cf. S. Thom. i, Quaest. 52, a. 1.

loci, quando ei coniungitur ratione dimensionum et per applicationem dimensionum ad dimensiones, coextetulendo partes suas partibus spatii quod terminis ipsius superfici i continentis est circumscriptum. Et sic, duae requiruntur conditiones: prima, ut res sit dimensionata ; altera, ut per dimensiones suas loco applicetur, contingatque terminos eius *contactu contiguitatis*. Quarum conditionum si vel una desit, non datur esse in loco *localiter,* quod etiam dici solet esse in loco circumscriptive (!). — Hoc modo, scilicet circumscriptivo, omnia corpora quanta sunt de necessitate in aliquo loco, vel reali, vel certe possibili, quia corpus quantum est necessario constitutivum alicuius realis spatii, ac per hoc, est de se repletivum loci. Non quod necesse sit ut de facto occupet aliquem realem locum, (posset enim exsistere corpus quantum, etsi nullus daretur realis locus extra ipsum, id est, nullum extrinsecum corpus continens), sed quia res quantitate affecta apta est locum replere, et ita quidem ut si sit locus cui ratione suarum dimensionum coniungatur, eo ipso debeat locum hunc occupare, coextendendo partes sui ad partes loci. Et secundum hoc intelligi potest distinctio inter extensionem corporis *in ordine ad locum* et extensionem eius *in ordine ad se,* vel, ut quidam minus recte dicunt, inter effectum formalem quantitatis intrinsecum et effectum eius formalem extrinsecum. Quae distinctio bene intellecta non signat duplicem modum in proprio statu corporis quanti, sed solum duplex genus denominationum. Extensio enim in ordine ad locum nihil addit supra extensionem in ordine ad se, nisi continentiam in loco extrinseco per modum repletionis seu quantitativae commensurationis. — Porro, ex hoc quod corpus localiter in loco constitutum mole sua replet ipsas loci dimensiones, statim colliges, *ut aliae nunc rationes omittantur,* tam esse impossibile ut aliquid sit localiter in pluribus locis, quam est impossibile ut dimensio unius

(·) «Locus dicitur *circumscribere* locatum, ex eo quod in circuitu «describit figuram; figura autem est qualitas circa quantitatem... Nihil «per se et proprie loquendo est in loco ut in loco (localiter), nisi quod «loco circumscribitur». S. Thom., in IV, D. 10, q. j, a. 3, q. 4, so|_ Ib

cubiti .i- pu t unquam cubitos duos vel decem fl). Consequentia est valde ‹ videns, quia quidquid est realitatis in spatio constituitur pei dimensiones quae sunt effectus formalis quantitatis, et ideo, as (rere quod unum idemque corpus potest esse localiter in pluribus locis, (puta, replere suis dimensionibus capacitatem clausam superficie unius sui adaequati continentis, et iterum capacitatem clausam superficie alterius aequalis, et sic in infinitum), idem est ac asserere quantitatem determinatae magnitudinis posse constituere sine sui augmento dimensiones duplo vel centuplo maiores, quod quidem tunc tantum verum erit, quando veram erit nutare prima principia matheseos, et unicubifale commensurari posse bicubitali. Nec in oppositum faciunt mirabilia illa quae in vitis quorumdam sanctorum leguntur, quemadmodum ex auctoritate minime suspecta Benedicti XIV, de servorum Dei beatificatione, etc., l. 4, Part. 1, cap. 32, n. ***ij,*** satis superque constat : « S. Bonaventura, inquit, narrat S. Francisco apparitio- « nem in capitulo fratrum eius Ordinis Arelate celebrato, dum « S. Antonius concionem de titulo Dominicae crucis haberet... « Item in bulla canonizationis S. Petri de Alcantara legitur eum « adhuc viventem, S. Theresiae pluries non sine prodigio ap- « paruisse,.. Similiter in bulla canonizationis S. Philippi Nerii :

(') Dixi, *ut aliae nunc rationes omittantur;* quia vel ex sola repugnantia *replicationis quocumque modo intellectae,* (utpote quae semper est contra essentialem rationem individui), impossibilitas multilocationis circumscriptivae sufficienter iam deducitur. Et si ea quae hactenus dicta sunt de mysterio Eucharistiae bene perspexeris, videbis quo loco habendum sit argumentum *indirectum* quo multi in philosophia utuntur, ut persuadeant quod unum idemque corpus potest esse etiam circumscriptive in pluribus locis simul. Nimirum statuunt illi hoc principium, esse, aut debere esse in confesso apud omnes catholicos quod unum corpus in uno loco circumscriptive exsistens potest in aliis replicari non circumscriptive, id est, sine actuali extensione in longum, latum, et profundum. Imo putant hoc ad tidem pertinere, propter ea quae de mysterio Eucharistiae docet revelatio. Et hoc posito, facile arguunt dicentes : Si possibilis est iste replicationis modus, multo magis alius, qui esset minus miraculosus, utpote servans saltem corpori replicato naturalem suum essendi modum. Et recte quidem, admisso semel supposito super quo fundatur argumentum. Sed suppositum est falsum Falsum enim est

« Iterumque, cum in Urbe maneret, nunc in humanis agentem « Catharinam Ricciam Prati in Etruria commorantem, longo « temporis spatio est allocutus... At, ne in rem de qua nunc « agitur aliqua obrepat ambiguitas, *aliud est unum idemque « corpus hominis viventis eodem tempore esse in duobus locis, « quam philosophi appellant replicationem ; aliud est, hominem « vivum exsistentem in uno loco apparere in alio loco distanti.* « Praesens indago *non primum, sed secundum respicit casum,* « in quo, si aptae et firmae adsint probationes, et caetera verae « apparitionis indicia non desint, una cum aliis quae diximus « adesse debere ut apparitiones mortuorum inter miracula re- « censeantur, et ut de eis haberi possit ratio in iudicio beatifi- « cationis et canonizationis, de miraculo non dubitarem, etiam « ad praedictum effectum, *cum vera apparitio dari non possit « nisi ministerio angelorum, corpus aereum efficientium,* quod « sine speciali Dei providentia et insolito quodam modo efficere « non possunt ; quod ex alibi dictis, satis est ad constituendum « miraculum » ζl). — Ultimo demum animadvertes quod *moveri localiter* vel *distare localiter* manifeste consequitur ad id quod est *esse* in loco localiter; quo fit ut localis motus aut lo-

quod replicatio quovis modo accepta, ad fidem Eucharistiae pertineat ; falsum quoque quod sit aut debeat esse in confesso apud omnes catholicos, cum nihil aliud prae se ferat quam meram opinionem, eamque a traditione veterum Scholae magistrorum prorsus peregrinam.

ζl De his factis proportionaliter dicendum est id quod docet S. Thomas infra, Quaest. 76, a. 8, in corp., de casu in quo miraculose appareret in sacramento caro vel puer. «Corpus Christi, inquit, non potest « in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur. «Unde cum videatur in propria specie et adoretur in caelis, sub pro- «pria specie non videtur in hoc sacramento... Et ideo dicendum est «quod, manentibus dimensionibus (panis) quae prius fuerant, fit miracu- «lose quaedam immutatio circa figuram et colorem, ut videatur caro, « vel sanguis, vel etiam puer. Et hoc non est deceptio, quia fit in fi- « guram cuiusdam veritatis, scilicet ad ostendendum per hanc miracu- «losam apparitionem quod in sacramento est vere corpus et sanguis «Christi». Similiter ergo, si quando aliquis Sanctus visus est in pluribus locis simul, non sequitur quod vere erat in pluribus locis ; sed in

calis distantia omnino non conveniat nisi corporibus prout localiter seu circumscriptive in loco exsistentibus. Et potest afferri exemplum de tempore, quia sicut attenditur quaedam localis distantia qua aliquid per interiecta spatia dimensionum separatur ab altero, ita attenditur quaedam temporalis distantia qua una res per interiectum temporis motum distat a praeterito vel futuro. Sicut igitur impossibile est ut Deus temporaliter distet a quacumque parte durationis temporaneae, quia non coexsistit tempori per modum temporis ; ita impossibile est ut aliquid localiter distet a quacumque parte spatii, si sit in loco non per modum loci. Quod etiam patet ex sola consideratione terminorum ; distantia enim localis ideo est, quia dimensio interiecta una sua extremitate tangit quantitative superficiem rei *A,* et altera sua extremitate tangit quantitative superficiem rei *B ;* hoc autem profecto supponit utramque rem *A* et *B,* non solum habere dimensionem et superficiem, verum etiam ratione suae dimensionis coniungi utrique extremitati spatii intermedii.

His igitur dictis de coniunctione ad locum per modum loci, attende nunc coniunctionem cum loco *non per modum loci,* ex qua, ut supra dictum est, resultat esse in loco *non localiter.* Haec habetur duobus modis. — Vel enim res non habet dimensiones quas spatio coextendat, sed est substantia spiritualis quae nata est contingere loci terminos, seu potius corpora sub mensura loci constituta, solo contactu virtutis, et tunc fit praesens in loco ratione operationis in locata. — Vel est ens corporeum dimensiones habens, quod tamen coniungitur terminis loci non per suas dimensiones proprias, sed per dimensiones alterius corporis *Iran substantiali* in ipsum. Quo in casu, cum semper coextendatur et commensuretur suo iusto et proportionato loco in quo est localiter, nanciscitur praesentiam in loco alio, quatenus vi conversionis remanentes dimensiones rei conversae incipiunt citra

alterutro formabatur quaedam eius species, ad aliquem effectum gratiae significandum tamquam per merita et intercessionem servi Dei ad alios derivatum, iuxta illud Psalmi : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

inhaesionem continere eius substantiam, et m<liante substantia, caetera ad eius suppositum pertinentia. Et tunc habetur praesentia corporis in loco per modum substantiae: qui tamen modus non est ullatenus imaginabilis, quia ut iam superius praemissum est, « substantia in quantum huiusmodi, non est visi- « bilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, nec etiam « imaginationi, sed soli intellectui, cuius obiectum est quod « quid est > ‖.

Porro, ex duobus praedictis modis essendi in loco *non localiter,* (qui ambo inter se non conveniunt in eodem genere, sed in sola nota negativa), prior modus est ratione naturali notus. Est enim proprius spiritibus qui noscuntur incapaces cuiuslibet localis distantiae vel indistantiae ad quaelibet corpora, et dimensionibus omnino coniungi nequeunt nisi eis applicando suam virtutem; quare, si ab operando in locata cessent, necessario sunt nullibi. Alter vero est omnino supernaturalis, mirabilis, et singularis, sicut ipsa transubstantiatio ex qua sola resultat aut resultare potest. Unde S. Thomas, supra, Quaest. 75, a. 1, ad 3"": « Corpus Christi non est eo modo in sacramento, sicut corpus in «loco quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam «speciali modo qui est *proprius huic sacramento...* Intelligimus «corpus Christi hic esse secundum *modum proprium huic sacra- «.mento»,* qui etiam uberius exponetur infra, ad articulum huius quaestionis tertium.

2. De diversis rationibus essendi in loco, attenta potentia ad coniunctionem cum loco. — Potentia illa qua ens finitum, (de quo solo in praesenti agitur), dicitur posse coniungi alicui loco, consideratur in eo vel ratione alicuius quod est *in*

‖ Ferunt caecum quemdam de coloribus disputantem dixisse, *yiie Le cramoisi ressemblait infiniment au son de la trompette.* Fidenter tamen dixerim, caecum hunc magis appropinquasse veritati, quam illum qui vellet invenire modum praesentiae Christi in sacramento inter modos *imaginabiles.* Ratio est quia substantia et proprius eius modus est subter vel ultra illud omne ad quod sensus tam exterior quam interior pertingere potest, transcenditque ordinem extensionis et continui, in quo solo sunt et silus, et positiones in loco, et locales distantiae ac propinquitates.

ipso, v-.·i itione alicuius quod est *extra ipsum.* — Ratione quidem alicuius sibi intrinseci, hoc est, vel propriae quantitatis qua potest : /Iere dimensionem loci, vel propriae virtutis qua potest operari intra terminos eiusdem. Ratione vero alicuius sibi extrinseci, id est, loquendo de re corporea, ratione possibilis transub stantiationis in ipsum alterius corporeae substantiae, cuius remanent dimensiones. Porro, secundum coniunctionem ad locum fundatam super priorem potentiam, attenditur ratio essendi in loco definitive. Et secundum coniunctionem quae fundatur super posteriorem potentiam, attenditur ratio essendi in loco non definitive.

Super quo animadvertes, mutari omnino nativum et genui num huius vocis sensum, si modus essendi in loco *definitive* explicetur per hoc quod est esse totum in toto, et totum in partibus singulis. Proprius namque huius termini sensus est, quod unicuique rei *finitae* attribuitur certa quaedam et proportionata loci mensura, ultra quam loco adesse non potest. Observandum praeterea quod haec *definitio* in loco consideratur secundum coniunctionem cum loco quae rei finitae competit ratione propriarum dimensionum, vel propriae virtutis operativae. Cum enim tam quantitas dimensiva corporis quam virtus operativa angeli, sint certis et determinatis limitibus constrictae, apparet esse omnino necessarium ut et corpori et angelo respondeat finita mensura loci, ultra quam nec corpus poterit sua mole replere locum, nec angelus sua virtute illum contingere ; secus, tam quantitas quam virtus esset simul finita et indefinita, quod est absurdum et metaphysice repugnans. Quare, sicut implicat multilocatio in corporibus, ita implicat in angelo simultanea praesentia in duobus locis qui ambo excederent proportionatam illam extensionem ad quam virtus ipsius potest applicari (*).

Verum dicta *definitio* in loco amplius attendi non potest si, (quod naturaliter haberi nequit), coniunctio ad locum fundetur

(*) Hinc, si proprium sensum vocum attendas, *definitive* non dividitur contra *circumscriptive, sed* magis se habet ad illud sicut genus ad speciem subalternam. *Circumscriptive* enim nominat talem definitionem in loco, qua totum est in toto et pars in parte ; cui e regione opponitur alia definitio in loco, qua totum est in toto et totum in jiartibus eti.un

in aliquo quod sit rei finitae extrinsecum, ncmpe super conversionem alterius in ipsam ut supra. Tunc enim ex parte ipsius nulla est ratio assignabilis cur, *pro tali modo essendi in loco,* vel ad unum locum vel ad certam locorum quotitatem limitari debeat, sed esse poterit pro multiplicatione transubstantiationum in locis semper pluribus, et pro maiori dimensione specierum remanentium in locis semper maioribus. Unde ex tali coniunctione ad locum resultat essentialiter modus essendi in loco *non definitive.* « Ad hoc ut aliquid sit in loco definitive, inquit Angelicus in IV, « D. io, q. i, a. 3, q. 4, sol. 2, duo requiruntur. Primum est, « ut competat ibi esse ei, quia quod non est in aliquo loco, non « potest loco illo definiri. Secundum est quod sit ibi sicut in « loco commensurate aliquo modo suae quantitati vel virtuti. « Corpus enim bicubitale non definitur loco unius cubiti, quam- « vis aliquo modo sit ibi; neque anima est definitive in manu, « eo quod non est in manu secundum totam virtutem suam. Et «ideo, omne quod habet quantitatem finitam vel virtutem, «oportet quod sit definitive in loco in quo est; et ideo angeli « definitive sunt in loco, non tamen Deus. Corpus autem Christi, « quamvis secundum veritatem sit sub speciebus, *non tamen « competit ei ratione sui,* quia neque ratione suae quantitatis « neque ratione suae virtutis, *sed ratione illius quod in ipsum « conversum est ibi praeexsistens,* cuius dimensiones adhuc ma- « nent, quibus ad locum illum determinabatur. Et ideo *non de- « finitur loco illo,* simili modo potest esse alibi ubicumque fue- « rint panis dimensiones conversi in ipsum » ζl).

singulis; sed quia prior ille modus non habet speciale nomen, ideo retinuit commune nomen generis. Simili quodam modo, nomen *angelus* significat quandoque totum genus substantiarum separatarum, quandoque vero ultimum ordinem ultimae hierarchiae.

ff Considerandum est quod modus iste essendi in loco non definitive, longe alterius rationis est a modo quo Deus ratione suae immensitatis non potest aliquo loco *definiri.* Divinitas enim est in omnibus locis non definitive propter infinitum excessum suae virtutis, cui nullus potest respondere effectus adaequatus ; quia igitur semper excedit sua propria virtute loci terminos, nullibi est totaliter, et nullibi *continetur.*

Ex dictis demum intelliges, vitari in tali modo adessendi pluribus locis duplicem contradictionem quae est in multilocatione. - Et prima quidem multilocationis contradictio est, quod multilocatum corpus, utpote a seipso localiter distans, asseritur esse divisum a seipso, ac per consequens, individuum simul et non individuum ; quae etiam contradictio latet in qualibet replicatione, quocumque tandem modo exponatur. Sed hic implicantia tollitur, quia corpus non est localiter nisi in uno loco, in aliis vero, non per modum loci, sed per modum substantiae, quo fit ut a seipso nec dividatur nec distet. — Altera quoque contradictio est, quod multilocatum corpus, utpote sua quantitate replens omnia loca in quibus est, ponitur seipso maius, vel duplo vel triplo vel centuplo, pro numero locationum. Sed hic, corpus non replet nisi unum locum sua quantitate ; loca vero alia in quibus per modum substantiae praesens est, non replentur propriis eius dimensionibus, sed dimensionibus eorum quae in ipsum fuerunt transubstantiata. — Et de variis rationibus essendi in loco, iam satis.

Superest tantum ut huic prolegomeno finem imponamus; paucis resumendo irreductibiles oppositiones quae sunt inter veteres et modernos, quoad modum quo corpus Christi in sacramento continetur.

§ 3.

Circa modum quo Christus est in sacramento, qualiter differat sententia antiquorum, ab ea quam recentiores scholastici amplectuntur.

Omitto nunc theologos illos primo loco recensitos, ad scholam Cartesianam plus minusve accedentes; doctrina enim eorum

E contra, modus non definitivus adessendi in sacramento, fundatur in hoc quod semper possunt assignari nova extrinseca convertibilia in corpus Christi. Et ideo, sicut ex parte ipsiusmet corporis nulla est ratio cur alicubi praesens exsistat *tali genere praesentiae,* ita nec ulla causa est cur ad unum locum, potius quam ad duos vel tres vel decem vel mille determinetur. Quare est totaliter in hostia, et vere in ea *lanltnetur.*

in praesenti nimis aperte repugnat. Unde commemorando solos scholasticos et comparando modernos cum veteribus, dico principium et radicem totius discordiae circa modum essendi Christi in sacramento hinc esse repetendum, quod moderni concipiunt indivisibilitatem incorporeae, et a fortiori, corporeae substantiae, quasi esset de genere continui et in propria continui linea accipienda. Quare, si qua substantia dicatur esse tola in toto et tota in singulis partibus, id intelligunt non secus ac si ageretur de indivisibili puncto quod per suam totalitatem in spatio extenditur atque diffunditur. Ex quo statim consequens est, non dari aliam possibilem praesentiam quarumlibet rerum in loco, praeter illam quae cum sit per modum repletionis ipsius loci, non transcendit ordinem comparationis continui ad continuum.

Hinc procedunt duae principales ipsorum assertiones, quae, ratiocinando, in aliis principiis, forent inter se ex toto contradictoriae. — Prima est, quod corpus Christi in sacramento privatur omni dimensione actuali. Ita Suarez, f1), Lugo (2), Lessius (3), Platel (4), etc. — Altera est, quod corpus Christi est nihilominus in hostia *localiter* et localiter potest ibi moveri, eo videlicet modo quo ipsis angelis tribuunt id quod ad locationem pertinet vel ad eam consequitur: « Haec sacramentalis « praesentia, ait Suarez, Disp. 48, Sect, i circa medium, est « finita, et potest esse terminus alicuius mutationis, et *ratione « illius potest res magis vel minus ab aliis realiter distare* ». Et iterum, disp. 53, Sect. 1: «Corpus Christi exsistens in hoc sa« cramento mutari potest secundum localem praesentiam, mu« tatione propria et in ipsomet corpore Christi recepta... Corpus

quia si extra unam particulam in aliis quoque hostiis consecratis habet praesentiam, hoc est pure per accidens, et praeter omnem exigentiam quae sit in ipso, vel resultet ex tali modo essendi in loco. Quippe, quantum est ex parte sui, praesentialitate non excedit unius etiam hostiae terminos.

(1) Suarez de Euchar., Disp. 48, Sect. 1.

(2) Lugo, Disp. 8, Sect. 1. n. 25.

(3) Lessius, de perf. divin., l. 12, n. 124.

(4) Platel, Synops. curs. theol., de Sacram., n. 398-404.

«Christi, *prout est in hoc sacramento, potest per se moveri loca-*
« liter a Deo etc. ».

A i <|ui vero doctoree, eo ipso quod discordant in principio discord mt in caeteris, et duabus praedictis assertionibus prorsu» contradi tint. Nam quod corpus Christi non sit in sacramento localitei, veluti extra omnem possibilem controversiam tradunt et quod nihilominus sit ibidem habens naturalem suam dimensionem et staturam, rata pariter et concors ipsorum sententia est. « Dimensiones corporis Christi sunt in sacramento ex natu-
« rali concomitantia », ait S. Thomas, in 4 c. Gent., c. 64. Et Albertus Magnus in IV, D. 13, a. 10 ad 2Ü“ : «Dicendum quod
« corpus Christi habet omnes tres dimensiones cum figura pro-
‹ pria, et sine aliqua contractione..., sed non comparatur ad for-
« mam illam (id est ad hostiam), sicut ad locum vel aequale cui
« commensuratur ». Et S. Bonaventura in IV, d. 10. Part. 1, a. 1, q. 4 : « Debuit fieri ut corpus habens suam dimensionem non
« esset ibi dimensive ; concedendae sunt ergo rationes ad hoc
« inductae ». Unde ex consequenti profitentur veteres, perfecte salvari in hoc mysterio tum individualitatem tum impassibilitatem gloriosi corporis, quod nullatenus a sua naturali dispositione et debita perfectione removetur, sicut iam constat ex testimoniis in praecedenti quaestione indicatis, et amplius constabit ex dicendis in praesenti.

Nota. In recensione sententiarum de modo quo Christus est in sacramento, silentio praeterivimus eos qui nodum solvere putant, appellando ad dotem subtilitatis quae corporibus gloriosis propria est, teste apostolo, 1 Cor. XV-44 ; de qua etiam mira dicunt, et parum, ut videtur, consentanea cum certioribus metaphysicae principiis. Quidquid vero sit de hoc, erratum explicationis modum satis ostendit una simplex observatio : quod scilicet, quando instituta est, et primo consecrata eucharistia, nondum erat corpus Christi resurrectionis gloria donatum, sed adhuc mortale et passibile : ‹ *Qui pridie, quam pateretur, m cepit panem, et gratias agens,* etc.». Non ergo ex speciali conditione corporum post resurrectionem, quidquam desumere iM. quod ad praesentem quaestionem fecere possit.

THESIS XLII.

(Art. 1-2).

Ex vi sacramenti est sub specie panis sola substantia corporis Christi, et similiter sub specie vini sola substantia sanguinis eius; sed cum ex reali concomitantia, alia adsint omnia quae ei ad quod terminatur conversio sunt realiter coniuncta, totus atque integer sub utraque specie Christus exsistit.

Haec assertio quae continetur in Tridentino, Sess. XIII, cap. 3 ζl), magni momenti est ad intelligentiarn totius mysterii. — Nam qua parte dicit esse sub specie panis *vi sacramenti* solum corpus, et sub specie vini solum sanguinem, fundamentum praestat doctrinae suo loco exponendae de sacrificio Missae. — Qua vero parte implicite excludit accidentia corporis Christi ab eo quod *vi conversionis* sub hostiae dimensionibus continetur, suppeditat principium dicendorum de praesentia sacramentali *fier modum substantiae.* Caelerum, de accidentibus ipsius Christi corporis, et specialiter de quantitate dimensiva eius, peculiaris habebitur consideratio infra, in thesi proxime sequenti.

Dicitur autem contineri ex vi sacramenti, sive ut loquitur Tridentinum, *ex vi verborum,* illud ad quod per se terminatur

(') «Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecra« tionem, verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem, sub « panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed «corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie *ex vi nverborum;* ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub « specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis « et concomitantiae qua partes Christi Domini qui iam ex mortuis re«surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro, « propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam «unionem. Quapropter... totus et integer Christus sub panis specie et «sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius «partibus exsistit» (Trident., l. c., Denzinger 876).

converse, nam conversio virtute verborum sacramentalium efficitur. Quare *ex naturali tantum concomitantia* et quasi per accidens aderit illud sine quo, ratione realis inseparationis in essendo, terminus conversionis adesse non potest. Sed in iis ipsis quae concomitanter adsunt, adhuc oportet distinguere; cum enim concomitantia habeatur propter unionem inter conversionis terminum et caetera omnia ad Christi personam pertinentia existentem, profecto huius unionis conditiones sequitur et leges. Atqui unio divinitatis cum humanitate et humanitatis partibus fuit ab initio omnino indissolubilis; quo fit ut si in triduo mortis consecrata fuisset Eucharistia, sub utraque specie adfuisset divinitas, tam corpori quam sanguini personaliter unita. At vero unio corporis cum sanguine et cum anima dissoluta est aliquando; nunc autem, ex quo Christus a mortuis resurrexit iam non moriturus, solvi amplius non potest. Et ideo, si in triduo celebratum esset hoc sacramentum, aliquid accidisset quod nunc non accidit; sub specie enim panis nec sanguis nec anima fuisset, et similiter sub specie vini nec anima nec corpus. Et haec ratio est cur distinguit Tridentinum cum S. Thoma, art. i ad tum, titulum naturalis connexionis qua partes Christi Domini in statu beatae immortalitatis inter se nunc copulantur, a titulo unionis hypostaticae qua divinitas cum humanitate et singulis partibus eius a tempore incarnationis semper mansit et manet unita.

Caeterum, contra praesentem doctrinam non desunt argumenta specie tenus subtilia: et ideo oportet primo proponere breviter rationes directe demonstrativas, tum secundo, rationibus in contrarium facere satis.

§ i.

i Quod vi sacramenti est sub specie panis sola substantia corporis, et sub specie vini sola substantia sanguinis. — Etenim, illud tantum est per se et vi sacramenti sub singulis speciebus, quod sub eis per verba formae contineri significatur: cuius ratio est quia, ut saepe dictum est, verba formae sunt effectiva conversionis, et in tantum effectiva in quantum significativa.

Atqui illud quod sub specie panis per verba ,: *est corpus meum* contineri significatur, est substantia corpori Christi praecisive a suis accidentibus, itemque a sanguine, ab anima, necnon et a divinitate. Ergo per se et vi sacramenti, sub specie panis est sola substantia corporis Christi, et eodem modo ratiocinandum est circa formam alterius consecrationis.

Minor argumenti demonstratur, nam vox *corpus* significat substantiam corpoream praecisive a superiori gradu entis, id est, materiam sub forma corporeitatis. Determinatur autem in praesenti per pronomen possessivum *meum,* ad supponendum pro eo corpore quod est hypostatice unitum Deo Verbo ; persona enim quae loquitur per suum ministrum, est Verbum homo factum. Ergo per verba formae non significatur sub speciebus panis contineri sanguinem, quia ubique in hoc mysterio expresse contradistinguitur sanguis a corpore. Nec animam ut anima est, quia anima *qua talis* non est constitutiva corporis secundum quod huiusmodi, imo per triduum mortis verissime fuit Christi corpus ab anima actu separatum. Nec demum eiusdem corporis accidentia, tum quia nomen *corpus* est nomen substantivum, non solum quoad modum significandi, sed etiam quoad rem significatam, tum quia oportet ut in omni propositione sit adaequatio inter praedicatum et id quod in recto importatur per subiectum ; istud autem in casu non est nisi substantia, cum forma debeat exponi: substantia sub speciebus sive accidentibus panis contenta, est corpus meum. Recte ergo concluditur, esse sub panis specie ex vi conversionis regulatae per verba, solum substantiam corporis Christi ; et simili discursu constat esse sub vini specie solam substantiam sanguinis eius, secundum formam calicis apud Matthaeum : Τούτο γάρ έστιν τὸ αίμ,ά μ.ου Ç1).

2. Quod ex naturali concomitantia totus atque integer sub utraque specie Christus exsistit. — Etenim, in quocum-

(·) Vulgata : *Hic est enim sanguis meus.* Porro vocabulum *hic* ponitur in masculino, ut secundum latinae linguae ingenium concordet in genere grammaticali 'cum praedicato ; sed eamdem vim habet ac pronomen neutrum *hoc,* in forma consecrationis corporis.

que exi! inseco *continetur* unum, ibi oportet adesse quidquid cum eo in · -udo est coniunctum. Ratio est quia, aliquid alicubi contin» ' est ipsum ibi esse *totaliter,* ita ut pro illo praesentiae modo, per se non debeat inveniri praesens extra terminos continentis. Iam vero ubicumque aliquid est *totaliter,* ibi esse necesse est quaecumque sunt ab eo indivisa, id est coniuncta in unitate unius individui ; alias, idem foret respectu eiusdem indivisum simul et divisum, quod profecto esse nequit, quia involvit contradictionem. Atqui substantia corporis Christi *continetur* sub specie panis, et similiter sub specie vini substantia sanguinis eius, sicut patet ex sensu verborum formae, et confirmari etiam potest facili argumento. Quod enim corpus dominicum sit de facto extra huius hostiae terminos in aliis hostiis consecratis quae nunc in mundo sunt, hoc est pure *per accidens* respectu habito ad propriam rationem praesentiae sacramentalis. Nam veritas verborum formae et efficacia ipsorum semper est eadem, sive sacramentum celebretur in aliis locis, sive non, sive adsint multae hostiae consecrandne, sive una tantum; quo fit ut debeamus ratiocinari de modo essendi sub una sola hostia, non secus ac si Christi corpus sub nulla alia adesset praesens; unde venit in conclusione, quod in qualibet vere est *totaliter.* Oportet igitur ut concomitanter adsint omnia quaecumque in unitate individual! realiter ipsi corpori coniunguntur, et quia eadem ratio est de specie sub qua continetur sanguis, rigorose iam infertur, Christum tam sub specie panis quam sub specie vini, totum atque integrum exsistere.

Quae si bene perspexeris, videbis nullius valoris esse argumenta quibus nonnulli conantur enervare rationem S. Thomae, dicentes non esse humanitatem Christi ubicumque est Verbum, licet humanitas sit realiter et hypostatice unita Verbo; itemque. non esse pedem ubi est caput, licet pes sit reaiiter unitus capiti in unitate unius individui, etc. *(1).* — *Nam,* ad primum(*)

(*) Suarez, (de Euchar., Disp. 48, Sect. 2. et iterum Disp. 51), docet non esse ex natura rei, quod exsistente sub specie panis corpore Christi, ibi adsit totus et integer Christus, sed solum ex pacto et libera insti-

quod attinet, negatur suppositum sine quo nulla est paritas cum argumento quo usi sumus. Quippe, Verbum in nullo extrinseco *contineri* potest; habet enim divinitas ratione sui ut non sit definitive in quocumque loco, et ideo, quantum est de se, semper excedit nec unquam *continetur*. Unde ex argumento nostro non sequitur quod ubicumque est Verbum, sit etiam corpus Christi, sicut aliquando absurde imaginatus est Lutherus, haereticali hoc commento orthodoxam fidem de reali praesentia retinere volens. E contra, corpus Christi non habet ratione sui ut non definiatur in hostia, sed solum ratione indefinitae multiplicabilitatis specierum sacramentalium, quae per accidens se habet ad praesentiae modum. Unde, licet in sacramento non sit definitive, adhuc tamen in eo continetur, et quantum est ex sese, vel unius numero hostiae terminos nequaquam excedit, sicut dictum est in prolegomeno huius quaestionis, § 2. Non ergo bene perpendit adversarius conditiones argumenti, nam ut observavit Caietanus in praesenti, « aliud est loqui « de habitudine in communi, et aliud est loqui de habitudine « tali, puta *contenti ad continens;* licet enim duorum coniun- « ctorum realiter, unum possit habere habitudinem ad aliquid, «et reliquum non, tamen non potest unum eorum habere «habitudinem contenti ad continens, et reliquum non», id est, non potest reliquum concomitanter non adesse. — Ad aliam vero rationem obiectam negatur omnino assertum, si intelligatur

tutione Dei. Idque dicunt etiam alii moderni consequenter ad principia quibus volunt, unum eumdemque hominem individuum posse esse vivum in uno loco, et simul mortuum in altero. Nunc autem, praescindendo ab intrinseca repugnantia istius positionis, dico non amplius salvari distinctionem inter id quod est in sacramento per se et vi sacramenti, ab eo quod est ex reali concomitantia. Concomitanter enim adesse dicitur id sine quo terminus *per se* adesse nequit : sicut si quis ex praescripto medici bibens vinum generosum ad sanitatem recuperandam, inebrietur, hoc erit concomitanter et per accidens, quia salubris influxus vini qui per se quaeritur, sine effectu inebriationis esse non potuit. Sed si inebriatio esset ex natura rei separabilis, et solum uniretur ex voluntate bibentis, tam per se esset effectus ebrietatis, quam ille curationis. Et proportionaliter ratiocinandum est in praesenti.

sic, quod pes non sit in quocumque extrinseco continente caput. Caput enim, utpote non divisum a pede, sed pars continui quod est corpus humanum, non continetur proprie loquendo nisi *in eo loco extrinseco* qui continet totum, adeoque et pedem et manus et omnia membra. Porro eadem est ratio de omni continentia, etiam quae non sit per modum loci; argumentum enim procedebat de continentia ut sic, et non de continentia tali.

Caeterum confirmatur conclusio ex testimonio Traditionis. Incipiendo enim ab actis martyrii S. Andreae apostoli, Traditio docet offerri in altari Agnum Dei immaculatum qui sustulit peccata mundi, quique cum sit integer et vivus, semper in sua integritate manet postquam a populo credentium fuit manducatus. Unde etiam, liturgiae omnes alloquuntur praesentem in Eucharistia, tamquam qui in ea lateat in integritate utriusque naturae. Romana: « Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere « nobis... Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate « Patris, coopérante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum « vivificasti... Domine, non sum dignus ut intres sub tectum « meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea ». Liturgia Basilii: « Qui supra cum Patre sedes, et hic invisibili- « liter nobiscum es ». Liturgia ChrysOSTOMI: « Credo, Domine, «te esse Filium Dei vivi; non te osculo tradam sicut Iudas: « non sum dignus ut sub immundum animae meae tectum in- « tres, sed sicut intrasti in stabulum et praesepe animalium, ne « dedigneris intrare in praesepe animae rationis expertis sordi- « dique corporis; ne me horreas, sicut non horruisti peccatri- « cem, etc. » (1).

Sed iam superest ut satisfiat praecipuis rationibus quae afferri possunt contra dogma concomitantiae; inter quas eminet, sin minus intrinseca rei arduitate, at certe rumore famae, difficultas respiciens animam prout est corporis forma « dans ei to- « tum ordinem esse perfecti, scilicet et esse corporeum, et esse « animatum, et sic de aliis » (2) Dignum est igitur ut spe-

(1) *Cf.* Renaudot, *Collectio liturgiarum orientalium.*

(2) S. Thomas, supra, Quaest. 75, a. 6, ad 2.

cialiter investigemus quomodo anima dici possit, concomitanter solum, et non vi verborum esse in sacramento.

§ 2.

Ratio dubitandi est quia si anima est corporis forma dans ei non solum esse animatum, sed etiam esse corporeum, consequitur quod ipsa sit intrinsecum corporis constitutivum et formalis eius pars; exsistente ergo corpore sub specie panis *vi verborum,* eodem titulo aderit ibi et anima. — Nec refert si dicas, adhuc intelligi virtualem distinctionem inter animam ut anima est, et animam ut est forma corporea, quia distinctio virtualis non aufert realem identitatem. Atqui id quod est realiter alicui identicum, nequit omnino dici concomitanter ei adesse; concomitantia enim non est nisi inter ea quae, etsi realiter unita, realiter tamen distinguuntur. — Hinc demum Tridentinum in Sess. 13, cap. 3, concomitantiam fundat, non in virtuali distinctione formae corporis Christi ab eius anima ut est principium vitae, sed omnino in inseparabilitate partium sacratissimae humanitatis, ex quo *Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Non ergo videtur ullo modo salvari concomitantiae veritas in doctrina quae animam asserit humani corporis formam quoad ipsum etiam gradum corporeum, nec apparet quomodo possit in hac parte conciliari sententia S. Thomae cum definitione Tridentini.

Sed contra est quod doctrina asserens animam rationalem esse substantialem formam humani corporis dantem ei totum ordinem esse perfecti, incluso ipso gradu corporeo, non tam dicenda est opinio, quam certissimum naturalis etiam philosophiae dogma. Si enim anima accederet corpori iam constituto in esse corporeo per aliam formam substantialem, non posset ei coniungi nisi accidentaliter, ut motor mobili; quo posito, corpus non esset vivum, sed pure ab extrinseco motum, et ipse homo se haberet instar angeli in corpore apparentis atque per corpus assumptum exsequentis ministerium; quae omnia profecto absurda sunt. Unde satis intelligitur sensus definitionis Viennensis, *animam intelle-*

clivant ·~ε vere, et essentialiter corporis humani formam ff ; nec pot i. esse contraria huic veritati definitio Tridentini, quae etiam ‹! verbo fere ad verbum fuit ex S. Thoma transcripta, ut ex ‹ >datione textuum facile apparebit: « Divinitas vel anima «Christi, inquit Angelicus (2), non est in hoc sacramento *ex vi « sacramenti,* sed ex *reali concomitantia.* Quia enim divinitas cor- « pus assumptum nunquam deposuit, ubicumque est corpus « Christi, necesse est esse et divinitatem eius... Anima vero rea- « liter separata est a corpore..., sed quia Christus resurgens ex « mortuis iam non moritur, anima eius semper est realiter cor- « pori eius unita. Et ideo in hoc sacramento, corpus quidem *t* Christi est ex vi sacramenti, anima autem Christi ex reali « concomitantia ». Quae si compares cum doctrina Concilii su- perius relata, videbis talem esse parallelismum, ut non imme- rito dicas textum S. Thomae a Tridentinis Patribus canonizatum. Nusquam autem ipsi Angelico et aliis doctoribus scholasticis in mentem venire potuit, consequens esse, si anima est humani corporis forma, quod ipsa Christi anima in sacramento vi ver- borum adesse dicenda sit.

Ad cuius rei intelligentiam considerandum est quod sub specie panis, vi verborum, adest corpus Christi. Porro, etsi in statu unionis corpus per animam in gradu corporeo constituatur, non tamen per animam in quantum anima est, seu principium vitae. Unde, anima abscedente, adhuc manet corpus praecise secundum gradum corporeitatis, quia munus quod anima emi- nenti sua virtute praestabat prius, praestat nunc forma inferior, eaque pure corporea, prout accidit quoties humanum compo- situm morte dissolvitur. Quin imo id fuit speciale in *Christo,* quod corpus eius manserit supposito idem, semperque fuerit *actu* corpus Filii Dei, (verificans verba formae: corpus *meum).* etiam quando separatum ab anima iacuit in sepulcro (·). Iam age, si ad veritatem verborum omnino indifferens est an corpus Christi sit anima informatum, vel non, impossibile est ut anima

(') Enchirid., n. 481.
(·) S. Thom., hic, a 1, ad iu".
(·) Cf. de Verbo Incarnato, Quaest. 50, Thes. 54. *I* j.

vi verborum sub speciebus adsit ; sed si adest, ideo adest quia de facto est nunc unita materiae, et quidem ea unione quae posset non esse, salva significatione formae. Et hoc est adesse, non vi verborum, sed ex reali concomitantia tantum.

Ad ium ergo dicendum quod anima non est intrinsecum corporis constitutivum in quantum anima est, sed in quantum fungitur munere forae corporeae ; in quom quidem munere obeundo suppletur, separatione facta, per inferiorem formam quae gradum corporeitatis non excedit. Proinde, si formalis corporis pars non est anima secundum eum gradum qui ei qua tali proprius est: insuper si abscedente anima corporeitas manet in corpore propter successionem alterius formae, procul dubio non vis verborum, sed actualis unio cum materia corporis Christi potest esse in causa cur, praesente corpore, praesens sit et anima sub speciebus sacramenti.

Ad 2um notandum quod non dicimus animam ut anima est concomitari animam ut est forma corporea, sicut obiectio supponit. Sed dicimus animam concomitari corpus, a quo *potentialiter adaequate* distinguitur. Nam licet corpus Christi nunc constituatur in esse corporeo per animam, tamen separatum ab ea adhuc esset corpus, prout fuit aliquando in diebus sepulturae.

Ad 3um denique dicendum quod concomitantia quam asserimus, omnino fundatur in inseparabilitate partium de qua loquitur Tridentinum. Quod enim corpus Christi necessario nunc constituatur in esse corporeo per animam, hoc ipsum non habet aliam causam praeter statum beatae immortalitatis in quo materia corporis Christi indissolubiliter animae coniungitur, et formae corporis mortui amplius uniri nequit.

§ 3.

Aliae nunc occurrunt difficultates quibus, priusquam ad alia deveniatur, satisfacere necesse est.

Prima versatur circa sanguinem ; nam sanguis non informatur ab anima, sed est substantia actu distincta a corpore in

quo continetur sicut liquidum in vase. Atqui liquidum non unitur vasi secundum esse in unitate individui, sed sola contiguitate ei coniungitur; unde si aqua exempli gratia transubstantiaretur in vinum praeexsistens, profecto non adesset per concomitantiam sub sp< ciebus aquae vas in quo continebatur. Similiter ergo in praesenti mysterio, species vini continens Christi sanguinem non ideo debet continere corpus, nec oportet ut ipse sanguis concomitanter adsit sub specie panis; unde non totus atque integer Christus sub utraque specie in sacramento exsistit.

Respondeo: *Neg. antec.* Sanguinem enim esse animatum, meliores physiologi tenent. Verum, etsi naturalis physiologia non sat firmum in hac re argumentum praeberet, (quod tamen minime concedendum esse videtur), adhuc theologicis rationibus omnino constaret sanguinem esse partem integralem humanae substantiae, adeoque ab unitate esse individualis nequaquam seiungi. Certe si sanguis non esset animatus, se haberet in corpore ut *purum* alimentum a quo caro continuo reparatur; quapropter deberet abesse, sicut aliae superfluitates, a corporibus gloriosis quae restauratione deperditi amplius non indigent. Praeterea, non fuisset in Christo secundum hypostasim unitus Verbo, quia Verbum non assumpsit nisi humanam naturam et partes eius intégrales. Denique idem persuadet praesens mysterium, sicut ratio obiecta optime probat. Quod si nonnulli theologi (1) adhuc concomitantiam se salvare existiment in ea sententia quae vult sanguinem a corpore actu distingui sicut substantia distinguitur ab alia substantia, ratio est quia per ipsos corpus vel sanguinem concomitanter adesse, nihil aliud est quam sanguinem replicari simul cum corpore sub specie panis, et corpus reproduci simul cum sanguine sub specie vini; quo quidem modo posset adesse concomitanter etiam vestis Christi, vel quidlibet aliud. Verum, ut omittam interim replicationis impossibilitatem, eiusmodi concomitantia non esset *naturalis* illa concomitantia a Tridentino asserta, per quam necesse est adesse sub

(·; Suarez, de Euchar., Disp. 51, Sect 3.

unaquaque specie quidquid est entitative indivisum ab eo ad quod conversio per se terminatur ζ1).

Instabis : In Tridentino dicitur panis converti *in substantiam corporis,* et vinum *in substantiam sanguinis.* Ergo corpus et sanguis semper sunt alia atque alia substantia.

Respondeo : *Nego consequentiam ;* solum enim sequitur, corpus et sanguinem esse in homine vivo aliam atque aliam partem unius eiusdemque substantiae, sicut si dicerem substantiam manus et substantiam pedis Sunt nihilominus duae substantiae *potentialiter,* quia divisione facta remanerent, hinc sanguis, inde corpus, non quidem specie eadem ac prius propter diversitatem formae substantialis, sed semper eadem supposito, si sermo sit de corpore et sanguine Christi in quo unio personalis ad partes destructae humanitatis non fuit per mortem dissoluta. Unde sanguis est nunc sub specie panis ex sola concomitantia, et similiter corpus sub specie vini, sicut ex sola etiam concomitantia est anima sub utraque. Non enim ad concomitantiam semper requiritur adaequata distinctio *actualis* ab eo quod dicitur esse vi verborum, sed sufficit adaequata distinctio *potentialis,* quae cum fuerit aliquando ad actum reducta, puta in triduo sepulturae, per hoc ipsum multo adhuc evidentius manifestatur.

Urgebis tertio : Partes intégrales non sunt in substantia nisi ratione quantitatis. Si ergo conversio terminatur ad partem, puta ad corpus vel sanguinem, consequens est ut terminetur etiam ad quantitatem Christi, adeoque non sola substantia continetur sub speciebus vi sacramenti.

Respondeo : *Dist. antec.* Partes intégrales non sunt in substantia nisi ratione quantitatis, ita ut a quantitate accipiant for-

ζ1) S. Thomas docet, non solum sanguinem, sed etiam capillos, ungues, aliaque eiusmodi ab anima informari. Ait enim in IV, D. 44, q. i, a. 2, q. 5, sol. 2 ad 3um : « Dicendum quod capilli et ungues nutriuntur «et augentur, et sic patet quod aliquam operationem participant, quod « non posset esse nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectae. «Et quia in homine non est nisi una anima, scilicet anima rationalis «constat quod ab anima rationali perfecta sunt, quamvis non usque ad «hoc quod operationi sensus participent, sicut nec ossa, de quibus «constat quod resurgent, et sunt de integritate individui ».

malem ' ·t >nem partium, scilicet extraneitatem unius respectu alterius i ordine extensionis, *cone, antec.* Ita ut a quantitate ac cipiant i.im substantialitatem, *neg. antec.* Quapropter distinguitur eti ' i consequentia. Valeret enim sequela, si conversio terminaretur ad partem, quantum ad illud omne quo constituitur in ratione partis, *conc.* Si terminatur tantum ad illud quod est substantiale in parte, scilicet ad substantiam sive corporis sive sanguinis, ut loquitur Tridentinum, *neg* Sic enim quantitas non est terminus conversionis, sed est pura conditio sine qua non esset distinguibile in ipsa substantia, id ad quod, vi verborum, debet terminari transubstantiatio.

Obiiciunt demum nonnulli : Corpus Christi, ut praemiosum est in tractatu de Verbo incarnato, Quest. 2 et 17, non exsistit nisi per esse personale Verbi. Nunc ergo, si convertitur panis in *praeexsistentem substantiam* corporis Christi, eo ipso convertitur in divinitatem quae ab esse personali Filii Dei minime distinguitur; et ideo, omittendo interim evidentem consequentiae absurditatem, esset ipsa divinitas in sacramento vi verborum.

Respondeo, negando sequelam simpliciter et absolute. Exsistens enim humanitas tam realiter distinguitur ab esse divino, quam realiter distinguitur res sustentata ab eo per quod sustentatur. Unde vix potest inveniri vel apparens difficultatis fundamentum : corpus Christi extra causas consistit, non per proprium exsistentiae actum, sed per esse personale Filii Dei sibi communicatum ; ergo panis conversus in corpus debet etiam converti in id per quod corpus habet ut consistat.' Quaenam est haec logica, frater ?

THESIS XLIII.

(Ar t . 3-5).

Christus Deus et homo perfectus, cum tota sua quantitate dimensiva et statura naturali, tam sub tota hostia quam sub qualibet particula eius, per modum substantiae totus continetur. Non tamen ante fractionem est pluries sub

hostiae dimensionibus, sed toties post fractionem adest quot sunt partes in quas facta est divisio sacramenti.

Cum in praecedenti propositione ostensum sit, Christum existere totum atque integrum sub unaquaque specie sacramenti, iam sequitur in *primis,* ipsum ibi esse cum tota sua quantitate dimensiva, quae etiam ex dictis non adest ex vi sacramenti, sed ex reali tantum concomitantia, sicut unanimiter traditur ab omnibus. Nunc autem, si Christi corpus in Eucharistia non abstrahitur a quantitate, sequitur *secundo* quod ibi est cum actuali dimensione sua et statura naturali, iuxta illud quod cantatur in missa: «Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec «status nec statura signati minuitur». Et licet sequelam non concedant omnes, ipsam nihilominus esse necessario admittendam, ex demonstratis in prolegomeno quaestionis (1) satis superque apparuit. Sequitur tandem *tertio.* Christum in sacramento adesse cum suo organismo et omnibus potentiis corporeis expeditis ad actum, item cum omnibus operationibus vel passionibus quas in caelo habet, (non enim a seipso ullo modo dividitur): tametsi sit impossibile ut vel patiatur quidquam a rebus quae sacramentum circumstant, vel aliquid in eis corporaliter operetur, idque propter solum defectum conctatus quantitativi qui est conditio necessaria et indispensabilis ad omnem actionem transeuntem corporei in corporeum (2).

His itaque suppositis tamquam manifeste consequentibus ex eis quae superius demonstrata sunt, praesens assertio respicit modum continentiae Christi in hostiae dimensionibus, et mediantibus dimensionibus hostiae, in loco sacramenti. Dicitur autem(*)

(*) Vide supra, ubi de quantitate dimensiva iuxta recentiores.

(1) Nec est specialis difficultas quoad motus locales corporis Christi in caelo; sed notandum quod mutatio situs quae ex entitate motus localis resultat, nec est, nec esse potest nisi in ea linea in qua Christus comparatur ad alia secundum situalem sive localem habitudinem. Analogum exemplum, quamvis per multa dissimile, sumes ex iis quae vehuntur, puta, navi vel curru ; constat enim quod non mutant situm, nisi respectu eorum quae non abripiuntur eodem motu.

modum illum esse diversum ab eo qui consideratur respectu loci caelestis ; quatenus, cum in caelo contineatur Christus per modum quantitatis hic continetur per modum substantiae, totus et integer exsistens cum omni sua dimensione, tam sub magna quam sub parva hostia, tam sub eius totalitate quam sub qualibet parte vel minima.

Porro, circa locutionem illam *per modum substantiae,* diligenter animadvertes eam non sumi in eodem sensu, quando dicuntur *dimensiones panis post consecrationem manere per modum substantiae,* et quando dicitur *corpus Christi per modum substantiae in sacramento contineri.* Nam in prima propositione signatur aliqua differentia quantum ad ipsum modum essendi dimensionum panis secundum se : quatenus, quae prius subiecto inhaerebant et semper manent cum naturali exigentia ad inhaesionem, nihilominus miraculose nunc conservantur sine subiecto cui inhaereant actu. At vero in posteriori propositione, nulla omnino signatur variatio circa modum essendi Christi vel dimensionum eius secundum se, sed solum specialis quaedam habitudo ad extrinsecas dimensiones continentes. Etenim, etiam atque etiam considerandum est quod unus et individuus est Christus, uno modo se habens in seipso quoad perfectionem utriusque naturae ; considerandum rursus quod sub denominatione qua dicitur homo perfectus, abstrahit ab *esse in caelo,* vel *esse in sacramento.* Quippe, contineri in caelo, contineri in sacramento, est denominatio extrinseca et posterior ; esse vero hominem perfectum, est denominatio intrinseca et prior. Insuper, posset quidem Christus non esse sub ulla reali dimensione extrinseca, eodem modo ac mundus in toto suo complexu sumptus ; posset etiam contineri solum in loco caelesti, imo solum sub dimensione sacramenti ; potest denique contineri, sicut de facto continetur, licet alia atque alia ratione, tam in caelo quam in sacramento. Hinc, omnis denominatio intrinseca, (cuiusmodi profecto est esse dimensionatum in longum, latum et profundum), indifferenter et invariabiliter convenit Christo, sive intelligatur contentus in caelo sive in sacramento ; differunt autem solae denominationes quae important habitudinem ad diversa extrinseca continentia, et va-

lientur necesse est iuxta varium titulum .-ontinentiae. Quia enim in caelo corpus Christi continetur ration· nae dimensionis, quantitative contingendo superficiem loci cael, stis, dici debet in caelo contineri *per modum quantitatis,* circumscriptive, localiter. Quia vero, sub dimensionibus sacramenti idem numero Christus in seipso non mutatus, continetur ratione suae substantiae ad quam solam terminata est conversio, ideo dici debet *per modum substantiae* sub hostia adesse, dum scilicet ipsae sacratissimi corporis dimensiones in sua comparatione ad hoc continens extrin·secum, necesse habent sequi substantiae modum, id est, transferri in eo continentiae genere quod propria substantiae ratio determinat. Neque hoc omnino incredibile cuiquam videatur, quia inverso ordine substantia consequitur continentiae modum quem determinat natura quantitatis, quoties iuxta consuetas naturae leges alicubi continetur ratione propriae quantitatis et per propriam dimensionem ‖. Caeterum non exstat exemplum ullum unius dimensionis, mediante sua substantia, contentae sub altera dimensione; imo res ex opposito se habet in statu ordinario ac

(*) Ex his patet differentia inter duas sequentes propositiones. Sit propositio prima : *Christus ut in caelo, continetur per modum quantitatis, et simul ut in sacramento, noti per modum quantitatis, sed per modum substantiae.* Sit propositio secunda : *Christus ut in caelo habet esse dimensum, et simul ut in sacramento habet esse indimensum.* In prima vitatur omnino contradictio, in secunda non vitatur. — Dico quod in secunda non vitatur, quia esse dimensum vel non, est denominatio intrinseca; unde per reduplicationes, *prout in uno loco, prout in altero,* non impeditur quominus idem de eodem secundum idem affirmetur simul et negetur, sicut si diceres: Aethiops est sapiens simul et insipiens, sapiens secundum quod habet nigram pellem, insipiens secundum quod habet dentes albos. Cum enim dimensio sit afficiens substantiam corpoream secundum se, aliquid est dimensum vel non, prout absolute est in seipso, non autem prout in altero extrinseco continetur. — At vero in priori propositione vitatur contradictio. Equidem verum est quod si repugnant de eodem praedicata contradictoria absoluta, pari iure repugnant contradictoria respectiva et extrinseca, nam contradictio in omni linea omnique genere est impossibilis. Unde si diceremus Christum habere simul oppositos continentiae modos relate ad idem continens, vel etiam relate ad diversa continentia, sed per eamdem rationem conjunctionis ad ipsa,

regulari t' , adeoque non mirum est si continentia dimensionum sub dim· i .ionibus absque respectiva commensuratione ad invi cem, omnem nostram imaginationem conturbet. Sed satis nobis esse del>< t si intelligamus rationem propter quam vitatur evidens repugnantia, attendentes qualiter non serventur in praesenti conditiones illae secundum quas recte et vere iudicamus esse impossibile ut una eademque dimensio adsit indifferenter sub alia dimensione, vel maxima, vel minori, vel minima. — Et hactenus quidem de termino *per modum substantiae,* de quo S. Thomas in IV, D. io, q. i, a. 2, q. 3, per totum.

Tandem, nequis imaginetur Christum in sacramento adesse instar puncti quod in spatio hostiae infinities replicaretur, additur in ultima propositionis parte, non esse pluries corpus Christi sub dimensionibus continuis sacramenti, sed semel tantum, quia non multiplicantur praesentiae nisi per multiplicationem sive divisionem continentium. Semper igitur postponenda est imaginatio puncti, et cogitandus modus substantiae, ut qui longe alterius ordinis sit: videlicet secundum quod supra praemissum est, extra totum genus quantitatis. Exhinc enim verus habebitur intellectus praesentis assertionis, quae quoad substantiam continetur in Tridentino, Sess. XIII, cap. et can. 3 (Denzinger 876, 885).

sic iterum statueremus contradictoria. Nunc autem, cum dicitur Christus contineri simul per modum substantiae et per modum quantitatis, assignantur primo diversa continentia, quae sunt caelum et hostia. Assignantur praeterea diversae rationes conjunctionis; nam in sacramento coni unctio habetur *mediante substantia* ad quam terminata est transubstantiatio ; in caelo vero, *mediantibus dimensionibus* ad loci ambientis terminos applicatis.

(·) «Quia dimensiones corporis Christi non sunt ibi ex vi sacra-< menti, sed solum ex eo quod concomitantur inseparabiliter substan-«tiam, *constat quod contrario ordine sunt ibi dimensiones propriae cor-•ports Christi, et di mensiones locati corporis in loco.* Corporis enim sub-« stantia locati non habet ordinem ad locum nisi mediantibus dimensio-«nibus... Sed hic e contrario, substantia corporis Christi perse imme-«diate ordinatur ad hoc quod sit sub sacramento, et dimensiones eius «propriae ex consequenti et per accidens, etc,». S. Thom., in IV. D. 10, q. I, a. 2, q. 4. sol. 3, ad 2"".

i. Quod Christus totus exsistit, tam sub tota hostia quam sub qualibet particula eius, iuxta illud Tridentini loc. cit., cap. 3 (Denzinger 876): «Totus et integer sub panis specie, « et sub quavis ipsius speciei parte ; totus item sub vini specie, «et sub eius partibus exsistit».

Etenim spectata institutione sacramenti, evidens est efficaciam verborum esse prorsus independentem a magnitudine dimensionum materiae consecrandae, semperque eamdem fore, sive contingat hostiam excedere dimensiones corporis Christi, (absolute enim loquendo id impossibile non est), sive potius accidat ipsam esse multo minorem, imo vix sensu perceptibilem propter summam eius exiguitatem. Quippe sufficit ut habeatur *panis,* iuxta illud Matth. XXVI26: «Accepit lesus *panem,* et bene· « dixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et co- « médité, hoc est corpus meum ». Sequitur ergo eiusmodi esse institutionis legem, ut Christus in sua integritate sistatur eodem modo praesens, tam sub maxima, quam sub minori, quam sub minima hostia. Sed hoc evidenter ostendit, modum continentiae corporis Christi in sacramento esse extra omnem ordinem commensurationis dimensionum ad dimensiones, qui ordo talis est, ut totum inveniatur respondere toti, et pars parti. Oportet igitur ut pro ratione et modo praesentiae sacramentalis, integrum Christi corpus comparetur *indifferenter* et ad totam dimensionem uniuscuiusque hostiae, et ad quamlibet partem in ea assignabilem: quod est ipsum tam sub toto quam sub omni particula, sive ante sive post factam divisionem, integraliter contineri.

Argumentum traditionis invenies apud Guitmundum, l. 1 de corp, et sang. Domini (P. L. 149, 1434-35): «Ita, inquit contra « Berengarianos, tota hostia est corpus Christi, ut nihilominus una- « quaeque particula separata sit totum corpus Christi... Itaque iam « nec plures particulae dicendae sunt, sed una potius hostia integra « et indivisa, licet officio sacerdotis videatur quasi dividi propter « magnum mysterium quod ita oportuit celebrari. Similiter et si

« dentibus vel aliquo alio modo haec frangi videantur, intelli
« gimus non haec frangi, quia nihil aliud in toto, quam in qua-
« libet velut particula separata credimus contineri. Ne autem me
« quis existimet hanc sententiam ex meo sensu commentatum,
« praefationem istam qua per totum pene orbem Latinum, inter
« Epiphaniam et Septuagesimam in quadam die Dominica ha-
« betur, hic supposui haec continentem : *Vere dignum, et iuslum*
«est... aeterne Deus : et tibi hanc immolationis hostiam offerre,
« quae est salutifera, et ineffabile divinae gratiae sacramentum
« quae offertur a pluribus et unum corpus Christi Sancti Spiri
« tus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum.
« et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur,
« sed integrum se praebet in singulis. Propterea ipsi qui sumi-
« mus communionem huius sancti panis et calicis, unum Christi
«corpus efficimur. Eusebius Emissenus ita dicit: Vetus narrat
« historia : *Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui mi*
« nus paraverat, reperit minus, eo quod Eucharistiae sacra per-
« ceptio non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod cor-
« pus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse
«constat in toto; quod dum Ecclesia fidelium sumit, sicut ple-
« num in universis, ita integrum esse probatur in singulis....
« Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione per-
« cipiunt, quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nescit
« distributione consumi... Nec cuiquam incredibile id debet vi-
« deri. Quotidiano enim experimento cognoscimus quia intel-
« lectus noster, (id est verbum cordis nostri), cum illum quo-
« dammodo voce vestimus, ut qui in corde nostro latens nobis
« solis cognitus erat, per vocem aliis etiam manifestari possit.
« eodem tempore et totus in corde nostro remanet, et totus
« aeque mille hominibus cum assumpta voce sua, quantum in
« se est, ita apparere potest, ut non solum ipse simul omnium
« corda collustret, sed aures etiam cunctorum ipsa qua vestitus
« est voce eodem tempore tota et indivisa *perstringat. Si* igitur
« humano verbo Deus tantum praestitit ut non solum ipsum,
« sed etiam vox qua quodammodo vestitur, ad mille homines
« eadem simul totaque pertingere valeat, nemo hoc ipsum *de*

« omnipotentis Dei unico et omnipotente ‹t coaeterno Verbo, et «de carne eius quam similiter ut nobis ipsum Verbum appa. « reret vestivit, etsi capere non possit, habere incredibile debet «quod de fragilissimo et transitorio verbo hominis et momen- « taneis vocibus vixque exsistentibus, et nunquam praevalet ca· « pere, et tamen pene semper experimento habet».

Ratio demum theologica fuit saepius in superioribus indicata. Cum enim dimensiones panis determinentur ad continendum Christum per solam conversionem suae propriae substantiae in substantiam sibi extraneam, necesse est ut continentiae modus accipiatur ex speciali modo habitudinis substantiae secundum se, ad dimensiones ipsam non afficientes. Atqui substantia secundum se est extra genus extensionis et continui; rursus id quod est extra genus extensionis et continui, in continuo extrinseco aliter esse nequit, nisi indifferenter se habendo et ad magnum et ad parvum, ad partem et ad totum. Ergo talis est modus continentiae in hoc sacramento, ut quidquid continetur, contineri debeat totum sub quolibet toto, totum sub quacumque parte. Continetur autem integer Christus Deus et homo perfectus; ergo Christus Deus et homo perfectus cum tota sua quantitate dimensiva et statura naturali, sub qualibet hostia et quavis parte eius adest totus, sive ante sive post fractionem sacramenti. Dico, sive ante fractionem sive post, quia argumentum evidenter id ostendit; nihilominus aliquid novi in fractione accidit, et quid illud sit paucis restat declarandum.

2. Quod Christus non est pluries sub dimensionibus hostiae ante factam divisionem. — Etenim, in tantum Christus pluries adest in sacramento, in quantum sunt plures dimensiones sacramentales continentes ipsum. Atqui ante fractionem non dantur plura continentia, sed unum est continens continuum. Ergo ante fractionem hostiae, nonnisi semel adest Christus sub dimensionibus panis; post fractionem vero, tot resultant praesentiae, quot factae sunt partes sacramenti. — Minor argumenti est evidens quia omne indivisum est individuum, ac per consequens, unum. Maior vero facile probatur, quia esse pluries in sacramento non competit Christo in quantum ipsemet multipli-

catur; [illegible] ratio multiplicationis praesentiarum non potest esse nisi multiplicatio continentium. Sicut si disponerentur plura speacula eorrdine et situ, ut unius eiusdemque rei caperent imaginem, [illegible] lecto multiplicatio *specularis praesentiae* non esset nisi propter multiplicationem speculorum. Idem igitur sentiendum est quoad *alem praesentiam* sub speciebus: analogia enim in eo consistit, quod Christus non fit praesens in sacramento propter causam quae in ipso sit, sicut etiam res non recipitur in speculo propter potentiam in ipsa exsistentem: videlicet, nec ratione propriae quantitatis, nec ratione propriae virtutis, sed ratione potentiae qua aliquod extrinsecum potens est capere ipsam, quin ipsamet quomodolibet in se immutetur. — Vides igitur non esse concipiendum modum praesentiae sacramentalis, quasi Christus esset semel sub una particula, et iterum semel sub alia, sed in quantum indifferenter se habet tam ad totum quam ad omnem partem in toto assignabilem, ut dictum est in prima assertione. Et ideo nequaquam admittendum videtur id quod scribit Lessius, de perfect. divin., l. 12, n. 126: «Valde credibile est, inquit, corpus Christi non esse ibi nisi semel complete sub uno minimo naturali. Unde, cum minima naturalia in hoc pane sint finita, finities quoque erit corpus Christi... Fateri tamen possumus, corpus Christi ibi esse infinities incomplete, vel secundum incompletas, ut ita dicam, replicationes, quia sunt infinitae partes designabiles, sub quibus totum illud corpus exsistit». Capiat qui potest! Interim vero dico quod numerus sequitur divisionem, et ideo, quamdiu quantitas manet individua actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens, neque infinities, sed toties in quot partes continens dividitur. Ita sapienter S. Thomas, hic, art. 3 in responsione ad ium.

§ 2.

Remanet ad confirmationem doctrinae, ut ex principiis hactenus declaratis solvantur rationes Calvini aliorumque Protestandum, quas refert Bellarminus, de Eucharistia l. 3. c. 4 7.

1. *Hacc est propria corporis veritas, ! spatio contineatur ut suis dimensionibus constet. Ergo non potest esse Christus in Eucharistia (').*

Respondeo : *Dis/. antec.* Haec est propria corporis quanti veritas, ut suis dimensionibus constet, ac per hoc ipsum sit in seipso aliquid spatiosum et extensum, *conc. antec.* Ut in quocumque extrinseco continetur, ibi ratione dimensionum contineatur, replendo sua mole spatium superficie continentis interclusum, *subdist.* Haec est propria conditio corporis quanti quod localiter et per contiguitatem quantitativam, iuxta consuetum naturae ordinem, in altero continetur, iterum *conc. antec.* Quod non localiter, nec per contactum quantitativum, sed mediante substantia sub aliena dimensione est, *neg. antec.*

Certe nos non habemus notionem propriam nisi illius continentiae unius in altero, quae est per modum quantitatis, et secundum ordinem loci. Sed male quis inde concluderet, impossibile esse omne aliud genus continentiae, etiam corporei in corporeo ; et adhuc magis irrationabiliter attribueret aliis generibus ipsissimum modum cuius habet apud se imaginem et phantasma. Sane vero, ex hoc quod sola praesentia situalis seu localis (qua corpus quantitate effectum contingit sua superficie superficiem ambientis) proprio conceptu a nobis cognoscitur, statim sequitur necessarium esse ut concipiamus per quamdam eius analogiam, supernaturalem illam corporis Christi praesentiam in qua dimensiones et substantia respectu continentis contrario prorsus ordine se habent ac in familiari et notissima nobis conditione rerum. At vero cavendum est ne, non obstante diversitate de qua revelatio rationem excedens certiores nos reddit, velimus adhuc verificari vulgarem subessendi rationem, perinde ac si semper perseverarent solitae conditiones.

Imaginare te esse caecum a nativitate : concipis imagines in speculo existentes ad normam imaginum sculpturae quas tactu palpasti ; non solum autem, verum etiam uni generi determinate

(») Apud Bellarm., loc. cit., cap. 7, et sic de aliis, usque ad 8U" inclusive.

attribui , ipsissimum modum qui alteri proprius est . ecce statim omnia quae de imaginibus specularibus rei veritas habet, toti dem contradictiones tibi videbuntur. Adduceris enim coram speculo duorum cubitorum et dicitur tibi: ibi est imago tua et mea, h i· liter referens omnem formam corporis cum naturali ĉiu statura, prominentiis, et depressionibus; item, ista imago, te recedente, recedit, et similiter, te accedente, accedit, etc. etc. Profecto si praeoccupatus phantasmate imaginis sculptae speculum manu palpares, videretur tibi omnino impossibile ut ibi sit accessus et recessus, prominentia^^ depressio, ubi nulla est profunditas, sed simplex et plana superficies. Verum ideo hoc contingeret, quia falso existimares debere servari in uno genere imaginis ipsissimum modum alterius generis, cuius solius propriam notionem haberes. Idem igitur dic in praesenti et cum proportione ratiocinare.

2. *Occupare locum esi quaedam intrinseca proprietas quantitatis ; ergo separari non poterit a quantitate, licet posterior sit.*

Respondeo primo : *Neg. antec.,* quia intrinseca proprietas quantitatis non est nisi ut sit de se occupativa loci, ut supra praemissum est fl). — Respondeo secundo: Transeat antecedens transeat consequens, et *nego suppositum.* Non enim separatur a quantitate corporis Christi id quod est occupare locum, sed semper locum occupat, illum dico iustum et proportionatum locum cui contactu quantitative coniungitur. Nunc autem Christus non occupat nec replet locum sacramenti, tum quia secundum modum repletivum loci in uno loco definiatur necesse est, tum quia loco specierum non coniungitur, ut alias, mediante sua quantitate, sed sola mediante substantia.

3. *Non potest separari quaternarius a modo quaternarii, ita ut exsistat per modum unitatis. Ergo non poterit linea aut aha quantitas continua separari a modo, ita ut exsistat non extense, sed indivisibiliter.*

Respondeo: Transeat totum, et *nego suppositum.* Sicubi enim dicitur corpus Christi quantum exsistere indivisibiliter in

(*) Prolegonien. huius quaest., } 2, n. 1.

Eucharistia, legitimus sensus non est quod in seipso abstrahitur a sua extensione, sed quod continetur sub sacramento ratione substantiae secundum se consideratu , adeoque non per modum coextensionis ad specierum dimensiones.

4. *Non potest substantia exsistere nisi substantialiter; ergo nec quantitas nisi quantitative.*

Respondeo: Si per hoc quod dicitur *exsistere,* importetur intrinsecus modus tam substantiae quam quantitatis, *nego suppositum.* Si vero importetur modus continentiae in extrinseco, *nego assertum.* Substantia enim corporea iuxta ordinem naturalem continetur in extrinseco per modum quantitatis, et ordine inverso, quantitas nunc continetur in sacramento per modum substantiae.

5. *Non potest ullo modo spiritus indivisibilis exsistere per modum corporis divisibiliter et extense. Ergo non potest corpus divisibile exsistere ullo modo per modum spiritus indivisibiliter.*

Respondeo: Transeat totum, et *nego suppositum.* Neque enim dicimus corpus Christi exsistere per modum spiritus, sed, quod longe diversae rationis est, contineri in alio per modum substantiae, quia ad solam substantiam terminatur conversio quae est causa continentiae.

6. *Implicat contradictionem ut corpus trium cubitorum contineatur sub dimensionibus panis unius digiti; nam si ita fiat, erit idem corpus maius et minus, et proinde maius et non maius respectu eiusdem.*

Respondeo: *Dist. assert.* Esset contradictio si diceretur contineri per modum quantitatis, *conc.* Aliter, *neg.* — Sed forte urgebis dicens: Contentum est in continente ut non excedens terminos eius; atqui quantitas maior semper excedit terminos minoris; ergo nunquam potest contineri maior in minori. — Repono: Contentum est in continente ut non excedens praesentia sua terminos continentis, *conc.* Ut non excedens suis dimensionibus dimensiones eius, *subdist.* Si continetur secundum naturalem modum quanti in quanto, adeoque per coniunctionem dimensionum contenti cum circumscribentibus dimensionibus continentis, iterum *conc.* Si alio continentiae modo qui sola huius mysterii revelatione nobis innotescit et fugit omnem imagina-

tionem, delicet, ratione conversionis totius substantiae panis in in subs itiam corporis Christi, manentibus panis dimensionibus, *neg.* N pie hoc incredibile videri debet, quia tunc, contrario ordine «'›i sunt dimensiones propriae corporis Christi et dimensiones locati corporis in loco. « Corporis enim locati substantia ‹ non habet ordinem ad locum nisi mediantibus dimensionibus « Sed hic e contrario, substantia corporis Christi per se imme- « diate ordinatur ad hoc quod sit sub sacramento, et dimen « siones eius propriae solum ex consequenti », ut supra citatus dicit S. Thomas.

7. *Si corpus Domini suant habet in Eucharistia figuram, et partium distinctionem et ordinem, ergo distant pedes magis quam pectus a capite. At distantia maior et minor sine relatione ad locum intelligi nequit: illa enim magis distant inter se, inter quae maius intervallum interiectum est.*

Respondeo: *Dist. antec.* Si corpus Domini suam habet in Eucharistia figuram, etc., ergo distant pedes magis quam pectus a capite, respectu habito ad se invicem, et ad molem propriam ipsiusmet corporis Christi, *conc. antec.* Respectu habito ad mensuras extrinsecas, *subdist.* Secundum quod pedes, pectus, caput, localiter in caelo contenta, comparantur ad extrinseca per applicationem quantitatis ad quantitatem, iterum *conc. antec.* Secundum quod in sacramento contenta nullo modo se habent commensurabiliter ad specierum dimensiones, *neg. antec.* — Ad minorem vero subsumptam qua asseritur distantiam maiorem vel minorem sine relatione ad locum intelligi non posse, dico hoc esse verum si per locum *abusive* intelligatur ipsa spatiositas quam eflormat propria dimensio corporis organici, et quae est ab ea indistincta: sed esse falsissimum si per locum, iuxta genuinam vocis acceptionem, intelligitur superficies extrinseci circumscriptive tangentis atque continentis. Remoto enim per intellectum omni loco extrinseco, semper manet conceptus partium extra partes, et respectivae distantiae unius ad aliam.

Quae si bene perspexeris, videbis nullo modo posse admitti

id quod dicit Lugo (x), consequenter ad prmcipia recentiorum: corpus scilicet Christi habere in Eucharistia «eamdem figuram « organicam quam habet in caelo, non tamen eamdem figuram « situalem »; item, pupillam oculi Christi habere «rotunditatem « organicam (in sacramento), non tamen rotunditatem situalem, «quia non occupat ibi spatium rotundum, sed omnes partes pu- « pillae penetrantur inter se». Haec quippe et similia procedere videntur, tum ex suppositione illa qua volunt corpus Dominicum sub speciebus privari omni dimensione actuali, tum ex aequivocatione inter locum qui est superficies extrinseca circumscribens partem spatii, et extensionem quae ipsi corpori quanto est intrinseca. Verum cum sacratissimum corpus semper sit organicum, sive contineri dicatur in caelo, sive in sacramento, (esse enim organicum est sine dubio denominatio intrinseca, antecedens omnem habitudinem ad exteriora), cum insuper actualis organizatio concipi omnino nequeat sine extensione et certa distantia partium inter se, profecto in illo dimensionato quod constituitur propria quantitate corporis Christi, tam distant pedes a capite et caput a pedibus, si consideres Christum in caelo. quam si illum consideres in sacramento. Imo vero, sicut haec distantia partium inter se non est in Christo quatenus contento in sacramento, sic non magis est in eo quatenus contento in caelo. Omnis enim reduplicatio, ut sensum habeat, cadere debet in aliquid quod non sit extra intellectum denominationis cui adiungitur reduplicatio. Atqui distantia partium ad se invicem importat extensionem corporis Christi secundum se: continentia autem in aliquo extrinseco est omnino extra intellectum huius rationis essendi, quia etiamsi fingeres Christum esse nullibi, semper praedictae extensionis et distantiae conceptus permaneret. Igitur, tam in caelo quam in sacramento corpus Dominicum est quiddam in se spatiosum, non tamen rotundum, aut quadratum, sed configurationis humanae, iuxta illud quod sapienter notat Angelicus: «Quamvis corpus Christi prout est sub sacramento, « habeat partes distinctas et sic natas situ naturali, non est ta-(*)

(*) Lugo, de Euchar., Disp. B, Sect, a, n. 36.

« men a ignare in partibus dimensionum panis, ubi singulae «partes . orporis Christi iacent ; nec tamen sequitur quod dira- it mus · rpus Christi confusum, quia ordinem habent partes in «se, sed secundum ordinem illum non comparantur ad dimen- « siones exteriores » f1). Et infra : « Confusio opponitur ordini «partium qui pertinet ad rationem situs; et quia corpus Chri- « sti non est situaliter sub sacramento, ideo non sequitur ibi « aliqua confusio partium, ex hoc quod in quolibet signato ho- ‹ stiae est totum corpus Christi, et quaelibet pars eius. Quamvis « enim non sit accipere ordinem partium corporis Christi secun- « dum comparationem ad partes hostiae, tamen est accipere or- « dinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secun- « dum propriam quantitatem » (z).

8. *De essentia quantitatis est, habere partem extra partem ; ergo ubi est una pars, non est alia ; non igitur tota quantitas corporis Christi in eadem hostiae particula esse potest.*

Respondeo : Concedo antecedens, et *dist. consequent.* Ergo ubi una est pars, ibi non est alia, si ly *ubi* signet partem illius dimensionati quod per propriam corporis quantitatem constituitur. *cone, consequent.* Si signet partem extrinsecae dimensionis in qua corpus per modum substantiae continetur, *neg. consequent.* Et ratio patet ex dictis in solutione praecedenti.

9. *Si unum corpus sit in diversis locis simul, erit unum et multa (®).*

Respondeo : Si sit localiter in diversis locis simul, *cone.* Si in uno loco sit localiter, et in aliis per modum substantiae, *neg.* Hoc enim pacto, nullum interiacet spatium separans vel dividens corpus, quod etsi locatum in A, et simul contentum in B. tamen prout contentum in B, non constituitur sub mensura loci.

10. *Omne quod est in loco, aut circumscribitur loi o. aut certe in loco est definitive.*

Respondeo : Omne dnitum, pro modo essendi in loco ratione suae propriae quantitatis vel suae propriae virtutis, in loco

(') S. Thom., in IV, D. 10, q. *l,* a. 2, q. 4. sol 4, ad
f S. Thon»., ubi supra, a. 3, q. 4, sol. 3, ad 2"".
(') Apud Bellarm., ubi supra, cap. 4.

est definitive, *conc.* Pro modo essendi in loco, ratione transubstantiationis alterius in ipsum, *neg.* Vide supra, in prolegomeno quaestionis, § 2.

11. *Sequuntur multae contradictiones, si idem corpus sit in pluribus locis. Nam poterit esse sursum et deorsum, proinde remotum et non remotum ab eodem loco; item moveri et quiescere, accedere ad unum locum, et simul ab eo recedere; item poterit uno in loco summe calefieri, in altero summe frigefieri, vel etiam uno in loco vulnerari et occidi, in altero bene valere: quae sunt apertissimae repugnantiae.*

Respondeo, distinguendo assertum' semper eodem modo. Sequerentur omnes illae contradictiones, si idem corpus pluribus in locis contineretur localiter, *conc.* Sic enim divideretur a seipso, et fieret multiplex, et in uno loco exsistens foret independens a se exsistente in altero loco, saltem quoad passiones ab extrinsecis agentibus receptas. Sed non sequuntur illae contradictiones, si corpus in uno solo loco est localiter, in aliis vero per modum substantiae. Etenim, secundum quod per modum substantiae sub sacramenti dimensionibus exsistens, non comparatur ad alia ut localiter distans vel indistans, nec potest aut participare motum quo species huc atque illuc circumferuntur, aut pati aliquid ab agentibus quae sunt circa sacramentum; denique, in semetipso nullo modo replicatur, sed est et manet undequaque individuum. Haec iam fuerunt fuse alias declarata, verumtamen ea quae attinent ad motum requirunt ampliorem explicationem, pro qua additur sequens propositio.

THESIS XLIV.

(Art. 6).

Etsi Christus recte dicatur moveri per accidens secundum esse quod habet in sacramento, per se tamen in eo est omnino immobiliter.

Moveri per accidens, est moveri ratione alterius quod per se movetur; sed hoc dupliciter accidere potest. — Primo modo, ita ut res vere concomitanter moveatur, recipiendo in se per quam-

dam pani· ipationem, mutationem illam quae in alio est. Hoc pacto movetur homo quiescens in curru, nam licet non moveatur nisi ipso motu quo currus abripitur, certo tamen certius participat et r cipit in seipso motum : cuius rei signum evidens est, quod si i neda casuali quadam collisione subito consisteret, homo ille in anteriores partes violenter propelleretur. — Alio modo dicitur moveri per accidens id quod nullatenus patitur motum sive mutationem quae fit in eo quod movetur per se, sed solum suscipit ad mutationem alterius novas denominationes extrinsecas, motum consequentes. Hoc pacto angelus potest per accidens moveri secundum locum, puta si corpus in quo est ratione suae operationis praesens, de loco in locum transferatur; non enim communicaretur angelo impetus ille qui in solis corporalibus esse potest, sed ipse ad motum corporis consequeretur successivas praesentias in successivis locis quos corpus localiter pertransiret. Et hic est modus quo dicimus corpus Christi in Eucharistia per accidens moveri, attolli, deponi, deferri, collocari in altari vel in pyxide, transferri de manu ad os et de ore ad stomachum, ac per hoc, manducari. Non quod motus communicetur corpori Christi, sed quia corpori Christi vere competunt variae praesentiae in loco consequentes actionem attollendi, circumgestandi, transferendi species sacramentales in quibus per modum substantiae continetur. Quidquid autem dicitur de motu locali dicendum etiam est de motu desitionis quem consequitur cessatio sacramentalis praesentiae; non enim magis participat Christus hunc alium motum, sed, ut in superioribus iam dictum est, absque alia sui mutatione desinit esse in speciebus desinentibus. Cuius quidem rei etsi nullum in natura rerum prostet exemplum, qualiscumque tamen sensibilis imago sumi potest ex obiecto quod sine sui ipsius motu, vel incipit vel desinit esse praesens in speculo, ad solam speculi mutationem.

Asseritur ergo in praesenti, corpus Christi moveri per accidens secundum esse quod habet in sacramento, sed ita per accidens, ut in seipso omnino immune sit a motu quo moventur species. Additur autem, ipsum esse in eodem sacramento per se omnino immobiliter, ut sit sensus, quod praesentia sacramen-

talis foret omni ex parte immutabilis, nisi contingeret species vel corrumpi vel de loco in locum transferri. Porro utrumque assertum facile evincitur ex hactenus demonstratis. — Evincitur primum, quia ad motum localem specierum Christus non est amplius in eodem loco in quo erat prius; item, ad motum corruptionis earumdem cessat omnino sacramentalis eius praesentia. Aliunde vero, ipsum Christi corpus non participat localem motum translationis, quia in sacramento non est localiter, sed solae dimensiones panis quas sensu percipimus, exsistunt sub mensura loci et loco circumscribuntur; nec iterum motum corruptionis, quia praescindendo etiam ab incorruptibilitate absoluta quae nunc Christo competit titulo gloriae, ex ipso modo continentiae in sacramento habet ut nihil possit pati ab agentibus corporeis, per quorum actionem alterantur species. Et sic apparet nullum esse faciendum discrimen inter praesentem et praeteritum statum, puta quando in die coenae, nondum exuta mortalitate, fuit primo consecrata Eucharistia. — Evincitur pariter et alterum, quia si causa praesentiae nullo modo est in ipso Christo, sicut constat ex praemissis, neque etiam in eo inveniri potest ratio cuiuscumque mutationis circa eamdem praesentiam contingentis. Oportet igitur ut Christus, quantum in ipso est, sit omnino immobiliter in hoc sacramento.

Quae cum nihil aliud sint nisi merum corollarium praecedentium, restat tantum ut exponantur duae assertiones S. Thomae in praesenti, ne forte in ambiguo apud quosdam remaneant. Prima est, ubi ait: «Cum aliquid est unum subiecto, et mul« tiplex secundum esse, nihil prohibet secundum aliquid moveri, « et secundum aliquid immobile permanere... *Christo autem non « est idem esse secundum se, et esse sub hoc sacramento,* etc. ». Hinc quippe aliqui persuadere volunt, S. Thomam stare pro actione productiva, eo quod tribuit Christo esse sacramentale, diversum ab esse quo est secundum se. Sed in hoc omnino decipi videntur, quia *esse sub sacramento* non signat esse substantiale replicatum sive reproductum, sed purum esse respectivum consistens in mera habitudine ad continens extrinsecum, ut patet evidenter vel ex sola oppositione quae est inter esse sub hoc

sacramento, et *esse secundum se.* Sicut si diceres quod Deo non est idem esse secundum se, et esse in creatura, quia per hoc quod h >tur esse in creatura, importatur quaedam habitudo eius ad crc.ituram; ex quo fit ut de utroque illo esse verificentur opposit i, puta cum aio quod esse Dei secundum se est ab aeterno, him e contra, esse eius in creatura non est ab aeterno, sed ex tempore. Simili itaque pacto, concludit S. Thomas, non est contradictio si Christus dicatur moveri per accidens secundum esse quod habet in sacramento, et simul manere immotus secundum se.

Altera assertio a nonnullis non satis perspecta, est comparatio introducta inter praesentiam Dei in rebus, et praesentiam corporis Christi sub speciebus sacramenti: «Sicut Deus, inquit. « desinit esse in aliqua creatura corruptibili, per hoc quod crea- « tura corruptibilis desinit esse. *Et hoc modo...* Christus desinit ‹ esse sub hoc sacramento solum per hoc quod species hu- ic ius sacramenti desinunt esse ». Quam comparationem iterum sub alia forma proponit Angelicus in responsione ad ¥ : «Ces- « santibus (speciebus), desinit esse corpus Christi sub eis. non « quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Chri- « sti ad illas species, per quem modum Deus desinit esse do- « minus creaturae desinentis ». Arguunt autem contra, dicentes *nullam esse paritatem possibilem inter praesentiam divinant in creaturis, et praesentiam Christi in sacramento; nam cum Deus sit immensus, optime intelligitur quomodo sine sui mutation: incipiat vel desinat adesse creaturae, per hoc ipsum quod incipit vel desinit creatura, quin tamen eadem vel similis ratio de Christi corpore possit unquam in cogitationem obvenire. — Hic igitur* latent aequivocationes, quas oportet removere.

Dico itaque nullam esse paritatem possibilem inter praesentiam divinam et praesentiam sacramentalem, quantum ad praesentiae causam, titulum, necessitatem, et rationem intrinsecam. Nam certe, alia est causa praesentiae Dei in rebus, quia non est *conversio* alterius rei in Deum; alius titulus, quia non est permanentia dimensionum substantiae conversae; alia necessitas et alia ratio intrinseca, quia divina praesentia est jht

contactum virtutis omnipotentis qua Deus i., rebus omnibus operatur largiens eis et conservans esse, ne ıs incidant in nihilum unde exortae sunt. Sed est paritas inter utramque praesentiam solummodo *quantum ad unam notam negativam,* quatenus scilicet praesentia sacramentalis incipit et cessat sine mutatione corporis Christi, sicut praesentia divina sine mutatione Dei. — Ad argumentum vero in contrarium respondeo, legitimam conclusionem nullam aliam esse, nisi quod ex aliis rationibus fit ut Deus maneat immotus propter incipientem vel cessantem praesentiam eius in re corruptibili, Christus vero propter incipientem vel cessantem praesentiam in sacramento. Deus quidem, quia operatio qua omnia creavit, omniaque conservat tam corruptibilia quam incorruptibilia secundum naturalem uniuscuiusque exigentiam, minime facit Deum alio atque alio modo in semetipso se habentem, (immobilis enim in se permanens mutat et temperat rerum vices). Christus vero, quia ratio novitatis vel desitionis praesentiae nequaquam in ipso est, sed tantum in hoc quod incipit vel cessat dimensio separata alterius in eum transubstantiati. Non ergo affertur a S. Thoma exemplum praesentiae divinae, etiam quoad notam negativam de qua supra, quasi paritas ex iisdem causis proveniret, sed solum ut appareat posse aliquid incipere vel desinere esse alicubi realiter praesens, quin tamen plus ei acquiratur vel dematur quam simplex relatio rationis. — Caeterum addo quod consideratio de immensitate fortasse hic procedit ex falso ipsius immensitatis conceptu. Qui enim ad divinam immensitatem recurrit, ut explicet cur sine sui mutatione incipit Deus de novo esse praesens creaturis, quando creaturae incipiunt esse, iste videtur imaginari Deum tamquam replentem ab aeterno spatii infinitatem ; ex quo fieret ut nihil opus esset ipsum moveri versus creaturam, quia iam antecedenter erat ubi incipit esse creatura. Sed in hoc ingens est lusus imaginationis repraesentantis omnem praesentiam per modum localis contactus et localis indistantiae ; porro, ut supra dixit Angelicus, non oportet intellectualia ad imaginationem deducere.

THESIS XLV.

(Ar t . 7-8).

Christum secundum modum quo continetur in sacramento nullus oculus corporeus quantumvis glorificatus videre potest, nec ullus intellectus creatus ex suis naturalibus cognoscere. Sed praesentia sacramentalis. cognitione quidem analogica per solam revelationem attingitur, cognitione autem propria per solum lumen beatitudinis.

i. Quoad oculum corporeum, primum argumentum est quia nihil videtur visu corporali nisi oculus moveatur ab obiecto, recipiendo in se quamdam eius impressionem per medium ambiens transmissam. Insuper, omnis impressio corporei in cor poreum fit ex praesuppositione contactus quantitativi, eo quod mediante quantitate omnes vires corporeae subiectantur in substantia, et omnes passiones in eadem recipiuntur. Atqui contactus quantitativus non est inter corpus Christi et medium aethereum quod separat sacramentum ab oculis adstantium. Ergo impossibile est ut in sacramento praesentem videat unquam oculus corporeus. — Ex eadem etiam ratione fit ut ipsemet Christus prout praesens sub speciebus nequeat corporaliter videre circumstantes, vel corporaliter audire ea quae dicunt ; nani sicut non potest ipse imprimere in sensus nostros, ita nec nos vicissim in suos. Quidam autem ex hac conclusione turbantur, sed profecto sine causa. Quid enim refert, Christum nec videre nec audire *corporaliter* quaecumque in loco sacramenti vel dicuntur vel fiunt, si cuncta audit et videt multo altiori cognitione ? Atqui in sacramento adest cum plenitudine scientiae tum beatae, tum per se infusae, per quam omnia nostra scit scientia certissima fl). Imo, speciali titulo sacramentalis praesentiae cognoscit preces, obsequia, cultum suorum fidelium, necnon et

(») Cf. de Verbo incarnato. Quaest. IX-XII.

angores ac tribulationes, tum totius Ecclesia- tum singulorum ex nobis. Quippe haec notitia peculiari ration- pertinet ad eius statum secundum quod consideratur ut in Eucharistia praesens, tum quia hoc sacramentum ipse instituit ut adesset Ecclesiae in hoc saeculo laboranti, tum quia preces et obsequia nostra diriguntur ad ipsum ut in hoc amoris mysterio sese nobis exhibentem.

Est autem et alia ratio absolute removens oculum corporalem a visione Christi in eodem sacramento. Nam illud quod per se est sub speciebus, et ad cuius modum caetera continentur, (scilicet, substantia) invenitur extra adaequatum obiectum oculi corporei, imo cuiuslibet sensus tam interioris quam exterioris, ut pluries in superioribus dictum est. « Et ideo, proprie loquendo, cor- « pus Christi secundum modum essendi quem habet in hoc sacra- « mento, neque sensu neque imaginatione perceptibile est, sed «solo intellectu qui dicitur oculus spiritualis» i1). Verum, adhuc circa intellectualem visionem distinctione opus est. Hinc:

2. Quoad intellectum creatum, in primis dicendum quod sacramentalis praesentia transcendit cognitionem eius naturalem. Praesentia enim corporis quanti sub dimensione aliena per modum substantiae est in se omnino supernaturalis, sicut transubstantiatio ex qua resultat : nam ordo naturae habet ut substantia corporea, mediante sua quantitate, in alio contineatur. Atqui supernaturalia a creato intellectu naturaliter non cognoscuntur. Nec obstat quod angeli et homines naturaliter cognoscant resurrectionem mortui vel illuminationem caeci, nam vita quae redditur mortuo et visus qui datur caeco non sunt aliquid secundum se supernaturale ; unde ad cognitionem vitae restitutae cognoscitur miraculosa operatio sicut causa in effectu. Hic autem, ipsa ratio praesentiae sacramentalis est secundum se supra ordinem totius naturae, et ideo deest paritas.

Verumtamen haec ipsa sacramentalis praesentia non est extra obiectum adaequatum intellectus creati ; unde absolute loquendo, est ab eo cognoscibilis. Sed si medium cognitionis sit(*)

(*) S. Thom., hic. in corp.

revelatio exterior per quam potentia intellectiva non elevatur super suum naturalem operandi modum, praesentia illa non potest cognosci ut est in se, sed solum analogice, ad normam eorum piae sunt naturaliter scibilia ab unoquoque intellectu Sin amem medium cognitionis sit lumen supernaturale, elevans potentiam quoad ipsum apprehendendi modum, tunc solum potest cognosci praesentia Christi secundum rationem sibi propriam. Caeterum non est dubium quin omnes beati de facto intueantur Christum in sacramento praesentem, propriumque modum quo ibi praesens est, quatenus visio divinae essentiae est eis ratio videndi ea quae in divina essentia intelligibiliter continentur. Et de beatis quidem hominibus facile ostenditur, quia oportet eos clare intueri in gloria quidquid fuit obiectum fidei in via, iuxta illud Psalm. XLVII-9 : « Sicut audivimus, sic « vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri ». De beatis autem angelis constat similiter, quia visio Christi in Eucharistia pertinet ad eorum statum, prout sunt ipsius Regis gloriae ministri, ei per omnia famulantes; porro omnis beatus in divina essentia videt quidquid pertinet ad suum statum, ut fert communis et certa theologorum sententia.

Nota. — In art. 8 docet S. Thomas quod cum in sacramento miraculose apparet caro vel sanguis, hoc provenire potest ex duabus causis : vel quia circa dimensiones hostiae ministerio angelico formatur quaedam effigies, vel quia adstantium oculi immutantur, nulla mutatione facta ex parte sacramenti. Primum dicit contingere quando non ad breve tempus, nec ab uno tantum aut altero, sed ab omnibus communiter miraculosa species percipitur. Alterum vero, quando secus. Addit tamen, nunquam esse in hoc deceptionem, quia semper accidit in figuram et manifestationem veritatis, scilicet ad confirmandam fidem qua credimus contineri in Eucharistia corpus et sanguinem Christi, vere, realiter, et substantialiter.

Quaest. LXXVII.

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO.

Deinde considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc Sacramento : *primo,* quantum ad esse eorum in statu separationis ; *secundo,* quantum ad eorum agere et pati et corrumpi; *tertio,* quantum ad id quod ex corruptione consequitur,

Praeobservandum autem quod ratio et fides pariter docent, dari accidentia realiter distincta a substantia. Ratio quidem, quia videmus quod eadem substantia permanente, desinit vel de novo acquiritur esse accidentale. Fides vero, tam in praesenti mysterio quam in materia de gratia et virtutibus ; si enim nulla essent accidentia distincta, sequeretur gratiam sanctificantem, habitus supernaturales, lumen gloriae, et ipsam visionem beatificam esse re idem cum animae essentia; quo posito, corruit dogma de ente supernaturali, et falsa evadit definitio Tridentina, Sess. IV, can. iii: « Si quis dixerit hominem justificari, exclusa gratia et < charitate quae in corde eius per Spiritum Sanctum diffunda- * tur, atque illi inhaereat, anathema sit ».

Verum, alia quaestio est de reali distinctione, et alia omnino de separabilitate ; accidentia autem corporea posse separari a substantia, ita ut separata adhuc in esse permaneant, ratio naturalis profecto non perspicit. Unde in hac re, sicut in aliis omnibus ad quae naturale lumen non pertingit, oportet habere prae oculis ea quae scribit S. Thomas l. i cont. Gent., c. 9 : « Sapientis intentionem circa duplicem veritatem divinorum de- « bere versari... ad quarum unam investigatio rationis pertingere « potest, alia vero omnem rationis excedit industriam... Ad pri- « mae igitur veritatis manifestationem, per rationes demonstra- « tivas quibus adversarius convinci possit, procedendum est. Sed * quia tales rationes ad secundam veritatem haberi non possunt, « non debet esse ad hoc intentio, ut adversarius rationibus con- « vincatur, sed ut eius rationes quas contra veritatem habet sol-

« vanni', cum veritati fidei ratio contraria esse non possit ·. Han· tur regulam firmiter retinentes, praesentem disputationem aggredimur.

THESIS XLVI.

(Art. 1-2).

Panis et vini accidentia collective sumpta, miraculose in sacramento manent sine subiecto. Si tamen inter se invicem comparentur, dicendum est solam quantitatem dimensivam per omnipotentiam Dei absolute subsistere, caetera vero in ea tamquam in vice-substantia subiectari.

Accidentia post consecrationem considerari possunt, vel collective prout unum quoddam totum eftormant, vel divisive secundum habitudinem quam servant inter se. Primo modo dicuntur exsistere absque ullo subiecto, sicut Concilia docent *Q)*·· sed alio modo, assignatur unum quod respectu caeterorum munere subiecti fungitur, et hoc unum est quantitas dimensiva.

Habet quippe quantitas specialissimam conditionem inter cunctas accidentium categorias. — Etenim primo, ab aliis generibus differt quatenus antecedit omnes alias substantiae materialis proprietates ; cuius signum esse potest, quod communitrr substantiam corpoream describimus per ordinem ad quantitatem, sicut cum eam esse dicimus quae exigit trinam dimensionem m longum et latum et profundum. Quia igitur unumquodque solemus distinguere per respectum ad proprietatem quam primo illi inesse apprehendimus, iure meritoque concluditur quantitatem esse accidens, quo nullum est substantiae vicinius. — Praeterea differt quatenus ea est substantiae corporeae determinatio, mediante qua insunt caetera accidentia quibus subiectum absolute in seipso perficitur. Nam certe, etsi omnes qualitates et vires ex ratione sui generis inextensum aliquid dicant, extenso tamen et dimensivo modo in corporibus noscuntur exsistere ; sed

(») Supra, Tlies. 40.

hoc esse omnino non posset, nisi reciperentur in subiecto per prius Affecto quantitate (l). Restat igitur ut quantitas sit id quo proxime disponitur substantia ad aliorum accidentium susceptionem. — Tertio demum ab aliis differt quatenus secundum rationem sui generis plus habet absoluti. Sed circa hoc, cum principalem contineat praesentis materiae difficultatem, nonnulla sunt magis particulariter exponenda.

Absolutum opponitur relativo: rursus relativum dupliciter dicitur, transcendentaliter scilicet et praedicamentaliter. Porro transcendentalis relatio viget inter principia entis, et non constituit specialem categoriam, sed vagatur per omnia suprema genera, quia non distinguitur ab entitate absoluta principiorum quae in quolibet genere, ipsa sua insubsistentia vel imperfectione ordinem dicunt ad alia comprincipia quibus proportionantur. At relatio praedicamentalis viget inter res subsistentes ; praesupponit enim ea omnia quibus unumquodque in seipso perfectum exsistit, superadditque respectum ad alterum, qui respectus, puta paternitas, filiatio, etc., est speciale accidentis genus quod ab Aristotele vocatur *ad aliquid* (2). Nunc ergo si absolutum sumatur per oppositionem ad relationem praedicamentalem, sic nihil speciale habet quantitas prae quibuslibet qualitatum speciebus, sed utrumque praedicamentum sive quantitatis sive qualitatis, eodem iure eodemque titulo sub nomine absoluti venire potest, pro quanto utrumque ex ratione sibi propria ponit aliquid in subiecto, perficiendo ens secundum se. Sin autem sumatur absolutum per oppositionem ad relativum transcendentaliter dictum, sic nullum omnino accidens, et nequidem dimensiva quantitas, inter absoluta debet computari ; semper enim accidens ex sua ratione es-

(l) Certe si persistas in formali ratione energiae, sive vis activae, non invenis rationem partium extra partes, et ideo absurde quis quaereret, cuius dimensionis sit vis, vel alia quaepiam qualitas secundum se. Sicut ergo substantia, non ex sese, sed per quantitatis susceptionem est dimensionata : ita qualitates, nonnisi ratione subiecti, per accidens extenduntur : « Qualitates non sunt divisibiles nisi per accidens, scilicet raptione subiecti», inquit S. Thomas, hic, art. 2, in arg. *Sed contra.*

(2) Cf. de Deo trino, prolegom. Quaest. 28.

senti.ili ‹»i linem dicit ad substantiam tamquam ad sublectum cui inesse n um est. At vero considerandum nunc occurrit quod relativum transcendentale concipitur ut in triplici differentia existens. – Primo quidem, eiusmodi esse potest, ut absolute repugnet i m persistere quin expleatur *actu* ordo quem involvit ad alterum, sicut evidenter impossibile est ut sit unquam actus vitalis seorsum a vitali potentia, vel figura seorsum a subiecto quanto quod figurat : quippe de essentia actus vitalis est *actualis* immanentia in principio a quo elicitur, et similiter de essentia figurae est *actualis* terminatio alicuius diinensionati. — E contrario, transcendentalis ordo potest esse eiusmodi, ut non solum non sit impossibile rem persistere absque actuali huius ordinis implemento, verum etiam naturale ei sit ut sic permaneat. Et hoc modo anima rationalis quae habet transcendentalem ordinem ad corpus tamquam eius forma *per se et essentialiter,* ut definivit Concilium Viennense, nihilominus separata a corpore naturaliter in esse perseverat. Non quod separetur ab ea ipse ordo quem habet ad corpus, et qui est ab eius natura indistinctus, sed quia esse animae non pendet ab hoc quod ordo ille impleatur in actu : cuius ratio est quia praeter gradum secundum quem transcendentaliter refertur ad suum comprincipium, anima habet gradum superiorem in quo est absoluta et libera. — Tandem concipi potest tertius quidam modus intermedius quoad ordinem transcendentalem unius ad aliud : quatenus scilicet naturaliter fieri non possit ut res in esse perseveret, praedicto ordine *actu* non impleto, bene tamen miraculose et de potentia Dei absoluta. Et hic modus est quem in quantitate dimensiva respectu substantiae agnoscimus, consequenter ad revelationem huius mysterii. Cum tamen non sit ratione naturali notus, non est expectandum ut demonstrativae rationes afferantur, sed satis est assignare peculiarem et propriam quantitatis rationem ex qua removeatur evidens contradictio, quando ipsa dicitur posse supernaturalitc-r sine actuali inhaesione persistere, quin imo. agere vices subiecti quoad caeteras accidentales proprietates. Porro haec est specialissima conditio quam intendimus significare quando asserimus

quantitatem ex natura sui generis *plus ha*) l *absoluti* quam alia quaelibet accidentia.

Istud equidem suaderi potest variis rationibus metaphysicis, quarum principalis infra suo loco proponenda, pertinet ad individuationem quam sola quantitas ex sese habet. Interim vero sufficiet animadvertere quod quantitas abstracta obiectum est unius generis scientiae, scilicet mathematicae, in qua consideratur sine ullo ordine ad subiectum, non secus ac si per se subsisteret. E contra, cum in physicis considerantur aliae corporum proprietates, ut calor, lux, electricitas, nonnisi concrete attinguntur prout in subiecto sunt. Aut si quando in his etiam scientiis motus et vires accipiuntur absolute, tunc sumuntur per modum quantitatum, et quasi vertuntur in quantitates, sicut patet ex hoc quod subiiciuntur calculo, et formulis mathematicis repraesentantur. In summa, quisquis attendet ad vulgarem illam et tritam divisionem per quam scientiae inferiores dividuntur in *exactas* et *physicas* sive experimentales, videbit divisionem hanc totam inniti in eo quod praesentis indaginis materia est. Exactae enim vocantur illae quae non procedunt ex experientia et non attingunt suum obiectum in statu concretionis ; non exactae, quae secus : quippe experientia semper est imperfecta, et secundum quamdam maiorem minoremve approximalionem. Si ergo ex omnibus scientiis circa corporales proprietates occupatis, illae solae quae dimensivam quantitatem pro obiecto habent, non recensentur inter experimentales, in hoc profecto non leve indicium est specialis conditionis ipsius quantitatis, quatenus *ordo ad subiectum quoad actualem sui implctionem, non ita est de essentiali ratione eius,* sicut est de ratione aliorum accidentium. — Accedit praeterea quod omnes habent conceptum spatii absoluti, id est dimensionis ab omni materia abstractae : ex quo etiam provenit illusio illa plurimorum de spatio infinito, aeterno, atque immobili. Porro, si quis recte consideret, perspiciet nullum dari similem conceptum qui in aliis accidentium generibus proportionaliter respondeat. Iterum ergo eadem esse potest conclusio ac supra. — Accedit demum quod si difficilius intelligimus quantitatem esse accidens, si facilius eam cum substantia confundimus,

hoc ev nit praecise quia substantiae est similior. Uncle S. Thomas: « Omnia alia accidentia mediante quantitate in substantia « fundantur, et quantitas est prior eis naturaliter, et ideo non «claudit materiam sensibilem in ratione sua... Unde ex hoc « quidam decepti fuerunt, ut crederent dimensionem esse sub- « stantiam rerum sensibilium, quia remotis qualitatibus, nihil « sensibile remanere videbant nisi quantitatem » (1).

Asserimus itaque, quantitatem dimensivam panis supernaturaliter conservari a Deo sine subiecto: quatenus, cum iuxta naturae ordinem accidens non possit esse nisi ut communicatum substantiae, divinitus fit ut substantia transeunte, ipsa quantitas seorsum maneat cum proprio actu essendi, adeoque non amplius se habeat *ut quo* aliquid est quantum, sed *ut quod,* tametsi ordinem transcendentalem ad subiectum et naturalem exigentiam ad inhaesionem semper retineat. Porro, ex hoc ipso quod primum accidens quantitas per consecrationem acquirit modum essendi in se, omnia alia accidentia quae mediante quantitate substantiam afficiebant, remanent fundata in ipsa quantitate habente nunc vim et actum substantiae, idque non ex novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. Aptum exemplum afferunt Salmanticenses de Euchar., Disp. 8, Dub. 3, § 1: « Si- « cut intellectus est ratio proxima per quam anima rationalis « recipit species et habitus scientiarum, ita quantitas est pro- « portionaliter dispositio aut ratio proxima per quam substantia «corporea recipit colorem, saporem, figuram, et alia accidentia: « unde sicut species et habitus inhaerent animae mediante in- « tellectu, ita color et alia accidentia corporalia inhaerent sub- « stantiae, mediante quantitate. Ergo sicut si *(per impossibile).* « destructa anima maneret intellectus, eo ipso manerent species « et habitus...: ita cessante substantia panis per conversionem. « quantitas quae miraculose perseverat, retinet per modum « subiecti colorem, saporem, et caetera accidentia quae ante « conversionem substantiae habebat sibi unita ».

Quapropter satis superque iam apparet quo sensu in hoc

(1) S. Thom, in IV, D. *12,* q. 1, a. 1, q. 3, sol. 3.

mysterio nomen *accidentium absolutorum* -incedimus. Nam si per hoc nomen intenderet quis excludere ti anscendentalem ordinem quem accidens essentialiter dicit ad substantiam, ac per consequens, naturalem exigentiam quam semper servat ad inesse sendum, sic locutio foret absurda et omnino reiicienda. Si autem intendat excludere, non quidem ordinem ipsum, sed solum eius actuationem quae in actuali inhaerentia est sita, sic, appellatio accidentis absoluti concedi debet, *non tamen quoad omnia et singula, sed quoad solam dimensivam quantitatem* quae modum essendi substantiae miraculose consequitur, idque tum in ordine ad se, tum in ordine ad reliqua remanentia. — His igitur praemissis :

Quod accidentia collective sumpta, sunt sine ullo substantiali subiecto. — Etenim, ut supra ostensum est, acci dentia panis et vini manent, cessante propria eorum substantia. Si ergo alicui substantiae inhaererent, vel substantiae corporis Christi, vel substantiae aetheris sive aeris circumstantis. Sed hoc a nemine unquam somniatum est, et omnimodam impossibilitatem prae se ferre noscitur, praesertim quia ad inhaesionem essentialiter requiritur positiva proportio cum subiecto inhaesionis, quae omnino deest in proposito. Restat ergo ut accidentia sacramentalia virtute divina sine subiecto conserventur: quod quidem pro impossibili haberi non debet: «Cum enim ef- « fectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda, « Deus qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam « infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta « substantia per quam conservabatur in esse sicut per propriam « causam : sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest « producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus for- « mavit in utero Virginis sine virili semine » (x). Super quo tamen notandum est quod causalitas substantiae respectu acci-

(·) S. Thom., hic, art. i in corp.

denti·' ' ■ duplex. Substantia enim causât ut causa materialis in quantum subiectat accidentia; causât etiam quasi efficienter in quantum accidentia ab ea dimanant per quamdam resultandam, et iugiter censervantur per continuum influxum. Porro, cum in sacramento Deus dicitur supplere causalitatem substantiae, non sic intelligas quasi ipse suppleret causalitatem materialem gerendo vicem subiecti, quod absit; sed sublato substantiae influxu, quicumque ille est, conservat accidentis essentiam sub proprio actu essendi. Equidem verum est quod exsistentia accidentis est *inexsislentia,* sicut exsistentia substantiae est *subsistentia;* quo fit ut accidens proprie loquendo non habeat esse, imo subiectum habeat esse secundum ipsum (!). Sed rursus, hoc non est ita accipiendum quasi accidentalis exsistentia esset ipsa exsistentia qua substantia in se subsistit, nam unicuique essentiae, sive accidentali sive substantiali, respondet distinctus exsistentiae actus. Sensus igitur est, quod actus proportionatur potentiae : unde cum accidens secundum suam essentiam sit magis *entis ens* quam *ens,* ut dici solet in philosophia, ideo etiam eius exsistentia est magis substantiae secundum accidens, quam accidentis secundum se. At vero, statim ac accidens, per divinam virtutem a subiecto separatur, ille idem essendi actus qui prius competebat substantiae secundum proprietatem accidentalem sibi inhaerentem, iam esse incipit solius accidentis nunc miraculose subsistentis, id est, habentis exsistere in se. — Ne tamen de quolibet accidente hoc intelligas, additur haec altera assertio :

Quod sola dimensiva quantitas per Dei omnipotentiam absolute consistit, et aliorum accidentium est subiectum. — Primum argumentum est ex testimonio sensuum qui circa proprium sensibile in sacramento non decipiuntur, ut iam in superioribus notatum est. Et re quidem vera, ad sensum apparet, esse ibi aliquid quantum quod colore, sapore, aliisque proprietatibus tum physicis tum chimicis afficitur. .Apparet dmiliter proprietates illas coextendi, quod esse non posset nisi forent in dimensionibus subiectatae: virtus enim activa vel quaelibet qua-

(«) Ibid, ad 4""

litas ratione sui, nullius est latitudinis. Ion itudinis, aut profunditatis. — Aliud quoque argumentum est quia, permanentibus in esse iisdem accidentibus, necesse est, saltem si nullum aliud intercedat miraculum, ut maneat idem ordo eorum inter se. Quia igitur omnia alia accidentia referuntur ad substantiam mediante quantitate dimensiva, consequens est quod subtracta substantia, super quantitatem fundata remaneant. — Tertium denique argumentum sit, quia exsistere non est nisi singularium sive individuorum, et ideo nihil potest etiam per miraculum separatim a subiecto exsistere, nisi illud quod independenter a subiecto individuatur. Sed hoc non competit alicui accidenti nisi soli quantitati: est enim individuum id quod cum sit indivisum in se, divisum est ab omni alio ; porro sola quantitas per se habet unde sit divisa ab alia quantitate, et ratio exsistat divisionis formarum accidentalium. « Non possunt apprehendi mul« tae albedines, inquit S. Thomas l. 4 c. Gent., c. 64, nisi se« eundum quod sunt in diversis subiectis ; possunt autem ap« prehendi multae lineae, etiamsi secundum se considerentur : « diversus enim situs qui per se lineae inest, ad pluralitatem « linearum sufficiens est. Et quia sola quantitas dimensiva de « sui ratione habet unde multiplicatio individuorum in eadem « specie possit accidere, prima radix huiusmodi multiplicationi « ex dimensione esse videtur... Et sic relinquitur quod cum in « sacramento ponamus dimensiones per se subsistere, et alia accidentia in eis sicut in subiecto fundari, non oportet nos di« cere quod accidentia huiusmodi individuata non sint ; remanet « enim in ipsis dimensionibus individuationis radix » (1). — Restat nunc ut rationibus adversariorum fiat satis.

(1) Similiter, Quodl. 7, a. 10, ait Angelicus: «Possibile est imagi« nari duas lineas separatas eiusdem speciei, numero diversas secun« dum diversum situm... Plures autem albedines eiusdem speciei sine «subiecto imaginari est impossibile, et sic patet quod albedo non in«dividuatur nisi ex subiecto ; et propter hoc, non posset esse indivi« dua, nisi esset in aliquo subiecto, ad minus in quantitate. Sed quan« titas habet unde individuetur etiam absque subiecto, et ideo potest « per miraculum esse haec quantitas sensibilis etiam absque subiecto, «sicut patet in corpore Christi».

S «

Opponitur primo : *Non potest fieri etiam per miraculum ut définira rei ab ea separetur. Sed definitio seu ratio accidental est, esse in alio tamquam in subtecto. Ergo, ne miraculose quidem fieri potest ut accidens in subiecto non sit.*

Respondeo : *Conc. mai.,* et *neg. min.* Sicut enim definitio substantiae non est, id quod exsistit in se (nam humanitas Christi est substantia, tametsi non in se exsistat, sed in Verbo cui in unitate suppositi coniungitur); ita definitio accidentis non est, id quod exsi&tit in alio, sed cui ex vi suae naturae competit esse, non in se, sed in substantia tamquam in subiecto. Quapropter, si non separatur definitio substantiae ab humanitate Christi, quia, etsi supernaturaliter exsistat in Verbo ut in hypostasi cui unitur secundum subsistentiam, tamen semper remanet id cui ex vi suae naturae debetur proprium esse: nec etiam separatur definitio accidentis a dimensionibus sacramenti, quia semper servant aptitudinalem inhaerentiam. Ad rem Bellarminus I. 3 de Euchar., c. 24 : « Sicut substantiae convenit « naturaliter subsistere, et tamen supernaturaliter potest sepa- « rari a sua subsistentia, ut patet in mysterio incarnationis, ubi « natura humana est substantia, et tamen non subsistit, id est, « non per se exsistit, sed a Verbo sustentatur : ita accidenti « convenit naturaliter inhaerere, et tamen fieri potest divinitus « ut non inhaereat » (*).

Opponitur secundo : *Impossibile est ut substantia unquam subiecto inhaereat ; et nequidem. in incarnationis mysterio hoc factum fuit, quia humana natura non inhaeret Verbo, sed Verbum ab aeterno subsistens secundum divinitatem, incepit in tempore subsistere etiam secundum humanitatem. Si igitur absolute impossibile est ut inhaereat substantia, pari iure repugnat ut subsistat accidens, quantumvis firaelernaturaliter et miraculose.*

Respondeo : *conc. antec.,* et *neg. consequent.* Etenim ad huc

(*) Cf. S. Thom., hic, art. 1, ad 2u,n . et in IV, D. ia, q. 1, a, 1.

ut substantia alteri inhaereret, oporteret ipsam acquirere transcendentalem ordinem ad aliud tamquam ad inhaesionis subiectum ac per hoc, amittere suam essentiam et verti in accidens. E contra, ut accidens miraculose exsistat in se, non est necessarium ut in sua essentia quolibet modo moveatur, sed sufficit ut causa prima sua virtute suppleat influxum substantiae per quam accidens « conservabatur in esse sicut per propriam causam » fl).

Opponitur tertio : *Ex hac doctrina sequeretur posse miraculose exsistere gratiam sanctificantem, habitus infusos, potentias et vires spirituales, seorsum ab animae substantia ; item, sanitatem aut aegritudinem absolutam a subiecto, relationem sine re relata, motum sine mobili quod moveatur, et sic in infinitum. Atqui haec omnia perquam absurda sunt.*

Respondeo concedendo minorem et negando antecedens simpliciter et absolute. Quippe accidentia non sunt unius rationis, cum de illis dentur novem categoriae, et unaquaeque categoria speciale genus constituat ; unde nulla est univocitas quantitatis ad qualitatem, qualitatis ad relationem, atque ita porro. Equidem conveniunt universa in communi ratione alicuius cui debetur esse in alio tamquam in subiecto; sed non est consequens quod ordo ad subiectum sit in omnibus eiusdem conditionis quoad separabilitatem vel inseparabilitatem de potentia Dei absoluta. Plane ergo decipiuntur adversarii cum dicunt : si accidentia eucharistica sunt sine subiecto, ergo omne accidens quocumque modo et qualibet ratione poterit seorsum per divinam virtutem conservari. Iterum decipiuntur cum evidentem repugnantiam in una categoria inventam putant se posse transferre indiscriminatim ad omnia et singula entis accidentalis genera. Essent itaque afferendae rationes apodicticae demonstrantes, *quantitatem dimensivam non posse etiam supernaturaliter sine subiecto permanere, simulque cum quantitate dimensiva, et ratione quantitatis dimensivae, caetera accidentia corporea ;* hoc enim dicimus innixi definitionibus Conciliorum et rationibus theologicis, praeterea vero nihil.

(') S. Thom., ubi supra, art. i, in corp.

Obiicitur quarto: *Répugnai ut materia prima exsistat sire forni". T similiter forma (non subsistens) sine materia: ergo a fortiori, ut accidens sit sine subiecto.*

Respondeo concedendo antecedens, et negando consequentiam. I tenim materia prima non est nisi principium essentiae, et form.i similiter ; adeoque nullum horum, si separatim accipiantur. est per se essentia cui respondeat exsistentia : nullum etiam est directe in praedicamento, sed reductive tantum, scilicet ut pars substantiae. Nunc autem unumquodque accidens est secundum se specialis quaedam essendi ratio, cui respondet distinctus essendi actus ; quare non tenet paritas, et multo minus ly *a fortiori.*

Obiicitur quinto : *Res quanta non est nisi compositum e r substantia et quantitate, sicut homo non est nisi compositum ex anima et corpore ; ergo quantitas separata-non potest esse quanta, sicut anima sine corpore non potest esse homo. Sed id quod in sacramento manet, est quantum : non igitur est quantitas a subiecto absoluta.*

Respondeo: *Dist. antec.* Res quanta non est nisi compositum ex substantia et quantitate, spectato naturali modo essendi quantitatis, *conc. antec.* Spectato modo essendi miraculoso et praeternaturali quem habet in sacramento, *neg. antec.* Ad comparationem additam nego paritatem inter quantitatem et animam, quod ad praesentem considerationem attinet. Disparitas enim radicalis est quia, ut mox dictum est. omnis forma accidentalis est ex seipsa specialis quaedam essendi ratio, per sui communicationem dans esse accidentale secundum totum id quod in eo proprium atque essentiale est. Hinc fit ut si miraculose forma accidentalis separata conservetur, oporteat in ea sic seorsum exsistente, inveniri quidquid est de ratione specifica talis esse, puta esse dimensionati ; quare, ex principio quanti quantitas fit quanta, per hoc ipsum quod supernaturaliter absolvitur a subiecto. At vero forma substantialis in quantum huiusmodi non est per se ipsam aliqua essentia, sicut nec materia, in qua recipitur, sed sunt duo comprincipia quae per mutuam sui communicationem sese ita complent, ut nec unum nec alterum seor

sum constituat speciem. Et ideo, si forma exsistit extra compositum, (quod esse non potest nisi emineat supra gradum formae ad materiam ordinatae), impossibile est ut in ea inveniatur ratio specifica illius substantiae cuius est pars essentialis. Hinc anima separata non est homo, et tamen quantitas separata est quanta.

THESIS XLVII.

(Art. 3-4).

Accidentia, consequenter ad miraculosam ipsorum conservationem, omnem actionem agere possunt quam agere poterant, substantia panis et vini exsistente; et similiter per alterationem ab agente naturali inductam corrumpi possunt et corrumpuntur.

Ratio prioris assertionis est primo, quia sensu et experientia constat, nihil fuisse mutatum in accidentibus quantum ad agere et pati. Secundo, quia agere sequitur esse, et eo ipso quod accidentibus datur esse absque substantia, datur etiam agere, non secus ac si substantiali subiecto adhuc inhaererent. Tertio, quia hoc aliunde etiam erat necessarium, scilicet ad occultationem mysterii, quod nulla sensibili experientia debuit deprehendi, sed solis oculis fidei esse manifestum.

Difficultas solum esse posset quoad actiones specierum sese extendentes ad aliquid substantiale, puta ad aliquam substantialem conversionem per operationem chimicam. Et difficultas est quia effectus nequit superare causam, cum igitur species sint sine substantia, videretur impossibile ut ad substantiales immutationes possit sese porrigere earum activitas. Verum ad hoc facile respondetur quod accidentia separata semper agunt in virtute substantiae panis et vini, eo ipso quod miraculose conservantur sicut ab ea effluxerunt; hinc enim fit ut semper retineant

energiam illam quasi instrumentalem (') quae a natura ipsorum est indistincta. Quapropter non oportet ut effectus proportionem tur ao identibus separatis praecise in quantum sunt accidentia, sed in quantum sunt et manent vires substantiae a qua emanarunt. Et simile quid consideratur in seminibus; neque enim semen quercus habet perfectionem quercus, et nihilominus pro ducit quercum quia agit in virtute quercus a quo effluxit, sicut etiam frumenti granum a planta decisum manet cum virtute impressa a planta, in ordine ad propagationem speciei. Rem bene explicat Caietanus in praesenti : « Cum dicimus, inquit, qualita- « tes agere in virtute formae substantialis, non somniamus rem « aliam absolutam aut respectivam, sed ipsam qualitatem esse «virtutem illius substantiae, sicut dicimus semen esse virtutem « generantis. Et propterea, sicut conservato semine, semen bo- « vis generat bovem, et semen hominis generat hominem, pro- « cui dubio virtute hominis a quo fluxit, et tamen non oportet « semen illud subordinari defuncto homini, ita quod referatur ad « illud aut moveatur ab illo, (sat enim est conservari sicut fluxit «ab illo): ita qualitas vini conversi in sanguinem Christi, quia « erat virtus vini, productiva est non secus ac si substantia vini « subesset. Nec oportet subordinari vino converso, nec moveri « ab illo, sed dicitur agere in virtute illius, quia est virtus quae « fluxit ab ipso » (2). — Et de potentia quidem activa hactenus. Sequitur nunc consideratio de potentia passiva ad corruptionem.

§ 2.

Observa duplicem in praesenti considerari specierum cor ruptionem. Una est corruptio secundum quid, quae nondum fuisset coniuncta cum corruptione propriae substantiae, et ista non

(*) Virtus instrumentalis apud S. Thomam, tripliciter accipitur. Primo, pro forma qua instrumentum constituitur in esse instrumenti. Secundo, pro actuali motu quo instrumentum a principali agente move tur. Tertio, pro omni energia quae in aliquo consideratur et est. ratione emanationis sive resultantiae ex altero.

(*) Caietan., in 3·“ Part., q. 77, a. j.

aufert praesentiam Christi, quia semper manent dimensiones panis et vini conversi in substantiam corporis et sanguinis eius. Altera est corruptio simpliciter, quae permanendam propriae substantiae non compaterentur, et per quam solam cessat sacramentalis praesentia ; sic enim et non aliter cessant dimensiones separatae quibus fuerat per transubstantiationem acquisita habitudo continentiae erga Christum, succeditque ea substantia quae alias fuisset ex pane et vino generata, ut dicetur in propositione sequenti.

Nunc autem quod tam uno quam altero modo corrumpi possint et de facto corrumpantur species sacramentales, constat in primis per experientiam ; deinde ostenditur argumento S. Thomae, qui duplicem distinguit radicem ex qua provenit corruptio. — Prima est quia, etsi accidentia eucharistica sint a propria substantia sequestrata, semper tamen retinent esse ei conforme, cum a sua antiqua natura non recedant, ut dictum est ; et quia retinent esse conforme propriae substantiae, omne agens quod substantiae eorum erat contrarium, eis etiam contrarium est. Hinc quaelibet actio per quam substantiae corruptio contigisset, et ex consequenti corruptio inhaerentium accidentium, sufficit ad corrumpendum accidentia nunc sine subiecto consistentia. — Altera radix est quia species istae, non solum propter conformitatem ad subiectum, sed etiam ex sese sunt mutabiles ab esse ad non esse ; manent enim qualitates per se alterabiles, et quantitas per se divisibilis ; si autem alteratio vel divisio usque huc perducatur, ut non compatiatur amplius panis naturam, tunc panis accidentia desinant necesse est. Patet igitur corruptionem specierum sacramentalium non esse miraculosam, sed naturalem, tametsi praesupponat miraculum factum in consecratione, quando retinuerunt esse quod prius habebant in subiecto. Et ideo miraculose permanserunt, sed naturaliter corrumpuntur, eo pacto quo caecus miraculose illuminatur, sed post miraculosam illuminationem naturaliter videt, ut bene ait S. Thomas hic, in responsione ad 3um. — Nec obstat quod res sine materia per se subsistentes dicantur esse incorruptibiles, nam hoc verum est de iis quae natura sua a materia abstrahuntur ;

nu ne ‹ ı m species sacramentales, licet sint formae non in materia, habent tamen esse cui semper servatur proportio et connatural ita-; ad subtectum materiale. Non igitur maiorem ha'r»ere possunt immobilitatem in essendo ac prius, sed manent vel desinunt pro quanto retinent vel amittunt connaturalitatem ad propriam substantiam, quae de eorum essentia est. Et sic salvatur corruptionis ratio, prout corrumpi dicitur quidquid naturaliter desinit esse propter impotentiam perseverandi in esse.

THESIS XLVIII.

(Ar t . 5-6).

Quotiescumque species sic corrumpuntur ut desinant esse accidentia panis et vini, idem ex eis secundum rei veritatem generatur, ac si nulla intercessisset transubstantiatio, idque non novo miraculo, sed ex vi miraculi quod praecessit in consecratione.

Haec propositio superadditur praecedenti, quia specialissimam continet difficultatem. Licet enim intelligatur, accidentia a substantia separata posse vel agere transeunter in corpora ambientia, vel pati ab agentibus naturalibus perinde ac si adhuc inhaererent proprio subiecto, videretur tamen impossibile quod ex eis aliquid substantiale generetur, puta sanguis in nutritione, ve! cineres in combustione. Et ratio est quia nihil substantiale ex. alio non substantiali potest generari: quandoquidem ad generationem unius ex altero oportet ut sit aliquod substantiale principium commune generato et ei ex quo generatur, scilicet materia, quae in sacramentalibus accidentibus deest.

Notandum autem quod praesuppositum totius praesentis quaestionis est : substantiam illam quae in stomacho vi digestionis post specierum corruptionem relinquitur, ac postea partim assimilatur et partim emittitur in secessum, ex ipso Christi corpore nequaquam generari; horrendum enim vel solo cogitatu

foret, et digna plane inventio quae ab r\l. (· *haeresis foedis, sima stercoranistarum* appellatur i1). Dicebant quippe Berengariani: «De istis sacramentis si multi panes et multa vina «sacrentur, potest quis longo tempore vivere, nihil aliud co· «medens aut bibens: unde igitur secessum habebit tempore «illo, si non ista secessum petant?» (2). Porro *ista,* per ipsos, deberent esse ipsum Domini corpus ac sanguis, catholico dogmate semel supposito. Sed si quis parumper attendat ad ea quae hactenus de modo praesentiae sacramentalis fuerunt declarata, vel primo intuitu videbit quam sit *absolute* impossibile ut virtuti digestivae ipse Christus sit obnoxius. Mitto nunc gloriosi corporis beatam incorruptibilitatem atque inalterabilitatem; non appello ad speciale miraculum, ut tanta indignitas a Salvatore nostro removeatur: imo vero dico, nequidem de potentia Dei absoluta posse fieri ut actiones chimicae quae circa sacramentum fiunt, attingant ipsum Christi corpus, ibi per modum substantiae praesens (3). Et rationes iam fuerunt superius expositae, praesertim ubi ostensum est, nullum oculum corporeum quantumvis glorificatum, posse intueri Christum sub speciebus. Nam si defectus contactus quantitativi omnino impedit quominus corpus dominicum prout in sacramento, sui speciem imprimat in organis circumstantium, quanto magis extrahit ipsum a sphaera(*)

(*) « Diximus superius non minus ore corporis quam ore cordis «corpus Domini esse sumendum; sed ex hac ipsa visibili et corporali « comestione nascitur haeresis foedissima stercoranistarum. Dicunt enim «tantum sacramentum sicut corporali comestioni, sic et secessui esse «obnoxium... His igitur obscenis haereticis periculosum esset super hoc «aliquid respondere, magisque dignum aures nostras obturare, nisi pe« riculosius esset eos in scandalum Ecclesiae talia proponere, et tantam «eorum falsitatem nos nullis fidei catholicae rationibus reverberare». Algerus, de Sacramento l. 2, c. 1, in initio (P. L. 180, 807),

(·) Apud Guitmundum, de corp, et sang. Dom., l. 2, circa medium (P. L. 149, 1451).

(') Sicut nec attingunt ipsum materiales profanationes sacramenti, puta cum sacramentum pedibus conculcatur, aut in sterquilinium proficitur, aut bestiis devorandum datur, aut quolibet alio modo inquinatur.

ad «l 'ii ambientium corrumpentium se porrigit energia. Quapropt -i. utrum id quod de sacramenti corruptione residuum est, ex ipsi Christi substantia sit generatum, ne in cogitationem quidem potest obvenire, sed quaestio integra ad sola desinentia accid ;ia panis et vini evidentissime restringitur.

His igitur in tuto positis, thesis nostra ad doctrinam hdei per se non pertinet, nec cum mysterio praesentiae sacramentali, intrinsece connectitur, quia, quod ad factum attinet, ex naturali tantum experientia procedit (*). Quo fit ut in explicatione facti magna relinquatur libertas: nihil enim cogit ut dicamus generari aliquid ex speciebus, intelligendo per ly *ex* habitudinem causae materialis. Et ideo S. Thomas, tum in praesenti (2), tum in IV, D. 12, q. 1, a. 2, q. 4, sol. 4, ad 1, exponit unam opinionem, quam dici *posse sustineri,* in qua « illud quod « succedit, non dicitur generari ex speciebus secundum quod « ly *ex* dicit causam materialem, sed solum secundum quod « dicit ordinem, ut ex mane fit meridies, id est *post* ». Unum nihilominus debet poni in tuto, ne arbitraria et irrationabilis explicatio videatur: nihil scilicet nunc contingere miraculose *quasi ex miraculo novo,* sed omnia consequi connaturaliter ad primum miraculum quod praecessit in consecratione sacramenti.

Quod igitur ad specierum corruptionem idem de novo generetur ac si nulla intercessisset transubstantiatio, constat, universali et constanti experientia, et quidem adeo evidenter, ut inutile sit ad demonstrationes descendere. Nec potest omnino

(*) Non igitur in doctrina fidei lapsus est Guitmundus. et post eum Algerus, quando indicare videntur, species sacramentales Eucharistiae revera non putrefieri, nec a muribus posse corrodi, aut ab aliis animantibus devorari, imo nihil ex eis generatum in secessum emitti, vel in substantiam manducantium transire, sed secundum solam apparentiam haec contingere. Irrationabilis tamen haec positio est, et ab omnibus nunc communiter reiecta.

(') Art. 5, in corp.

dici quod effectus nutritionis et similes sim in externa tantum apparentia: turn quia oporteret miracula multiplicari in infinitum, tum quia in illis deciperetur homo, ‹t causa deceptionis refunderetur in Deum, sicut dictum est supra quoad permanentiam accidentium; non enim revelatio huius mysterii docet quod, cessantibus speciebus panis et vini sub quibus est corpus et sanguis Christi, res eis succedens sit aliquid a consueto naturae ordine subtractum. Pro certo igitur habendum est, residuum de corruptione sacramenti esse aliquid vere substantiale, puta verum sanguinem, vel verum cinerem si forte per combustionem corruptio fiat, atque ita porro.

Nunc autem explicatio facti est difficilis, utique ratiocinando in suppositione quod omnia connaturaliter accidant, prout videtur esse omnino tenendum: «Quomodo, ait Angelicus in « praesenti, ex eis (speciebus) aliquid generari possit, difficile « est videre ». Ut igitur caute et ad sobrietatem in hoc sapiamus, satis erit unum determinate affirmare, alterum vero sub disiunctione proponere.

Determinata et rata affirmatio esse potest, quod agens naturale easdem inducit alterationes et dispositiones ad novam formam substantialem, ac si species suae propriae substantiae adhuc inhaererent: quae tamen dispositiones non subiectantur, ut alias, in materia, sed in quantitate dimensiva quae vice-substantiae munere fungitur, ut supra ostensum est. Cum autem venit instans in quo consequenter ad dispositiones inductas, debet iuxta naturae ordinem generari nova substantia, Deus (cuius est supplere impotentiam agentis naturalis in ordine ad effectus naturales, cum sit naturae auctor et conservator), omnipotenti sua virtute efficit ut restituatur id quod ad effectum naturae deest, scilicet materia. In quo quidem iuvari poteris exemplo generationis humanae; nam postquam inductae sunt dispositiones exigentes infusionem animae rationalis, ad Deum iam pertinet animam creare, eo quod virtus generantis usque ad effectionem animae sese extendere nequit; et non solum non est miraculosa haec animae creatio atque infusio in corpus, sed imo miraculum potius foret, si tunc a Deo anima non crearetur. Ita ergo in praesenti

exigit naturae ordo ut impotentia naturalis agentis (consequens miraculum transubstantiationis) suppleatur divinitus per restitutionem materiae necessariae. Unde in hoc non intercedit miraculum novum, quia ex quo in consecratione datum est quantitati dimensivae ut esset primum subiectum omnium dispositionum ad generationem substantialem, puta sanguinis nutrimentalis vel alterius rei, tam regulariter requiritur eiusmodi generatio ac si panis materia semper permansisset. Unum igitur manet indecisum : qua ratione a Deo restituatur illud quod ad naturae effectum deest, an per modum creationis, an potius per modum conversionis ipsius quantitatis quae fuit subiectum praecedentium dispositionum, in materiam. Uterque ille modus ut probabilis proponitur a S. Thoma, tum hic, tum in IV Sententiarum, tametsi ipse Angelicus omnino propendat in secundum, quem dicit magis connaturaliter sequi ad miraculum quod praecessit in confectione sacramenti.

SCHOLION I.

(Art. 7).

Occasione eorum quae dicuntur in hoc articulo circa specierum fractionem, animadvertes quaenam praedicata ad species pertinentia communicari possint vel non, corpori Christi sub iisdem latenti. Haec praedicata dividuntur in tres categorias.

Quaedam sunt speciebus per se convenientia, quae Christo *proprie* tribui possunt et debent : ea scilicet omnia quae praesentiam important, quandoquidem ratione specierum nobis adest Christus, et ubicumque illae ponuntur, ipse sistitur praesenᵴ. vere, realiter, et substantialiter.

Sunt insuper praedicata quae etsi non proprie, at certe *per metonymiam* conformem usuali modo loquendi, corpori Christi recte communicantur. Cum enim illud quod competit signo, sub ea ratione sub qua signum est, soleat transferri in signatum, maxime si in signo realiter contineatur : potest dici, remoto aequivocationis periculo, corpus Christi frangi cum franguntur species, item manducari, dentibus atteri, tractari, videri, quando tractatur vel dentibus atteritur sacramentum. Et ratio est quia

esse tractabile, visibile, manducabile, etc., speciebus competit secundum quod assumptae sunt in sacramentale signum illius quod in eis continetur.

Sunt denique praedicata quae *nullatenus* possunt communicari Christo : illa scilicet quae nequaquam conveniunt speciebus sub ea ratione sub qua significant id quod continent. Nusquam enim corpus Christi dicetur esse rotundum quia hostia est rotunda, album quia alba : multoque minus dicetur corrumpi vel putrefieri, si corrumpantur vel putrefiant species, etc.

SCHOLION II.

(Art. 8).

Ultimus huius quaestionis articulus est de mixtione alterius liquoris cum speciebus vini consecrati. Qua in re datur principium generale et pure speculativum quod nullam habet specialem difficultatem quia evidenter sequitur ex praemissis. Quotiescumque scilicet eiusmodi admixtio fit, quae simpliciter et absolute variaret propriam substantiam remanentium accidentium, vel quoad speciem vel quoad numerum, ita ut neque remaneret eadem integra substantia neque pars illiusmet : toties et ex toto cessat Christi praesentia, quia omnino iam desinunt accidentia separata, et in aliud convertuntur, omnia intelligendo secundum declarationes factas in propositione praecedenti. Sin autem mixtio ex parte tantum accidentia corrumperet, a sola parte corrupta praesentiam sacramentalem auferret. Haec, inquam, omnia sequuntur ex praemissis. Nunc autem, quando ex hypothesi descenditur ad thesim, id est, quando quaeritur quaenam de facto admixtio sit, ex qua iuxta naturae ordinem sequeretur variatio substantiae in specie vel numero ut supra, tunc in multis casibus maxima erit obscuritas. Sane vero, certum videtur quod extraneus liquor speciebus admixtus in quantitate relative magna, totaliter destrueret sacramentum. Sed si admisceretur in quantitate relative parva, non ex toto saltem species consecratas corrumperet ; utrum vero ex parte, hoc est quod sub iudice relinquimus. De gutta autem immissa in calice consecrato, dicendum

esset cum Angelico quod fieret aliquid unum cum speciebus sacrament.ilibus secundum continuitatem quantitatis, non tamen secundum essendi modum, quia una continui pars esset in sul>-iecto, nec sub ea praesens esset Christus ; reliquum vero sine subiecto permaneret, et Christi sanguinem semper contineret. Caeterum, in his omnibus oportet sapere ad sobrietatem, nec curiosius investigandum quid pro singulis hypothesibus contingeret, quia cum deficiant ibi documenta revelationis, et naturalis ratio in his determinationibus plerumque caliget, plerumque etiam solutio undequaque dubia remanebit.

TRIUM PRAECEDENTIUM QUAESTIONUM RECAPITULATIO

Series totius doctrinae in suo nexu logico haec est :

Substantia panis in praeexsistentem substantiam individuam corporis Christi ita convertitur ut qualibet annihilatione seposita, totalis cessatio unius extremi terminetur in alterum extremum succedens, imo sit ipsa eius successio. Exigit tamen veritas verborum formae ut nihil plus fiat quam simplex transubstantiatio, adeoque requirit ut aliquid panis remaneat, scilicet accidentia. Inter accidentia autem potissima est dimensiva quantitas, cui ipso conversionis facto acquiritur habitudo continentiae respectu substantiae corporis Christi, prout luculenter demonstrat consecrationis forma, et ratio naturalis aliqualiter etiam insinuat. Quippe, si remanet continens et non annihilatur contentum, sed vertitur in aliud, consequens esse videtur quod ipsa continentia non cesset, tametsi oporteat ipsam non esse eiusdem omnino rationis ac prius, cum dimensiones panis non possint afficere corpus Christi sicut propriam substantiam prius afficiebant.

Cum itaque vi transubstantiationis sola substantia corporis Christi consequatur immediatam habitudinem continentiae ad species sacramentales, reliqua omnia ad Christi personam pertinentia in tantum adesse creduntur, in quantum ei quod per se est in sacramento, sunt in esse coniuncta ; quo fit ut non comparentur ad species nisi mediante substantia, quae sola eis

est ratio adessendi. Quare totus continentiae modus accipiatur necesse est secundum quod fert natura substantiae in comparatione ad dimensiones continentes, sed non inhaerentes. Talis autem modus omnino diversus est ab eo quem consuetus naturae cursus in corporibus servat, et transcendit totum ordinem coapplicationis quantitativae. Hinc dimensiones corporis Christi non commensurabiliter comparantur ad dimensiones hostiae, nec quantitative contingunt locum sacramenti. Hinc Christus ipse non est ibi localiter, sed per talem modum quo indifferenter se habet ad parvam et magnam hostiam, ad totam eius dimensionem et ad quamlibet particulam in ea assignabilem. Hinc demum a seipso nullatenus separatur aut distat ; a seipso, inquam, sive ut in caelis, sive ut in omnibus mundi altaribus exsistente.

Insuper diligenter considerandum est quod vi consecrationis nulla inducitur in ipso Christo mutatio, sed sacramentalis praesentia initium et finem sumit ex hoc solo quod incipit vel cessat sacramentale continens, id est dimensio separata panis transubstantiati. Quare de illa praesentia ratiocinandum est non secus ac de praesentia Dei in creatura ; quatenus, etsi sit maxime realis, non est tamen ex parte ipsius Dei plus quam denominatio pure extrinseca. Equidem verum est quod praesentia quarumlibet rerum in loco nunquam potest immediate consequi intrinsecas earum formas, sed semper resultat ex coniunctione earum cum externis dimensionibus. Nihilominus causa huius coniunctionis in creaturis est regulariter repetenda ex aliqua mutatione eis intrinseca, puta ex motu vel nova operatione. Insuper modus coniunctionis talis esse potest, ut ipsum consequatur quoddam esse accidentale in re ubicata, sicut de corporibus exsistentibus sub mensura loci probabilis tenet sententia. Sed hic, et causa coniunctionis non est in corpore Christi, et modus coniunctionis nihil ei superaddere potest. Unde sequitur primo, quod connaturaliter ad institutum transubstantiationis miraculum, Christus in caelo semper localiter exsistens acquirit novas sacramentales praesentias, easdemque amittit, immotus prorsus in seipso manens. Sequitur praeterea, quod consecrationes et consumptiones sacramenti quae indesinenter et promiscue fiunt per to-

tum mundum, non ponunt in Christo continuum fluxum et refluxum ubicationum, productionum, destructionum, et motuum ad se invicem oppositorum, sicut in omnibus sententiis quae a via S. Thomae deflectunt contingere necesse est.

Tandem, quia corpora nequeunt in se invicem agere nisi mediant contactu quantitative, fieri omnino non potest ut corpus Christi comparetur ad medium ambiens sicut agens ad passum, vel vice versa; et ideo absoluta necessitate necessarium est ut sit respectu nostri intangibile, invisibile, et ab omnibus legibus gravitatis terrestris prorsus absolutum. Ex alia vero parte, cum de pane maneat id totum quod est proprium sensus obiectum, oportet ut nihil in sensibili perceptione immutetur post consecrationem. Quidquid igitur hic fit praeter et supra omnes naturae corporeae leges, in ea consistit mutatione quae ratione sui nullo modo cadere potest sub sensu corporeo. Et quia cum species corrumpuntur, illud quod generatur rursus ingreditur consuetum naturae cursum, hinc fit ut tota immutatio in consecratione huius sacramenti interveniens transcendat ex natura rei omnem experientiam, et in impervio mysterio sit atque maneat necessario recondita.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

Quaest. LXXVIII.

In praecedenti capite dictum est de *materia* sacramenti, et de iis omnibus quae circa illam accidunt, quando consecratur. Sequitur nunc disputatio de *forma,* tum quoad determinationem verborum ad eius essentiam pertinentium, tum quoad modum efficientiae, tum denique quoad differentiam ab aliorum sacramentorum formis; nam de sensu et legitima eius expositione nihil addendum superest iis quae in superioribus, ubi de transubstantiatione, satis fuse fuerunt exposita.

THESIS XLIX.

(Art. 1-3).

Verba expressiva transubstantiationis quibus Salvator in ultima coena usus est, eademque sola, sunt sacramenti Eucharistiae forma; ad cuius essentiam probabilius non pertinent determinationes praedicati, «novi et aeterni testamenti, etc.», quae in consecratione calicis apud nos inveniuntur.

Convenit communiter inter catholicos, adaequatam Eucharistiae formam esse illa verba quae in persona Christi sacerdos profert, et quae in Evangelio leguntur in narratione institutionis sacramenti. Graeci vero schismatici sentiunt, ad consecrationem requiri tum verba Salvatoris, tum etiam specialem invocationem qua Spiritus Sanctus exoratur ut in oblata illabens transmutet ea.

Huius opinionis principale fundamentum est. quod praefata in vocatio quam nos aequipollenter habemus in prima parte canonis, cum sacerdos dicit: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesi, mus. benedictam, adscriplam, ratam... facere digneris, ut nobis t apiis et sanguis fiat dilectissimi Filii tui D. N. I. C.*. in antiquissimis liturgiis orientalibus posita invenitur post evangelicorum verborum prolationem, his vel similibus terminis concepta. *Rogamus et precamur te, et supùlüamus, mille Spiritum Sanctum super nos et haec apposita munera, ut nobis sint salutaria, et facito panem hunc esse venerabile corpus tuum(x* Adversarii ergo, licet in verbis Salvatoris vim consecrativam agnoscant, dicunt tamen necessarium esse addere quasdam preces a SS. Patribus traditas, ad hoc ut virtus verborum materiae applicetur, et consecratio suum in actu secundo sortiatur effectum ; nam, aiunt, postquam dictum est super oblata, *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei,* adhuc orat sacerdos ut panis et vinum fiant corpus et sanguis Christi.

Huic controversiae cum schismaticis succedit controversia domestica : utrum scilicet omnia quae in secunda consecratione recitantur sint de essentia formae, an vero sola illa, vel aequipollentia : *hic est calix sanguinis mei.* Certe S. Thomas, tum in praesenti, tum in IV, D. 8, sentire videtur omnia et singula esse essentialia, usque ad haec : *qui pro nobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* inclusive. Quidquid vero sit de opinione S. Doctoris, partem negativam amplectimur propter graves rationes infra exponendas.

Tandem occurrit Scotus cui asserere placet, introductionem historicam : *Qui pridie quam fateretur... Simili modo postquam coenatum est,* etc., non esse quidem de essentia formae ut constitutivum eius, esse tamen necessariam per modum conditionis sine qua non. Unicum eius fundamentum est quia sacerdos non consecrat nisi induendo personam Christi. quod autumat fieri non posse sine praeludio narrationis evangelicae. prout in canone nostro et in omnibus liturgiis continetur. In qua re qui-

(9 Cf. Assemani, Missale Alexandrinum, pag. 59.

dam applicant Scoto id quod de Isinaele dictum est : « Manus «eius contra omnes, et manus omnium contra eum». _ pjj itaque ad status quaestionis intelligentiam praemissis :

Quod verba Salvatoris : hoc est corpus meum, etc., sunt adaequate forma huius sacramenti. — Circa hanc doctrinam Graeci Latinis consenserunt in Concilio Florentino, excepto tantum Marco Ephesino, cuius artificiis unio utriusque ecclesiae tantis laboribus parta, mox fuit dissoluta. Est igitur veritas catholica, quae ideo non fuit expressa in definitione conciliari, quia Graeci protestati sunt se nunquam habuisse aliam fidem, et iniuriam sibi irrogatum iri, si tamquam suspecti de errore in hac parte a Patribus haberentur (*). Fuit tamen diserte enuntiata in decreto pro Armenis ; « Forma huius sacra- « menti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum ; « sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacra- « mentum » (2).

Argumentum autem scripturale est, quia forma Eucharistiae adaequate constat verbis quibus materia consecratur, et materia nunc consecratur eodem modo quo fuit primo consecrata a Christo in ultima coena, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed et Christum consecrasse per verba

(*) « Nuntiato domino nostro (Papae), quod Graeci in confectione «sacramenti certis aliis orationibus uterentur, visum est Sanctitati Suae « ut sciretur eorum intentio, an tenerent alias orationes esse de sub- «stantia consecrationis ; et confessi sunt, auditis rationibus nostris, quod «semper tenuerunt quod *solis verbis dominicis conficeretur,* et quod «putarent anathema, qui aliud crederet. Fuit institutum ut hoc pone- « retur in definitione. Dixerunt quod hoc non erat necessarium ; imo «si poneretur, ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, ac si hactenus «tenuissent aliud». Declaratio Cardinalis Placentini in Concilio Florentino, apud Mansi 31, 1690. — Idem habetur in professione Bessarionis habita coram Patribus universis, ibid. 1693.

(·) Enchirid., n. 69S.

transubstantiationis expressiva quae in evangelio referuntur, omnino indubium esse debet. Et re quidem vera, ex ipso sacrorum scriptorum narrationis modo satis apparet, eos intendite sacramenti institutionem sic proponere, ut nihil substantiale omitterent a Christo factum aut dictum in archetypa illa celebratione mysteriorum corporis et sanguinis sui. Atqui praeter verba praefata nihil commemorant dictum aut factum a Domino, quod potuerit esse effectivum consecrationis. Acceptio enim panis et calicis materialiter et praesuppositive se habebat ad eam : elevatio oculorum et gratiarum actio fuit praevia ad confectionem mysterii sicut videre est in aliis miraculis Christi, puta in suscitatione Lazari et multiplicatione panum ; fractio item et distributio pertinebat ad usum sacramenti. Restat ergo solum benedictio de qua forte esset dubium, sed benedictio ista profecto aliquibus verbis facta est, quae alia esse non potuerunt nisi illa. *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* cum per ea sola sacramentalis effectus significetur.

Traditionis testimonia recitavit Joannes de Turrecramata in Concilio Florentino (l): « Tangam auctoritatem ad probandum « quod per sola verba Salvatoris conficitur corpus Christi. Prima « auctoritas est beatissimi Chrysostomi qui in sermone de pro- « ditione (ludae), post multa verba sic dicit. Non est homo « qui proposita munera facit corpus, sed qui pro nobis cruci- « fixus est Christus; adstat sacerdos verba proferens, sed vir- « tus et gratia est Christus: *Hoc est corpus meum,* inquit. Hoc « verbum proposita munera transmutat, et sicut vox illa quae «dixit: *crescite et multiplicamini, et replete terram,* semel qui- « dem dicta per omne tempus sit, opere nostram naturam cor- « roborans ad procreationem filiorum, ita et vox, *hoc est corpus « meum;* gratia vero et potentia Dei est quae omnia operatur... « Quarta est auctoritas beatissimi Ambrosii in utraque ecclesia «clarissimi, qui in libro de Sacramentis ita loquitur: Panis in « altari usitatus est ante verba sacramentorum. ubi accedit con- « secratio, ex pane fit caro Christi. Et infra quaerens cuius

(·) Apud -Mansi *31,* 1673.

«verbis et sermonibus fit consecratio, respondet quod Domini « Nostri Iesu Christi. Nam. inquit, per reliqua verba quae di· « cuntur, laus Deo offertur, oratione petitur pro populis, pro «regibus, pro caeteris: ubi autem sacramentum conficitur, non «suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Haec « Ambrosius... Ecce quod isti clarissimi et sanctissimi doctores « de isto sacramento tractantes, in solis verbis Salvatoris dicunt « confici sacramentum » ζ1).

Denique non deest pulcherrima ratio convenientiae. Cum enim hoc sacramentum sit omnium excellentissimum, oportuit ut forma proferretur, non ut in Baptismo, Confirmatione, Poenitentia, etc., ex persona ministri, sed quasi ex persona ipsius Christi loquentis. Equidem verissimum est quod in omnibus sacramentis minister agit in nomine Christi; loquitur tamen in propria persona cum dicit: *ego te baptizo, ego te absolvo,* sicut magistratus agit in nomine et ex auctoritate principis, tametsi loquatur in persona sua quando sententiam dicit pro tribunali. At in perfectione sacramenti Eucharistiae minister non solum agit ex Christi auctoritate, verum etiam per omnia induit personam eius, eo pacto quo angelus, Exod. II1-6, ex persona Det Moysi dicebat: *Ego sum Deus patris tui,* etc. Cum igitur in aliis sacramentis appareat minister et lateat sacerdos principalis, hic ex inverso, disparet minister, ut agat et loquatur supremus sacerdos qui solus oculis fidei praesens sistitur.

Ad difficultatem vero ex Orientalium liturgiis ortam, ut supra, sunt duae responsiones. Prima est, quod επ'.ζληοι seu invocatio ad Spiritum Sanctum est accipienda ut *mera quaedam declaratio* eius quod in instanti praecedenti factum est virtute verborum Christi. Sicut enim nos respicientes ad mox futuram consecrationem, quando adhuc non est nisi nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum, dicimus in offertorio: *Suscipe, Sancte Pater omnipotens, hanc immaculatam hostiam,* etc., et iterum: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris.... pro nostra*

(») Vide alia multa testimonia, graecorum praesertim Patrum apud Card. Franzelin, de Euchar., Thes. VII.

et lotius mundi salute, ita Graeci retrospicientes in id quod iam est p› i.i tum, adhuc declarationis gratia orant Spiritum Sanctum ut don.t proposita transmutet in Christi corpus et sanguinem. Ea enim mens liturgiae est, ut per totam actionem quae mora temper extenditur, explicet mysterium in indivisibili instanti completum, idque indifferenter per antecedentia vel consequentia Et affertur exemplum ex ordinatione presbyteri, in qua, postquam noviter ordinatus concelebravit pontifici, et iam accepit potestatem remittendi peccata in sacerdotali charactere essentialiter inclusam, adhuc tamen in fine missae episcopus ei imponit manus dicens : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisera peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt* i| .

Verum, etsi principium in quo fundatur haec responsio sit verissimum, non tamen videtur in praesenti rite applicari. Et ratio est quia invocatio ad Spiritum Sanctum, quocumque loco posita inveniatur, sive ante consecrationem, sive post, nequaquam intelligi debet in ordine ad impetrandum transubstantiationis effectum secundum se. Non enim orari potest pro iis quae praeordinavit Deus efficienda independenter ab orationibus nostris, sicut non oramus ut sol oriatur cras, vel ut anima cui

i') Haec est solutio Bossuetii, *Explication de quelques difficultés sur les prières de la messe,* n. 44-46: « L'esprit des liturgies, inquit, et en «général de toutes les consécrations, n'est pas de nous attacher à de « certains moments précis, mais de nous faire considérer le total de «l'action pour en entendre aussi Γ effet entier.. Les choses qu'on té- « lèbre sont si grandes, ont tant d'effets différents et tant de divers « rapports, que | Eglise ne pouvant tout dire, ni expliquer toute l'éten- « due du divin mystère en un seul endroit, divise son opération quoique « très simple en elle-même, comme en diverses parties, avec des pa- « roles convenables à chacune, afin que le tout compose un même lan- • gage mystique et une même action morale. C'est donc pour rendre « la chose plus sensible, que Γ Eglise parle en chaque endroit comme « le faisant actuellement, et sans même trop considérer si elle est faite, «ou si elle est peut-être encore â faire; très contente que le tout se «trouve dans le total de l'action, et qu'on y ait à la fin l'explication « de tout le mystère la plus pleine, la plus vive, et la plus sensible ▮ qu'on puisse imaginer... Faites l'application de cette doctrine à *la* «prière des Grecs, il n'y aura plus de difficultés».

nihil luendum superest, statim in beatitudinem admittatur. Atqui effectus transubstantiationis est ex opere operato, adeoque independens ab omni opere operantis, vel Ecclesiae vel cuiuscumque ex nobis. Unde neque nos in canone oramus, etiam ante consecrationem, ut *oblatio fiat corpus et sanguis* Christi Domini nostri, sed ut *nobis fiat,* scilicet cum effectu salutari qui sine certis dispositionibus per Dei gratiam acceptis obtineri nequit; nam dispositiones non sunt ex opere operato, imo pendent ex aliis causis, inter quas recensetur vel maxime fusa ad Deum oratio. — Sed ut haec ipsa oratio nostri canonis, (cui ut mox apparebit, ad amussim respondet invocatio Graecorum), rite intelligatur, tota eius series est consideranda. Praesertim vero praesupponendum est, in missa offerri Christum *ut caput corporis Ecclesiae,* quatenus integra fidelium societas pertinet ad rem oblatam, et repraesentata exstat per species sacramentales in unum coalescentes ex mullis sive acinis sive granis. Ratio infra patebit ex dicendis de sacrificio. Hoc igitur interim supposito, attende orationis contextum : « Quam oblationem tu, « Deus, *in omnibus,* quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, « rationabilem acceptabilemque facere digneris » (1). Sed quid est hoc, *in omnibus ?* Id est, quoad omnia quae in oblatione comprehenduntur, atque idcirco, quoad mysticum corpus quod simul cum capite praesentatur Deo. Rogat ergo sacerdos ut divina operante gratia, fideles in animo puro et spiritu adorationis perfectae sese sistant divinae Maiestati, ac per hoc, impleatur Eucharistiae mysterium, non in eorum iudicium et condemnationem, sed in salutem atque utilitatem : « Ut *nobis* corpus «et sanguis fiat dilectissimi Filii tui D. N. I. C. ». — Et fere idem est sensus alterius orationis quain paulo post consecrationem recitat sacerdos dicens : « Supplices te rogamus, omnipo- « tens Deus, iube haec perferri per manus sancti angeli tui in « sublime altare tuum, in conspectu divinae Maiestatis tuae, etc.».

(1) Benedictam, id est, coelestis gratiae benedictione repletam. Adscriptam, utique in libro illo quo conscribuntur ii qui tibi placent. Ratam, hoc est, firmam et irrevocabilem. Rationabilem acceptabilemque, id est, spiritualem et tibi undequaque acceptam.

Quid, piaeso ? Indigetne Christus praesentari in sublimi altari per angeli manus ? Minime, sed nos ipsi signamur cum dicitur. *iube haec perferri,* ut scilicet acceptables effecti in conspectu Dei, quicumque ex terrestris altaris participatione sacrosanctum Christi corpus et sanguinem sumpserimus. < omni benedictione caelesti et gratia repleamur ». — Nunc autem idem omnino sensus est invocationis Graecorum, iuxta explicationem authentice propositam et ab utraque parte acceptatam in Concilio Florentino : « Oratio illa non est ut conficiatur quod confectum est, « sed ut consequamur effectum sacramenti scilicet uniri cum « Christo, et incorporari, et dicamus cum Apostolo : *Vivo ego, « iam non ego, vivit vero in me Christus.* Dicit Basilius, (in « liturgia eius nomine vulgata) : *Rogamus et supplicamus, mitte « Spiritum Sanctum super nos et haec apposita munera, ut « nobis sint salutaria, et facito istum panem,* id est. fideles « Christianos figuratos hoc pane, incorporari corpori sancto « tuo, et uniri, et ut tuo spiritu vivificentur, quia nullus vivit « spiritu Christi, nisi sit corpus Christi... Haec est oratio : Fa- « cito ut corpus tuum mysticum, participatione corporis tui « veri, consequatur remissionem peccatorum, gratiam Spiritu « Sancti, et aeternam beatitudinem. Haec est sententia verbo- « rum Basilii et Chrysostomi, et hoc sensu nulla est differentia « inter vos et nos » (*).

§ 2.

Quod determinationes praedicati : Novi et aeterni testamenti, etc., ad essentiam secundae consecrationis non pertinent. — Nam verba illa, vel ex toto vel certe ex parte desiderantur in pluribus liturgiis orientalibus, de quarum tamen legitimitate dubitare non licet. Et non valet responsio quae in aliis quibusdam sacramentis afferri potest circa diversitatem formarum quibus utuntur Graeci et Latini. Quidquid enim nunc sit de potestate relicta Ecclesiae ad determinandum in indi

(*) Apud Mansi 31. 1685-86.

viduo materias et formas sacramentales, ‹ itum est hanc potestatem esse nullam quoad ea quae Christus per semetipsum determinavit ; et quia omnia elementa huius excellentis sacramenti fuerunt expresse ab ipso Domino designata, non potest esse variatio aliqua vel discrepantia inter varias Ecclesiae partes, quantum ad ea quae sunt de necessitate consecrationis.

Accedit quod sola illa verba, *hic esi calix sanguinis mei,* adaequate significant transubstantiationem, et nulla est assignabilis ratio cur magis requireretur determinatio ulterior in forma secundae consecrationis quam in forma prioris ; nam et in consecratione corporis apud Lucam et Paulum quaedam habetur determinatio praedicati : *Hoc esi corpus meum,* inquit, *quod pro vobis datur ;* deest autem in liturgia nostra.

Accedit demum quod apud nos verbum *effundetur* est de futuro : ergo non assertive profertur, sed narrative tantum ; ergo totum incisum non pertinet ad essentiam formae, quia oportet formam esse significativam eius quod hic et nunc de praesenti perficitur. Qua in re animadvertes, verba consecratoria *historice simul et assertive* proferri, caetera vero *historice tantum.* Dico quod verba in quibus consecrationis residet virtus, historice proferuntur sicut constat ex contextu canonis missae in omnibus liturgiis, et simul assertive, quia alias non essent practica, nec applicarentur ad materiam praesentem, ac per consequens, non perficerent sacramentum. Et licet historica relatio non sit de necessitate sacramenti ut mox dicetur, multum tamen confert ad declarationem mysterii in quo nihil aliud agitur quam quod primus omnium Christus fecit, et per sacerdotis ministerium praesentialiter reiterat. Hinc, uti pulchre annotavit Bellarminus, sacerdos in actione sacrificii usque ad illa verba : *Qui pridie quam pateretur,* agit personam suam et Ecclesiae, non Christi, quia eousque confitetur peccata sua, orat, et laudat. Ab illis autem verbis usque ad finem consecrationis, agit personam suam simul et Christi ; intendit enim recitare quid Christus egerit et dixerit, et simul omnia imitari in persona Christi, ac si Christus per ipsius ministerium iterum omnia faceret et diceret, sicut revera invisibiliter ita fit. Et hinc est quod cum dicit, *accepit panetn*

ipse simul accipit panem ; et cum ait, *elevatis oculis in caelum* et ipse elevat oculos in caelum ; et cum ait, *benedixil.* et ipse benedit it ; et cum ait, *hoc est corpus meum,* intendit quod sicut Christus super panem illum quem olim accepit, id dixit et dicendo f-▮ it ut esset, ita etiam super panem istum qui nunc accipitur, idem Christus per os sui ministri, idem dicat et dicendo efficiat. Cum igitur necesse sit ut forma non tantum narrative, sed et assertive sive practice de praesenti enuntietur, si qua inveniantur quae practicae locutionis naturam non ferant, eo ipso ostenduntur non esse ipsius formae constitutiva, sed solummodo pertinere ad relationem eius quod olim Dominus fecit, et suo nomine in finem usque mandavit iterandum. Talia autem sunt verba de futuro prout in nostro canone iacent : *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Convenientissime tamen Ecclesia Romana addidit essentialibus verbis consecrationis sanguinis omnia quae in missali leguntur, et quae tanquam a Christo dicta accepit, partim ex evangelio, et partim ex apostolica traditione. Haec enim laciunt ad declarandam virtutem sanguinis Christi, sive ut in passione effusi, sive ut in sacramento oblati, prout pulchre explicat S. Thomas in corpore articuli et in responsionibus ad obiecta.

§ 3-

Quod introductio historica: Qui pridie quam pateretur, etc., non requiritur ut conditio ad validitatem necessaria. — Ideo enim requireretur, quia verba *hoc esi corpus meum,* non possent dici in persona Christi, nisi praemissa narratione eius quod in coena Christus *gessit.* Atqui, ut in Christi persona proferantur, sufficit ut dicantur a valido ministro et cum debita intentione, scilicet in vi institutionis evangeiicae. *Hoc facite in meam commemorationem.* Nec potest exigi historica introductio quae tam cum intentione consecrandi quam cum eius carentia compossibilis est, sicut patet evidenter exemplo sacerdotis recitantis ad altare institutionem sacramenti in die Palmarum vel in festo corporis Christi. « Unde dicendum est quod si sacerdns

«sola verba praedicta (hoc est corpus meum), proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum, quia intentio faceret ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiae non servans » (1).

THESIS L.

(Art. 4).

In verbis formalibus huius sacramenti est quaedam virtus instrumentalis ad transubstantiationem efficiendam.

Ratio sumitur ex generali doctrina circa formas sacramentorum Novae Legis, quae omnes efficiunt id quod significant; et quia forma sacramenti Eucharistiae significat transubstantiationem :n facto esse, ut ostensum est supra (2), et confirmat S. Thomas art. 2 huius quaestionis, necesse est ut habeat vim instrumentalem effectivam consecrationis seu conversionis panis et vim in corpus et sanguinem Christi. — Sumitur etiam argumentum ex iis Patrum testimoniis quae Eucharistiae consecrationem specialiter respiciunt; inter quae notissimum est illud Ambrosiastri, l. 4 de Sacr., c. 4 quod aftertur in argumento *Sed contra:* « Si, inquit, tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur ». Et sic, quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, «quia sermo Christi in aliud creaturam mutat», ut ibidem subiungitur.

Nunc autem, quod attinet ad modum efficientiae, S. Thomas in corpore articuli semper pugnat contra eosdem adversarios, id est contra eos qui dicebant, « nullam virtutem creatam

(1) S. Thorn,, hic, art. 1, ad 4".°.
(2) Supra, Thes. 40.

« esse, ii·· in praedictis verbis ad transubstantiationem facien-
« dam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in
« ipsis '. ramentis, ad inducendos sacramentorum effectus ». sed ponebant sacramenta esse causas abusive dictas, scilicet meras conditiones sine quibus non. Et si quis rite perpendat ea quae habet Angelicus in responsione ad 2am, ostendens discrimen transubstantiationis a creatione, ad quam nulla creatura potest cooperari, quia «in creatione non fuit aliquod extremum in quod « instrurnentalis actio creaturae posset terminari», facile perspiciet ipsum minime recedere ab iis quae scripserat in IV sententiarum, D. i, q. i, a. 4, q. i, ad 6um : « Dicendum quod in « transubstantiatione duo sunt, scilicet recessus a termino, et ac-
« cessus ad terminum. Verba ergo sacramentalia pertingunt in-
« strumentaliter ad transubstantiationem quantum ad recessum « a termino a quo ; sed quantum ad accessum ad terminum ad « quem, non pertingunt instrumentaliter nisi dispositive, sicut in « aliis sacramentis accidit ». Sensus enim est : In transubstantiatione, secus ac in creatione, datur positivus terminus a quo. scilicet substantia panis, cui per verba consecrationis imponitur necessitas ut divina operante virtute, transeat in corpus Christi : et hoc modo verba praedicta *pertingunt instrumentaliter ad Iransubstantiationem quantum ad recessum a termino a quo,* quatenus aliquid ponunt circa terminum illum, qui iam debet recedere, et in aliud converti. Cum vero additur: *sed quantum ad accessum ad terminum ad quem, non pertingunt instrumentaliter nisi dispositive,* sensus est quod non efficiunt perfective ipsam mutationem, pro qua sicut pro creatione, infinita virtus requiritur. Et haec quidem contra eos qui vident oppositionem inter opinionem iunioris et sententiam a seniore traditam in tertia parte Summae theologicae.

Ast quoad rem ipsam, occurrit in praesenti difficultas, quia sacramentum exterius debet causalitate sua immediate pertingere ad id quod est *sacramentum et res; porro res et sacramentum* in Eucharistia, est corpus Christi prout terminus transubscantiationis; oporteret igitur ut verba sacramentalia essent immediata transubstantiationis causa, adeoque causa perfective, et non di-

spositiva tantum. Verum facile respondetoi quod Eucharistia est specialissimae conditionis inter omnia ss ramenta, pro quanto in consecratione materiae perficitur per miraculosam panis conversionem. Proinde non est necesse ut sit omnimoda paritas cum aliis sacramentis quoad immediationem effectus proximi, sed sufficit proportionalis similitudo. Atqui transubstantiatio adhuc vere dicitur effectus immediatus, quatenus nihil mediat inter ipsam et efficaciam sacramenti exterioris *per modum rei,* sed tantum per modum ordinationis quae statim transit simul cum substantia panis cui imponitur.

Reliqua ad hanc quaestionem pertinentia (art. 5-6), vel non indigent speciali expositione, vel iam in superioribus praeoccupata fuerunt.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE

Quaest. LXXK.

Declaratis iis omnibus quae ad materiam et formam huius sacramenti pertinent, sequitur consideratio de eo quod est *res tantum;* nam de *re et sacramento* dictum est ubi de ipsa materia.

Restat itaque ostendendum qualiter res tam excellentis sacramenti sit perfectio excellentissimae virtutum, id est charitatis qua homo adhaeret Christo et membris eius. Sed iam in ipso limine quaestionis generaliter observandum est quod per omnia sacramenta datur charitas non habenti, et habenti augetur, quin tamen proprius Eucharistiae effectus confundi debeat cum effectu caeterorum. Duobus enim modis intelligitur infundi vel augeri charitas. Uno quidem modo, in quantum habitus charitatis natura sua consequitur sanctificantem gratiam, eique in gradu intensitatis necessario commensuratur; ex quo fit ut concomitanter inducatur per omnes causas quae iustificationem utcumque conferunt aut perficiunt. Et sic, habitualis charitas omnium sacramentorum generalis effectus est. Alio modo intelligitur charitas per sacramentum dari vel augeri, quatenus sacramentum ad eam ordinatur ut ad proprium finem: ita scilicet ut speciale auxilium quod gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, sit directe ad ipsam charitatem in anima *firmandam* atque perficiendam. Et secundum hunc alium modum perfectio charitatis asseritur esse proprius huius sacramenti effectus, prout ex dicendis in propositione sequenti apparebit.

Porro speciale illud auxilium quo res Eucharistiae ab aliis

sacramentalibus effectibus differt, in duobus consistit. Primo quidem importat *auxilium habituale* iuxta alibi dicta (1); quod etsi non possit a nobis cum omni certitudine determinate explicari, convenienter tamen diceretur esse dispositio quaedam, sanativa illius egoismi quo homo sibi soli inordinate adhaeret, et in se uno suum coarctat affectum. Superius quippe ostensum est quod omne sacramentum per gratiam sibi propriam alligat vulnus naturae lapsae suo proprio fini contrarium. Consequenter ergo dicendum videtur medicinalem Eucharistiae ligaturam apponi contra illud naturae corruptae vulnus, ex quo provenit ut tam facile unusquisque ad suam modicam personam omnia refert ut ad finem, cum nihil sit quod magis directe impediat charitatem Dei et proximi (2). Verum, praeter speciale auxilium habituale, includitur etiam et *actuale.* Actuale autem auxilium nunc dico, ad fervidos amoris actus quos sacramentum in ipsa sui applicatione excitare natum est. Unde S. Thomas, art. 4 huius quaestionis, in corpore: « Res huius sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad

C) Supra, de sacram, in gener., Thes. 5.

(·) « Quando affectus vel appetitus omnino imbuitur forma boni «quod est sibi obiectum, complacet sibi in illo, et adhaeret ei quasi «fixum in ipso, et tunc dicitur amare ipsum. Unde amor nihil aliud est «quam quaedam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne «quod efficitur forma alicuius, efficitur unum cum illo, ideo per amo« rem amans fit unum cum amato quod est factum forma amantis... « Unumquodque autem agit secundum exigentiam suae formae, quae «est principium agendi, et regula operis; bonum autem amatum est « finis, finis autem est principium in operabilibus, sicut prima principia «incognoscendis. Unde sicut intellectus formatus per quidditates re« rum, ex hoc dirigitur in cognitione principiorum quae scitis terminis «cognoscuntur, et ulterius in cognitionibus conclusionum quae notae «fiunt ex principiis: ita amans, cuius affectus est informatus ipso « bono..., inclinatur per amorem adoperandum secundum exigentiam « amati, et talis operatio est maxime sibi delectabilis, quasi formae suae « conveniens... Cum enim amans amatum assumpserit quasi idem sibi. « oportet ut quasi personam amati amans gerat in omnibus quae ad «amatum spectant, et sic quodammodo amans amato inservit in quan« tum atnati terminis regulatur». S. Thom., in III, D. 27, q. , a> ,

«actuni qui excitatur in hoc sacramento». Et in IV, D 12, q. 2, i. ·, q. i, ad 2ora : «In hoc sacramento, non solum on- « fertur gratia habitualis, sed excitatur fervor actualis devo « tionis ».

Et haec quidem praemissa velim ut praeluceant expositioni principalis propositionis, quae sic effertur :

THESIS LI.

(Art. i).

Propria res Eucharistiae est spiritualis transformatio hominis in Christum per charitatem, quae inter communicandum non solum datur quantum ad habitum, sed etiam excitatur in actum ; omnemque effectum quem materialis cibus et potus agunt quoad vitam corporalem, sustentando, augendo, reparando, et delectando, sacramentum hoc operatur quoad vitam spiritualem.

Hic primo notandum quod posterior propositionis pars non est nisi amplior declaratio prioris. Omnes enim effectus sustentationis, augmenti, reparationis, et delectationis, continentur implicite in spirituali illa transformatione per charitatem quae primo loco asseritur, sed explicantur distinctius, ducta analogia ab effectibus cibi et potus materialis, adhibitisque ipsis terminis quibus post S. Thomam, (hic in corpore), Concilium Florentinum utitur in decreto pro Armenis. Insuper animadvertendum quod non proponuntur omnes effectus hic recensiti, tamquam aeque necessario causati *per* sacramentum, id est tamquam respondentes eidem dispositionum sufficientiae, alia enim est ratio gratiae habitualis, et alia ratio actualis fervidaeque charitatis quae in sacramenti sumptione excitatur. Ad veritatem *propositionis* sufficit ut Eucharistia per se nata sit causare quidquid hic asseritur, etsi vel propter carentiam devotionis, vel propter quodlibet aliud impedimentum, (quod relinquitur infra examinandum), non omnes dictos effectus consequatur, etiam in eo qui non sacrilege communicat.

Quod res Eucharistiae est transformatio hominis in Christum per amorem. — Hoc imprimis demonstrant verba Domini, Ioan, VI-56, ubi declarans quis futurus sit effectus sacramenti quod tunc promittebat: «Qui manducat, inquit, meam «carnem et bibit meum sanguinem, *in me manet, et ego in eo*». Atqui manere in altero, et habere alterum manentem in se, quaedam circumlocutio est qua amoris perfectio et transformatio amantis in amatum exprimitur. Dicitur enim, 1 Ioan. IV-16: «Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo», quod est dicere, proprium amoris esse ut faciat mutuam inhaesionem qua amans manet in amato et habet amatum manentem in se. Nec a longe petenda ratio est, quia secundum quod amans reputat voluntatem et bona amici sicut sua, sic *manet in amato,* quasi sequens id quod est intimum amati; et vice versa, secundum quod vult et agit propter amicum sicut propter seipsum, reputans amicum idem sibi, sic *habet amatam manentem in se,* quasi impressum in affectu suo per quamdam complacentiam. Talis igitur est effectus huius sacramenti in homine communicante, qui a sua forma quodammodo recedit ut in Christum dilectum transferatur, soluto eo quo retinebatur intra semet ipsum; nam, « sicut res naturalis non amittit formam nisi solutis « dispositionibus quibus forma in materia retinebatur, ita oportet « quod ab amante terminatio illa qua intra terminos suos tan- * tum continebatur, amoveatur » fl).

Eadem etiam conclusio ratione theologica potest firmari. Etenim proprius effectus uniuscuiusque sacramenti sumi debet ex similitudine effectus corporalis ad quem materia eius est naturaliter ordinata; quippe, ratione materiae habet sacramentum ut significet symbolice, id est per modum cuiusdam analogiae, iuxta alibi dicta de sacramentis in genere. Nunc autem materiale Eucharistiae ordinatur ad refectionem corporis per physicam con-

(1) S. Thom, in HI, D. 27, q. 1, ad 4"[4].

version· n. adiuncti alimenti in substantiam sumentis. Necesse ig - tur est nt sacramentalis effectus proportionaliter etiam consistat in refeci ‹›ne animae per spiritualem quamdam conversionem sise transformationem, non tamen spiritualis alimenti in communicantem, sed vice versa, communicantis in Christum qui est spirituale alimentum : quandoquidem spiritualis vita hominis non potest perfici per hoc quod caelestis cibus convertatur in hominem ipsum, sed omnino ex inverso. Insuper, ut observat Albertus Magnus in IV, D. 9, a. 2, ad l"“ . quotiescumque duo uniuntur ita ut unum debeat mutari in alterum, tunc potentius mutat ad se id quod debilius est. Unde, cum iste cibus sit potentiori- virtutis quam ipsum manducantes, ideo manducantes spiritualiter mutat ad se ; qua de causa Augustinus l. 7 Confess, c. 10 (P. L. 32, 742), introducit Christum dicentem sibi: «Nec tu me muta- « bis in te sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me ». Itaque cum spiritualis transformatio animae in alterum fiat per amorem sive charitatem, ut supra notatum est, relinquitur dicendum, rem Eucharistiae esse charitatis perfectionem qua homo in dilectum Christum quodammodo convertitur. Charitatem autem dico tam habitualem quam actualem, ut proportionaliter respondeat refectio interioris hominis refectioni corporali; nam cibus vel potus corporalis non tantum habitualiter reficit sumentem, verum etiam confert actualem illam refocillationem quain unusquisque, si bona et florenti valetudine gaudeat, in ipso sumendi actu experitur.

Sed iam pronum est descendere ad distinctiorem analysim effectuum sacramenti, quia sicut in effectu corporalis refectioni·» quadruplex veluti formalitas distinguitur, dum homo, per *hoc* ipsum quod incorporat sibi alimentum, primo sustentatur, secundo augetur, tertio reparat deperditum, quarto convenientem habet delectationem : sic quoque in spirituali refectione huius convivii, per hoc ipsum quod homo spiritualiter incorporatur Christo, consequitur quatuor enumerata a Florentino, et *proper* tionaliter respondentia supradictis, ut statim declaro.

§ 2.

Quod Eucharistia sustentat, auget, reparat, et delectat

1. *Sustentat.* — Affirmat Tridentinum, Sess. XIII, cap. 2 ubi ait sacramentum hoc sumi tamquam antidotum quo a peccatis mortalibus praeservemur. Inculcat ipse Christus, Ioan. VI, 50-53, dicens : ***Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur... Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis ;*** nam haec et similia ostendunt, expectandum esse ex hoc sacramento sustentationis auxilium quo quis habet unde non moriatur, unde retineat vitam, unde maneat in Christo, etc., quod est perseverare. His etiam testimoniis adde ea quae in figura huius sacramenti vel acta vel dicta fuerunt. Quo in genere insigne est illud 3 Reg. XIX, 1-8 : « Perrexit (Elias) in deser· « tum viam unius diei, cumque venisset et sederet subter unam «iuniperum, petivit animae suae ut moreretur, et ait : Sufficit « mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum « quam patres mei. Proiecitque se, et obdormivit in umbra iuni- « peri, et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge « et comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis « et vas aquae ; comedit ergo et bibit, et rursum obdormivit, « Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, di- « xitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui « cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine « cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad « montem Dei Horeb ». Et ad idem refertur id quod Christus multiplicaturus panes, in huius sacramenti figuram, Marc. VIII-3, dixit : « Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient «in via». Solummodo quaeri solet quomodo fiat sustentatio illa. Respondeo, fieri partim per collationem gratiae sacramentalis quae supra primo loco recensita est, partim etiam ex fervore actualis charitatis ad quam homo inter communicandum excitatur. Sustentamur enim in spirituali vita, tum ex hoc quod datur nobis habituale principium contra vulnus amoris proprii impediens nos a persistendo in amore Dei, tum ex hoc quod iden-

tidem fervemus et quodammodo inebriamur dulcedine divinae bonitatis.

luget. — Affirmat Tridentinum ubi supra, dicens hoc sacramen'mn sumi tamquam spiritualem animarum cibum quo confortentur ' . · ntes vita illius qui dixit: *Qui manducat me, et ipse -ire! proplct me.* Affirmat etiam Florentinum in decreto pro Armenis. asser- nnos in eo sacramento proficere ad virtutum et gratiarum argumentum. Ostenditur praeterea ex analogia cibi materialis, per quem homo impinguatur, et ideo dicitur in officio corporis Christi : *Christum Regem adoremus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.* « Restat igitur, ail S. Thomas, ut cum sa- « cramentum realiter sumitur, gratia augeatur, et vita spiritualis « perficiatur ; aliter tamen quam per sacramentum Confirmatio- « nis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra « exteriores impugnationes inimicorum Christi ; per hoc autem « sacramentum augetur gratia et perficitur spiritualis vita, ad « hoc quod homo in seipso perfectus exsistat per coniunctionem « ad Deum » (').

3. *Reparat.* — Innuit Tridentinum cum ait Eucharistiam sumi tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis Suadet insuper analogia cibi corporalis, cuius beneficio quotidie reparatur id quod innati caloris vi quotidie consumitur. Constat autem effectum hunc pertinere ad Eucharistiam in quantum est causa *actualis* charitatis; non enim aliter intelligi potest reparatio deperditi per veniales seu quotidianas culpas, quia veniales culpae non minuunt habitum, ut nunc suppono ex materia de gratia et virtutibus, sed minuunt fervorem, et reddunt hominem tepidum in exercitio bonorum operum ; cui defectui directe non obviatur per augmentum habitus, sed *per* actus fervidos.

4. *Delectat.* — Iste effectqs·, non secus ac caeteri, ex similitudine corporalis convivii et lautae refectionis deducitur Est enim Eucharistia convivium de quo Isai. XXV-6 : « Et faciet « Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium « pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vm-

(') S. Thomas., hic, art. 1, ad iu".

‹ demise defaecatae». Est coena magna ‹l. qua Luc. XIV-i6: Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos». Sicut ergo homines praeparant suis invitatis corporales delicias, ita et suis Deus spirituales, quo fit ut Eucharistia dicatur *mei, f>anis suavissimus, panis omne delectamentum in se habens, adefn frumenti, calix inebrians, vinum quod laetificat cor hominis,* poculum quod tristibus offertur in tristitiae remedium, et alia huiusmodi fl). Haec porro delectatio procedit ex fervidis actibus amoris, ad quos homo excitatur in sumptione huius sacramenti. Quippe delectatio seu gaudium causatur ex actuali amore, tum propter praesentiam et possessionem boni amati, tum etiam propter hoc quod ipsi bono amato proprium bonum inest et conservatur. Atqui charitas quae in communicante excitatur est amor Christi cuius bonum immutabile est, cum ipse sit immortalis et beatus ; praeterea, ex hoc ipso quod in sacramento recipitur, praesentialiter amanti adest ut possessus ab eo, et hoc modo spiritualis delectatio quae est effectus sacramenti, ex actuali charitate causatur et resultat (2).

Duobus igitur exsistentibus propriis effectibus Eucharistiae, scilicet habitu et actu charitatis, ut in prima propositionis parte declaratum est, vel utrique simul, vel alterutri seorsum, accommodari debet unumquodque ex iis quatuor quae in secunda parte fuerunt recensita.

SCHOLION.

(Art. 2-7).

Ea quae docet S. Thomas in his articulis, vel pertinent ad materiam de sacrificio infra exponendam, vel sunt ampliores quae-

(*) Cf. S. Thom., in officio corporis Christi, et infra, Quaest. 81, a. ;, ad 3"‘‘.

(*) « Per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non soluin habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum... Et « inde est quod ex virtute huius sacramenti anima spirituahter reficitur « per hoc quod anima spirituahter delectatur, et quodammodo inebria- « tur dulcedine bonitatis divinae, secundum illud Cantic. V-i : *Comedite « amici, et bibite, et inebriamini, charissinii».* S. Thom., hic, a. i, ad 2"“

dam <l-h iminationes, doctrinae praecedentis; et ideo, pro ea parte quae respicit sacramentum in quantum huiusmodi. breviter exp< diuntur.

In *art. 2* dicitur hoc sacramentum causare adeptionem vitae aeternae. Et ratio est quia Eucharistia non solum dat gratiam, ed etiam speciale auxilium ad perseverandum in illa. Gratiae autem et charitati in finem conservatae debetur gloria. Recte igitur adeptio gloriae huic sacramento attribuitur tamquam sj>e cialis eius effectus. — Item, gloria procedit ex gratia; gratia causatur per sacramenta; sacramenta autem sunt vel Eucharistia, vel quaedam alia ad ipsam ordinata ut ad suum finem suamque consummationem ; ergo a primo ad ultimum, gloria causatur per Eucharistiam, vel in se, vel in aliquo sui inchoativo susceptam.

In *art. 3* docet S. Thomas effectum Eucharistiae non esse regulariter remissionem peccati mortalis, quia cum hoc sacramentum sit per excellentiam sacramentum vivorum, accedens cum conscientia peccati committit grave sacrilegium, et iudicium potius sibi manducat et bibit. — Operatur tamen Eucharistia primam iustificationem in eo qui peccati conscientiam et affectum non habens, bona fide attritus accedit, ut dictum est in superioribus ubi de sacramentis in communi. Unde, ad id quod imploratur in quadam postcommunione, *sit* (hoc sacramentum) *ablutio scelerum:* «Dicendum quod petimus ut sit ablutio, vel eo- « rum quorum conscientiam non habemus secundum illud Psalm. «XVIII-13: *Ab occultis meis munda me...* vel etiam ut nobis « robur detur ad scelera vitanda » ζl).

In *art. 4* dicitur quod hoc sacramento remittuntur *venialia* : illa, inquam, venialia quorum est in homine dolor et virtualis saltem retractatio. Adhuc tamen disputant quidam de modo quo per Eucharistiam fit haec remissio, et solutio pendet ex dicendis in materia de Poenitentia. Interim vero non oportet alium modum agnoscere praeter illum qui in confesso est apud omnes, et qui solus indicatur a S. Thoma in praesenti ; videlicet mediantibus actibus charitatis qui excitantur ex virtute sacramenti.

(·) Hic, ad 1"".

pro quanto includunt venialium displicentiam saltem virtualem ‹ puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum «et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc « motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi « actu de illo non cogitaret » ζl).

In *art. §* dicitur sacramentum Eucharistiae ex quadam concomitantia remittere temporalem poenam peccati. Duo ergo ibi affirmantur. — Primum est quod non fit haec remissio directe ex vi sacramenti, quia hoc sacramentum directe non tollit nisi id quod contrariatur fini eius; porro reatus poenae temporalis nec charitati nec fervori charitatis est oppositus. — Alterum est quod remissio illa concomitanter obtinetur, eo quod charitatis actus quos excitat Eucharistia, non solum meritorii sunt, verum etiam satisfactorii, et ideo « ad principalem effectum homo con- « sequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secun- « dum modum suae devotionis et fervoris ».

In *art. 6* docet S. Thomas, Eucharistiam praeservare a peccatis futuris, tum quia sustentat et auget spiritualem vitam, tum quia minuit causas tam exteriores quam interiores peccati: exteriores quidem, nam sacramentum hoc « in quantum est quod- « dam signum passionis Christi per quam victi sunt daemones, «repellit daemonum impugnationem»; interiores vero, nam «licet non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit « tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget « charitatem » (2).

Tandem in *art.* 7 dicitur Eucharistia in quantum sacramentum est, non prodesse nisi soli sumenti; quo tamen non obstante, recte admodum et pie, vel pro animabus purgantibus, vel pro aliis adhuc inter vivos degentibus fideles communicant. Primo, quidem quia contingit ut communioni sacramentali sit quandoque annexa indulgentia defunctis applicabilis. Secundo quia ipsa communio est excellens actus religionis qui potest pro alio offerri quoad satisfactionem ex opere operantis, sicut alia

(») Infra, Quaest. 87, a. 1 in corp.
(·) Hic, ad 3am.

quaelibet bona opera, et sic ei prodesse per modum suffragii. Tertio t maxime, quia hoc sacramentum habet specialem efficaciam id excitandum fervorem charitatis, adeoque ad reddendum minem magis aptum ut impetret a Deo id quod aliis obtinere vult, et in hunc sensum accipi potest illud Apostoli. *i* Coi . XV-29: *Alioquin quid faciunt qui baptizantur.* (hoc est qui se purificant) *pro mortuis.*

Notandum denuo est, eamdem esse rationem unionis cum Christo, et cum membris eius. Quare, si res Eucharistiae est perfecta unio ad Christum per amorem, eo ipso est perfecta corporis mystici unitas, iuxta superius praemissa in ipso limine totius disputationis ¶.

Notandum praeterea, *quoad tempus in quo confertur effectus sacramenti,* distinctionem esse faciendam inter effectum gratiae habitualis, et effectum actualis charitatis. — De gratia habituali, certum est quod homini rite disposito confertur ipso instanti quo primum applicatur sacramentum, id est quo primum species sunt manducatae; sin autem post sumptionem dispositiones adveniant, modo tamen ante specierum corruptionem, tunc tantum sequitur effectus ; sed nec improbabiliter diceres augeri posse sacramentalem gratiam habitualem toto tempore praesentiae Christi, si ex parte communicantis maior adveniat dispositio. — De effectu vero qui in actuali fervore charitatis reponitur, dubium esse non potest quin aequaliter induatur, quantum est ex virtute sacramenti, quamdiu sacramenti ipsius perseverat applicatio. « Est enim tunc praesens corporaliter in « nobis (Christus), ac per hoc, pascens et illuminans *spiritua-le* liter animam, ut sic etiam illud impleatur: *Quamdiu sum rn « mundo, lux sum mundi.* Attestatur autem huic sententiae ne- « cessaria mentis occupatio communicantium, et praecipue sa-

(·) « Quel est donc *le* vrai *effet,* et la chose, pour ainsi parler. . de ce sacrement? Être incorporé Λ Jésus-Christ, lui être parfaitement «uni selon I'esprit..., sans jamais être en division ni en froideur, ni «avec lui, ni avec aucun de ses membres». Bossuet, Méditations sur l'Evangile, la Cène, 49a"*four.*

« cerdoturn, circa reverentiam exteriorem .. ramenti, ne scilicet a aut sanguis effundatur, aut partes hostiae dentibus aut palato « haereant, et huiusmodi » (’). Cum enim actuales fervoris effectus requirant dispositionem actualis recollectionis, ut in sequenti propositione dicetur, hinc fit ut sacramenti influxus in tempore consequente sumptionem magis quam in sumptione ipsa, ex natura rei debeat persentiri.

THESIS LII.

(Art. 8).

Effectus huius sacramenti, qua parte respicit actualem fervorem charitatis, impeditur per defectum actualis recollectionis et affectum ad venialia; sed qua parte consistit in qualicumque augmento habitualis gratiae, nullam aliam dispositionem per se requirit praeter statum amicitiae cum Deo.

§ i.

Superest ut de dispositionibus ad sacramenti fructum requisitis nonnulla dicantur. De qua re imprimis statuitur, effectui *actualis fervoris* obstare divagationem mentis, necnon et affectum cordis adhuc venialibus vanitatibus inhaerentis.

Obstat, inquam, mentis divagatio, undecumque illa proveniat, etiam ex causa naturali, minimeque culpabili. Et ratio est quia ad omnem effectum ex opere operato requiritur carentia dispositionis contrariae, ut dictum est ab initio, ubi de sacramentis in communi. Sed divagatio mentis, ex quacumque causa procedat, est impedimentum ad audiendam vocem Dei actu pulsantis cor, adeoque est obex ad fervidos actus qui ex auditione consequuntur. Obstat potissimum affectus ad venialia, qui proportionaliter contrariatur fervori charitatis, sicut affectus ad mortale peccatum contrariatur substantiae charitatis. Fervor

(») Caietan., in ^{am} Pari., q. 79, a. 1.

enim η uphorice nunc dicitur, similitudine desumpta ex liqui li. quod ▮ diillit, et extra vas in quo continetur, erumpit : quatenus tunc t vet charitas, quando per actum sibi proprium exit quo dam i · lo extra se, referendo ad Deum super omnia dilectum omn hominis affectus et amores. Atqui veniale peccatum est quidmn compossibile cum amore Dei super omnia, quia non est *contra* ordinem ultimi finis; sed cum sit *praeter* ordinem illum, non est ad Deum dilectum referibile, et ideo affectus inhaerens ad veniales vanitates impedit ne ferveat charitas, impediendi ne actu reducat in Deum cuncta quae in homine sunt et prr· cedunt ab homine. Observandum tamen quod fervor habet gradus, et potest esse quoad aliqua, quin exsistat quoad omni.i ; unde etiam dari potest talis inhaesio ad venialia, quae non ex toto impediat fervoris effectum, sed vel ex toto vel ex parte. Ad rem S. Thomas in IV, D. 16, q. 2, a. 1, ad 2"" : « Quod- « libet peccatum mortale opponitur cuilibet quantumcumque « parvae charitati ; non autem quodlibet veniale opponitur cui- « cumque fervori charitatis. Dicitur enim fervor charitatis per « similitudinem, secundum quod ad exteriora quodammodo ebul- « liendo refunditur ; ex illa autem parte qua veniale committ:- « tur, charitatis fervor non apparet, sed aliquid praeter chari- « tatem. Unde quamvis sit fervor charitatis quantum ad aliqua. « potest tamen esse tepiditas quantum ad alia, et sic non qui « libet fervor opponitur cuilibet veniali ; unde non est simili' «(omnino) comparatio peccati mortalis ad charitatem, et venia- « lis ad fervorem charitatis ». Hactenus de obice ad effectum *actualis* refectionis fl).(*)

(*) Haec impedimenta bene reducit Lugo. Disp. 12, Sect 4. n. 94. ad tria sequentia : « Primo ex eo quod homo acceptis *illis auxiliis* qui- ▮ bus excitatur ad actus fidei et dilectionis... non coo|>eretur .. Item « si, (quod maximum impedimentum esse solet), animae palatus mor- « bidus sit, et rerum temporalium *affectu praepeditus;* tunc enim, sicut « infirmis frequenter accidit, Christi praesentia etiam credita et consi- « derata non multum sapit, quia animae gustus praeoccupatus est hu- « more diverso. Ex parte etiam corporis potest aliquando impedimen- « tum provenire ; nam si adversa valetudine nimium gravetur, aut

§ 2.

Sed nunc ulterius inquiritur utrum ad effectum etiam gratiae sacramentalis *habitualis,* praeter antecedendem gratiae statum qui per se loquendo exigitur ne sit sacrilega communio, exigatur etiam ut dispositio necessaria, actualis devotio.

Plures antiqui doctores vel dubitant vel habent modos loquendi faventes affirmativae sententiae. Dicit enim S. Thomas in IV, D. 12, q. 2, a. 1, q. 3, sol. 3: «Quia interdum absque « mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractio- « nes variae ipsam impediant..., absque peccato mortali potest « effectus huius sacramenti impediri : ita quod aliquis augmen- « tum gratiae non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum venialis peccati, ex hoc quod « imparatus accedit ».

Dicit etiam S. Bonaventura in IV, D. 12, part 2, a. 1, q. i : « Ad illud quod quaeritur, utrum vir iustus recipiat effi- « caciam, dicendum quod si se debite praeparet, recipit ; alio- «quin si ex quodam torpore, vel ex distractione non se debite x praeparat, *aut nullam,* aut modicam reportat efficaciam, quam- «vis non incurrat mortalem offensam». Et infra: «Tunc spi- « ritualiter manducat, (vir iustus), quando movetur motu fidei « et charitatis, quia tunc masticat et incorporat ; et ideo si ne- ‹ gligit, non reportat effectum ».

Dicit praesertim Caietanus in 3M Part., q. 79, a. 1 : « Hic « sensus, (puta, quod per hoc sacramentum augeatur intensive « habitualis gratia tunc cum sumitur, etiamsi nullus interior cha- « ritatis actus ob mentis distractionem interveniat), favorabilis « est, et demulcens aures multitudinis innumerabilium sacerdo-

« vehementi aliquo dolore afficiatur, debilitatur animae virtus ad sen- « tiendam dulcedinem spiritualem, eo quod ex natura rei eadem anima « nimium dispersa et attenta ad aliud vehemens obiectum, non potest « attendere ad hoc aliud, quantum opus esset ad eiusmodi delectatio- « nem experiendam ».

«tum quasi quotidie celebrantium, qui tamen seipsis meliores « non quotidie fiunt. Mihi autem hinc ordiendo, sensus iste ve- «rus n i apparet. Si enim qualibet sumptione Eucharistiae « augetur gratia infinitorum pene sacerdotum quos credimus « vere in gratia celebrare, charitas iam esset maior intensive, « quam credi rationabile sit : cum tanta magnitudo charitatis « in tanta multitudine, otiosa appareat, quoniam nec extra ap- « parent, nec interius de seipsis testantur actus similes ferven- « tissimae charitatis. Et tamen certum est quod sicut amor Dei « non est otiosus, sed operatur magna si est, ita tam magna « augmentatio amoris Dei non est otiosa, sed operatur multo « maiora quam prius... Consequenter, si longe maiora operari « renuit, longe maior charitas non est : et tamen longe maior « ponitur esse in singulis celebrationibus, quantumcumque pa· «rum crevisset charitas sacerdotis, qui tot annis diebus fere « singulis in gratia celebravit ». Et post multa interiecta con- cludit Caietanus : « Manducatio sacramentalis quae actualiter fit, « significat manducationem spiritualem quae interius exerceri « debet. Et ubi nonnisi in sui principio, hoc est in habitu sal- « vatur, licet ad vitandum fictionis peccatum mortale sufficiat, « ad nutriendum tamen animam nihil prodest ; imo hinc et anima « malum venialis peccati, et corpus damnum infirmitatis, imbe- « cillitatis, aut etiam mortis quandoque incurrit, dicente Apo- « stolo : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt « multi.* Hanc ergo poenam corporalem puto saepe a Deo in· « fligi ob parvam praeparationem quae fit ad hoc sacramen- « tum ».

Sed contra hanc sententiam est rata et decisa sententia S. Thomae in praesenti, ubi docet venialia peccata actu exercita impedire effectum sacramenti quoad actualem refectionem, sed non quoad aliquale habitus augmentum,- venialia vero praeterit... quorum affectus nec actu nec virtute manet, non obstare quo- minus plenarie gratiam sacramenti consequatur qui devote ac- cedit : « Actualis refectio spiritualis dulcedinis impeditur, inquit « si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata veniali.»

«mente distractus; *non autem tollitur augmentum habitualis vel gratiae vel charitatis* ».

Et facile demonstratur haec assertio, quia illa sola dispositio est per se necessaria ad recipiendum *cum aliquo fructu* Eucharistiae sacramentum, quae sola exigitur ut non sit sacrilega communio. Atqui ex omnium consensu et ex aperta doctrina Tridentini, Sess. XIII, cap. 7, sola dispositio quam quis debet habere ne sacrilege communicet, est status gratiae vel conservatus, vel si opus sit, per sacramentalem confessionem recuperatus. Ergo defectus actualis devotionis non tollit augmentum habitualis gratiae vel charitatis. — Maior argumenti constat, eo quod omnis suscipiens sacramentum tenetur *sub gravi* procurare ne frustra et in vanum recipiat ipsum sacramentum ; infructuosa enim sacramenti susceptio est per se abusus sacramenti, qui nonnisi ratione ignorantiae sive bonae fidei potest a mortali excusari. Unum ergo de duobus : vel communicare cum solo statu gratiae absque actuali devotione est *per se* grave sacrilegium, quod nemo dicit; vel si non est sacrilegium, impossibile est ut sit penitus infructuosa communio.

Ad auctoritatem ergo S. Thomae in IV Sententiarum, dicendum quod ibi non negat augmentum habitualis gratiae, sed solum effectum actualis fervoris, ut patet ex verbis quae locum obiectum immediate antecedunt : « Cum hoc sacramen« tum perficiat coniungendo fini, ad hoc *quod effectum suum « plene habeat in sumente,* oportet quod adsit actualis devotio. « Et quia interdum absque mortali peccato, etc. ». — Quod autem ad S. Bonaventuram attinet, cum ipse sub disiunctione dicat, *aut nullam, aut modicam reportat efficaciam,* nihil concluditur.

Ad rationes vero Caietani in primis dico nullius roboris esse experimentale argumentum quod tanti facere videtur. Agitur quippe de illo qui crebro, puta omni die communicat cum magna negligentia et absque ullo conatu ad proficiendum in virtute, ad recolligendum se in oratione, etc., etc. De huiusmodi ergo potest fieri duplex hypothesis : una favorabilis, sed

rarissima, ut videtur; altera non favorabilis, sed frequentior: consideremus utramque.

Hypothesis sane frequentior est, quod huiusmodi communicans identidem labitur in mortale, quia magna illa vitae tepiditas et frequentia peccata venialia quae in celebratione sacramenti committuntur, disponunt ad mortale secundum dicta Sanctorum; unde iam negari debet suppositum ex quo procedit argumentum. Suppositum enim erat, quod sacramentalis gratia Eucharistiae accrevit in tali homine secundum numerum omnium communionum quas fecit ab initio. Porro per mortale peccatum deperditur praecedens gratia; quando autem homo redit ad poenitentiam et denuo iustificatur, quaeri posset utrum ipso facto restituatur ei tota gratia quam prius quocumque ex titulo habebat. Equidem affirmative respondent moderni in materia de reviviscentia meritorum, sed negant antiqui, ut videre est apud S Thomam infra, Q. 89 per totum. Certe si de gratia sacramentali agatur, illa sola dici potest restitui, cuius adhuc manet in homine titulus et ratio; et quia in Eucharistia *res et sacramentum* non est in suscipiente, sed in materia consecrata, gratia per Eucharistiam praecedenter habita nunquam reviviscit. Ecce ergo subtrahitur ipsum totius argumentationis suppositum.

Nunc autem si consideretur hypothesis favorabilior, eademque rarissima, in qua homo crebrius cum magna tepiditate vitae et magna negligentia sumens Eucharistiam, a mortalibus se praeservat, tunc dico quod haec ipsa praeservatio foret egregius quidam, et maxime proportionatus effectus *gratiae sacramentalis* in eo continuo accrescentis, quin oporteat invenire heroica illa opera virtutum de quibus loquitur Caietanus. — *His adde* triplicem observationem. Primo, in his qui tepide accedunt, augmentum habitualis gratiae est minimum. Secundo, habitus per se infusi, etsi dent inclinationem ad suos actus, tamen non dant illam facilitatem quae consistit in remotione extrinsecorum impedimentorum; directe enim et formaliter nec mortificant passiones, nec excludunt habitus vitiosos acquisitos, nec tollunt arduitatem virtutis; quo fit ut post infusionem habitualis gratiae, eiusque augmentum, contingere facile possit ut homo in ratione

vivendi non admodum mutetur nisi generose per mortificationis studium sese exerceat. Tertio, insignia virtutum opera non solum supponunt gratiam habitualem, sed etiam et maxime procedunt ex charitatis fervore qui in tepide communicante ex eius indispositione impeditur.

Caeterum, quomodo ex doctrina ista minime sequatur quod frequens communio sit *semper* expediens ad animae salutem, apparebit ex dicendis in quaestione sequenti, ad art. io.

DE USU EUCHARISTIAE

Quaest. LXXX.

Deinde considerandum est de usu sive sumptione huius sacramenti. Sed quia multa ad hanc quaestionem pertinentia partim quidem obvia sunt, partim vero in theologia morali explicari solent, visum est ea tantum breviter et perpaucis attingere, quae et potioris momenti esse, et scholastica expositione indigere videbuntur.

§ 2.
(Art. 1-2).

De triplici ratione hoc sanctum sacramentum accipiendi. — Recte et sapienter, inquit Tridentinum Sess. XIII cap. 8. Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt; sacramentaliter tantum, spiritualiter tantum, sacramentaliter simul et spiritualiter. Communio *sacramentalis tantum,* illa est qua sacramentum re sumitur et valide applicatur, sed absque fructu gratiae propter obicis exsistentiam. *Spiritualis tantum,* qua quis solo affectu et desiderio manducat corpus Christi, et ex hac manducatione in voto, consequitur aliquem fructum ex *opere* operantis. *Sacramentalis simul et spiritualis,* qua sacramentum in re sumitur, et cum fructu ex opere operato.

Ex hac distinctione confirmatur responsio in superioribus tradita ad varia Augustini loca, ubi videtur sanctus ille Doctor asserere quod *ah impiis non sumitur corpus Christi.* Dicendum enim cum Bellarmino[1], «saepissime apud Augustinum, illud

[1] Bellarminus, *de* Euchar.. I. *i,* c. 13.

« solum dici tale et vere tale, quod habet effectum suum con-
«iunctuin; res enim ex fructu aestimantur. Itaque illos dicit vere
« comedere corpus Christi, qui utiliter comedunt: quo modo etiam
« nos vulgo dicimus aliquem nihil comedisse, qui tam parum co-
« médit, ut non sufficiat ad eius vitam sustentandam ; aut certe,
« quod comedit non retinet, sed continuo eiicit... Denique in
«serm. 2 de verbis Apostoli a Calvino citato Augustinus dicit:
« *Illud manducare, refici est; illud bibere, quid est nisi vivere?*
« Cum ergo manducare apud illum eo loco sit refici, quid mirum
« si dicat eos non vere manducare qui non reficiuntur ? »

§ 2.

(Art. 5).

De gravitate peccati communionis sacrilegae. — Primo exponit S. Thomas quotuplici modo peccatum unum dici possit gravius altero : *per se* scilicet, id est secundum rationem suae speciei quae attenditur ex parte obiecti ; *per accidens* vero, id est ratione circumstantiarum quae sumuntur ex parte peccantis.

Secundum rationem *suae speciei* peccatum aliquod tanto est gravius, quanto et nobiliori virtuti directe opponitur, et nobilius uniuscuiusque virtutis obiectum laedit. Porro inter virtutes hic ordo est, ut primum locum obtineant théologales quae ipsam increatam divinitatem pro obiecto habent. Quare peccata ex suo genere gravissima ea sunt quae directe opponuntur fidei, spei, et charitati, puta odium Dei, desperatio et haeresis seu infidelitas, cui etiam adiungenda est blasphemia, eo quod vel includit interiorem haeresim, vel certe opponitur exteriori fidei confessioni. — Succedunt deinde virtutes morales sive cardinales, in quibus principatum tenet iustitia ; et inter partes potentiales iustitiae primo loco venit religio, utpote pro obiecto habens specialem honestatem quae in eo relucet, ut Deo et rebus sacris debitus honor seu reverentia deferatur. Constat autem communionem sacrilegam directe opponi virtuti religionis. Quare hoc peccatum *ex sua specie* est minus grave quam ea quae virtutibus theologicis directe et immediate opponuntur, gravius vero iis quae opponuntur virtu-

tibus moralibus a religione diversis. Non tamen est maximum omnium quae religioni contrariantur. Etenim ad virtutem religionis pertinet reverentia praestanda tum divinitati propter supremam eius excellentiam, tum iis quae propter conjunctionem ad Deum plus minusve participant de excellentia divina. Hinc magnitudo peccatorum religioni oppositorum, gravissimum erit illud quo directe laeditur reverentia debita divinitati sicut periurium. Sequenti gradu computanda erunt peccata quibus laeditur honor debitus humanitati Christi, quia haec sanctissima humanitas hypostatice coniungitur Deo Verbo, in cuius persona debet cultu latriae coadorari. Sed hic iterum subdistinguendum est: nam alia sunt peccata contra reverentiam humanitatis Christi in propria specie, et haec sunt in se graviora, quia iniuria immediatius attingit Christum ; alia vero sunt peccata contra humanitatem Christi in specie sacramenti, et ista tertium ordinem tenent in gravitate sacrilegii. Sed iterum, multo gravius committeret sacrilegium qui proiiceret sacramentum in lutum, quam qui indigne communicat, ut ostendit S. Thomas in responsione ad 3"" .

Haec quidem de gravitate peccati communionis sacrilegae quantum est ex parte obiecti. Nunc autem si ratio habeatur *circumstantiarum personae peccantis,* saepe accidit ut communio sacrilega debeat reponi in infimo ordine sive gradu peccatorum mortalium, « puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt» il). Cavendum igitur est ab omni excessu ex quo animae, praesertim puerorum, possent in desperationem comici, et prudenter interpretandi sunt Patres, quando comparant peccatum indigne communicantium cum peccato ludae vel Judaeorum crucifigentium Christum; nam ista sunt accipienda, non secundum aequalitatem, sed secundum quamdam proportionalitatem. « Peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparatur peccato « occidentium Christum, secundum *similitudinem, quia* utrumque « committitur contra corpus Christi ; non tamen secundum cri« minis quantitatem... Fornicator accipiens corpus Christi compa« ratur ludae Christum osculanti, quia uterque ex signo charitatis

(·) S. Thom., hic, in corp.

«Christum offendit, non tamen quantum ad criminis quantitatem «sicut etiam prius dictum est in solutione praecedenti» A).

Caeterum, inter alia antiquitatis testimonia insigne est illud Cypriani l. de lapsis c. 15-16 (P. L.4, 478-79)» ubi de iis loquens qui saeviente persecutione, fidem coram tyranno negaverant, et postmodum ad Eucharistiae sacramentum absque poenitentia accedebant: « Mortiferos, inquit, idolorum cibos adhuc pene ructantes,Do- « mini corpus invadunt, quando... Apostolus testetur et dicat: Non « potestis mensae Domini communicare et mensae daemoniorum. « Item contumacibus et pervicacibus comminatur et denuntiat di- et cens: Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini in- « digne, reus erit corporis et sanguinis Domini (1 Cor. XI-27). « Spretis his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, *ante «exomologesimfactam criminis (f)*... ante offensam placatam in- « dignantis Domini et minantis, vis infertur corpori eius et san- et guini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, « quam cum Dominum negaverunt... Quid eis qui Here iugiter « et rogare Dominum suum debent, intercepta poenitentiae la- « mentatione, communicare se simulant ?» Et infra varia affert exempla in quibus violatam sanctitatem Eucharistiae miraculosis etiam signis Deus vindicavit (3).(*)

(*) S. Thom., hic ad ium et ad 2um.

(·) Id est, *ante confessionem factam ministris Ecclesiae,* ut infra c. 28 (ib. 488): « Quanto et fide maiores et timore meliores sunt qui quamvis « nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel « cogitaverunt, (sola scilicet cogitatione delinquentes), *hoc ipsum apud sa- « cerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes,* exomologesim conscien- « tiae faciunt, etc.». Itaque nihil innovavit Tridentinum quando Sess. XIII, cap. 7, declaravit, nullum sibi conscium mortalis peccati, ad sacram Eucharistiam accedere debere absque praemissa sacramentali confessione.

(·) Unum exemplum est de aliqua femina in persecutione lapsa, «quae sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium «sibi sumens, et velut quaedam venena lethalia intra fauces et pectus «admittens, angi et anima exaestuante concludi postmodum coepit. Et «pressuram non iam persecutionis sed delicti sui passa, palpitans et tre- « mens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatae «conscientiae crimen. Quae fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. « Et cum quaedam arcam suam in qua Domini sanctum fuit, manibus

§ 3-

(Art. 9).

De iis quibus sola lege ecclesiastica denegatur usus huius sacramenti. — Ii sunt qui nunquam rationis usum habuerunt. puta infantes et perpetuo amentes.

Ratio autem prohibitionis non est quia eis sacramentum nihil prodesset ; imo in talibus manducatio Eucharistiae foret sacramentalis quia supponuntur baptismali charactere insigniti, et foret simul spiritualis quia omnis obicis incapaces exsistunt. Verum in dispensatione sacramentorum, non solius privatae utilitatis suscipientium ratio habenda est, sed etiam venerationⁱ conciliandae in populo fideli ipsis sacramentis, quia semper bonum publicum bono privato praevalere debet. Pertinet autem ad publicum ecclesiae bonum, ut maxima sit de Eucharistiae excellentia existimatio : cui fini obtinendo idoneum medium est. si nulli concedatur hoc sacramentum, qui tantum ac tale donum nesciat discernere. Non tamen damnanda est antiquitas ex hoc quod circa infantes alium morem habuit : nam in his quae ad disciplinam spectant, pro adiunctis temporum et lumine experientiae variantur et perficiuntur leges ; fitque saepissime ut superveniat prohibitio propter inconvenientia quae vei prius non exsistebant, vel certe latenter exsistentia inceperunt postea apparere.

At vero alia est, ut constat, conditio eorum qui aliquando habuerunt rationis usum, et devotionem huius sacramenti saltem implicitam in professione christianitatis. Discretio enim sacramenti et voluntas illud suscipiendi adhuc habitualiter in eis perseverat, et ideo non sinuntur egredi e vita sine salutari via-

«indignis tentasset aperire, *igne inde* surgente deterrita est ne auderet « attingere... Quam multi quotidie poenitentiam non agentes, nec delicti «sui conscientiam confitentes. immundis spiritibus adimplentur, quam « inulti usque ad insaniam mentis excordes dementiae *furore* quatiuntur ' » Cyprianus de lapsis, c. *26 (ib. 456).*

tico corporis Christi. Sed hic notandum est quod haec praecedens intentio suscipiendi Eucharistiam eo tempore quo iuxta Ecclesiae ritum solet dari omnibus, est in talibus omnino necessaria ad ipsam communionis validitatem, quia ipsi recensentur in numero adultorum, et ideo applicatur eis generalis doctrina superius exposita de sacramentis in genere, Thes. 19.

§ 4-

(Art. to).

De communione frequenti. — Consideratione nunc dignum est id quod dicitur in hoc articulo de frequentia usus. In quo quidem abstrahitur a sacerdotibus celebrantibus, quia in eis praeter excellentiam dispositionum et privatam indigentiam vel utilitatem, intervenit ratio divini cultus et communis utilitatis fidelium. Est enim sacerdos celebrans legatus et publicus Ecclesiae orator apud Deum, et ideo in paritate dispositionum atque indigentiae, contingit ut convenienter sacerdos quotidie celebret, inconvenienter vero laicus quotidie communicaret.

Loquendo igitur de communione frequenti *in genere,* constat quod sit *per se* secundum mentem Ecclesiae. « Optaret « quidem sacrosancta Synodus ut in singulis missis fideles ad- « stantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam « Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctis- « simi huius sacrificii fructus uberior proveniret » f1). Et ratio sumenda est ex ipsa natura huius sacramenti, attenta forma sensibili sub qua traditur, quae est species panis usitati ; attentis etiam figuris quibus fuit adumbratum, cum manna exstiterit viaticum quotidianum peregrinantium in terram promissam : attento item institutionis fine, qui est augmentum fervoris charitatis et remedium quotidiani defectus ; attenta denique bonitate accessus ad sacramentum in comparatione bonitatis recessus, quia illa prior invenitur praeponderans : « Reverentia huius sa- « cramenti habet timorem amori coniunctum ; ex amore eniin

(·) Trident., Sess. XXII, cap. 6 (Denzinger 944)·

« provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit hu· « militas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam « huius sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando «abstineatur. Unde Augustinus dicit epist. iii8. alias 54, c. 3: « *Si dixerit quispiam, non quotidie accipiendam Eucharistiam.* « *alius contra, faciat unusquisque quod secundum fidem suam* « *pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter -e* « *Zachaeus et ille Centurio, cum alter eorum gaudent suscepit* « *Dominum, alter dixit : non sum dignus ut inires sub tectum* « *meum, ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno* « *modo.* Amor tamen et spes ad quae semper Scriptura nos « provocat, praeferuntur timori. Unde et cum Petrus dixisset : « *Exi a me. Domine, quia homo peccator sum.* respondit [esus « *Noli timere* » (*).

Nec dici potest eximiam sanctitatem esse dispositionem ex convenientia requisitam ut quis saepius communicet, prout apparet tum ex usu primitivae Ecclesiae, tum etiam ex natura rei, quia hoc sacramentum non fuit institutum ut esset merces virtutis, sed magis medium ad virtutem acquirendam, ad mortalia vitanda, ad proficiendum in charitate, etc. Ergo si quis ad hos fines velit recipere sacramentum, non ex vanitate aliqua, non ex pura consuetudine, non ut sibi fucum faciat quasi de magna pietate, et inde maiorem securitatem habeat in mundanis vanitatibus excolendis, sicut interdum accidit : talis censendus est idoneus Eucharistiae frequentandae, etiamsi sit adhuc maxime imperfectus. Quare, in iudicio ferendo de frequentia concedenda, ratio habenda est tum indigentiae, tum excellentiae dispositionum. Indigentiae quidem, ut si quis vehementibus tentationibus agitetur, in periculo succumbendi constitutus, et bonam voluntatem habeat accedendi ad sacramentum ut remedium inveniat. Excellentiae etiam dispositionum, sicut si adsit coelestis illius alimenti appetitus, et desiderium maioris unionis cum eo qui est lux et vita animarum.

Caeterum constat quod *communio frequens in sensu com-*

(*) S. Thom., hic, ad 3"".

posito tepiditatis crescentis ct negligentiae omnis praeparationis cedere potest in maximum animae detrimentum : tum quia ex ipsa consuetudine minuitur et fere extinguitur reverentia sacramenti, tum quia qualecumque augmentum habitualis gratiae in his adiunctis acceptum non compensat nocumentum proveniens homini qui in sua tepiditate confirmatur, et de die in diem sibi praecludit viam ad plene consequendum communionis fructum ; tum denique quia peccata venialia quae committuntur in tam irreverenti Eucharistiae receptione, per se magnum malum sunt. Quapropter directori animarum in hac re, discretione opus est.

§ 5-

(Art. 12).

De communione sub una tantum specie. — Haec controversia fuit aliquando famosa inter nos et Protestantes ; nunc autem nescio an adhuc vere vigere dicenda sit post tot et tanta prolata antiquitatis documenta, quibus legitimitas usus catholicorum tam evidenter demonstratur ζ1).

Sane vero sacerdos celebrans iure divino tenetur sumere utramque speciem, quia ad ipsum ex officio pertinet complere omnia quae sunt de integritate celebrationis huius mysterii. Sed iam a pluribus saeculis, omnibus iis qui laicaliter communicant usus calicis subtractus est per legem ecclesiasticam in Concilio Constantiensi, Sess. XIII (Denzinger 626) definitive firmatam: « Hoc praesens Concilium... declarat, decernit, et definit... quod li- « cet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fi- « delibus sub utraque specie : tamen haec consuetudo, ad evitan- « dum aliqua pericula et scandala (2), est rationabiliter introducta,

† Cf. Bossuet: *Traite· de la communion sous les deux espèces ;* turn etiam : *La tradition défendue sur la matière de la communion sous une espèce.*

† Praecipua inconvenientia sunt : *primo* periculum eflusionis de quo S. Thomas in praesenti ; *secundo* nausea quae suboritur quando omnes promiscue eidem calici os admovere debent ; *tertio* difficultas, vel statim consumendi, vel servandi absque corruptione speciem vini, si contingeret ipsam post communionem populi remanere in magna quantitate, etc. etc.

« quod i conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantum « modo sub specie panis suscipiatur... Quapropter dicere quod « ham consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut « illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserente-. « oppositum praemissorum, tamquam haeretici arcendi sunt et « graviter puniendi ».

Quod autem in hac parte lex ecclesiastica minime opponatur iuri divino, *ad hominem* demonstrari potest ex sensu primitivae Ecclesiae, quem ne ipsi quidem Protestantes, si modo suis principiis stare velint, recusare possunt. Ab initio enim creditum est, communionem sub altera tantum specie esse non modo licitam, verum etiam fructuosam instar communionis sub utraque ; nec magni negotii erit ostendere, veteres christianos *sub sola specie panis* generatim communicasse, quoties extra missarum solemnia sanctissimum hoc sacramentum accipiebant.

Sic domi communicabant martyres, ut constat ex actis S. Tarcisii (*), SS. Indes et Domnae (3). etc. ; sic caeteri fideles quotidie sumentes Eucharistiam ex ecclesia ad quam certis

(*) « Altera autem die (post passionem Stephani Papae , milite;- « invenerunt Tarsicium acolythum, *Christi Corporis sacramenta* portan- « tem. Discutientibus quid gereret, ille indignum indicans porcis proder»- « margaritas, nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria; qui eum « tamdiu fustibus et lapidibus mactaverunt, quousque spiritum exhala* « ret ; revolutoque eius corpore, nihil valuerunt de sacris mysteriis re- «perire». Apud Baronium, Torn. 3 Annal., anno aoo.

(*) « Audivit praefectus, et cum libenter eaui admisisset prob.i- «tionem, (quod Christiani essent), aufert ab eis claves (eorum cubiculo, « et cum aperuisset, invenit protinus... ea quae vere erant veneranda. « nempe divinae crucis figuram, et librum sacrosanctum, nimirum Apu- « stolorum Deo gratas Actiones...; fictile praeterea thuribulum, et lu- « cerna, et *lignea arcula in qua reposuerant sanctam oblationem cutu\ n fiebant participes* Apud Baronium, anno 293. Addit autem ipse Ba ronius : ▮ Porro pristinae huius consuetudinis tam occidentalis quam « orientalis ecclesiae, ab ecclesia sumptam sanctissimam Eucharistiam ▮ domum ferre, et in arca collocatam asservare *(projecto sub sola sprue « panis),* eamdemque diebus singulis participare; quae superius ex Ter- « tulliano, Cypriano, Gregorio Nazianzeno, Basilio et aliis scripta, primi. « Annalium tomo habentur, aperte significant ·.

diebus conveniebant, asportatam. Sane Tertullianus ad uxorem quasi testamenti tabulas condens, eamque exhortai» ut si ipse prior ad Dominum migraverit, a secundis nuptiis abstineat, vel certe tantum cum christiano viro conjungatur, hanc ei inter alias rationem affert : « Non sciet maritus quid secreto ante omnem «cibum gustes? et *si sciverit panem,* non illum credet esse qui « dicitur ?» Id est : non sciet cum servatam domi eucharistiam sumes? non sciscitabitur curiosus quid secreto gustes? et si sciverit panem esse, non continuo secum reputabit panem illum esse quem pagani calumniose dicebant infanticidii cruore tingi? il).

Sic etiam in desertis suis communicabant anachoretae, teste Basilio epist. 93 ad Caesariam (P. G. 32, 483): «Quod autem, in- « quit, persecutionum temporibus cogitur quis, absente sacerdote « aut diacono, communionem sua ipsius manu accipere, id grave non esse supervacuum est ostendere, quia hoc diuturna consue· « tudo ipsis rebus confirmat. Omnes enim in solitudinibus monachi, « ubi non est sacerdos, communionem domi servantes, suis ipso· « rum manibus sumunt ». Quae omnia de sola specie panis naturaliter intelliguntur, praesertim quia species vini nec potuisset a singulis asportari sine maximis incommodis, nec tam longo tempore conservari incorrupta (2).(*)

(*) Tertull., l. 2 ad uxorem, c. 5 (P. L. 1, 1296).

(·) « Il est certain d' ailleurs, que ces hommes merveilleux (id est «anachoretae) ne venant à Γ Eglise tout au plus que dans les solen- « nités principales, ils n' auraient pas pu conserver l'espèce du vin. « Aussi n' est-il parlé dans S. Basile que *de ce qu' on mettait dans la main «.pour le porter à la bouche,* c'est-â-dire, pain consacré; et c'est ce « qu' on *avait la liberté de réserver,* comme dit le même Père ; à quoi « il ajoute qu' il est indifférent *de recevoir dans sa main un ou plusieurs « morceaux,* se servant même d'un mot qui constamment ne peut si- « gnifier *que la parcelle ou la portion* de quelque chose de solide... Et «encore que S. Basile fasse assez voir tant par ces termes que par «toute la suite de son discours, que les fidèles en ces occasions ne «prenaient que le corps seul, il décide que leur communion n'était « pas moins sainte ni moins parfaite dans leur maison que dans Γ E- « glise ». Bossuet, Traité de la communion sous les deux espèces. Part. 1, c. 4.

Λ- edit et aliud solemne documentum in missa praesancti ficatorum quam ab antiquo Latini celebrant in die Parasceves, Grae< ro per singulos dies quadragesimae, exceptis Sabbatis et Dominicis. Fit enim in ea sumptio sacramenti sub una tantum pecte reservati. Haec igitur et alia plurima quae brevitatis /ratia omittimus, constantem atque universalem Ecclesiae fidem ' identer attestantur; unde etiam nihil mirum est si consuetudo denegandi populo usum calicis, fuerit ubique locorum absque reclamatione introducta.

Caeterum, nec deest ratio scripturalis, quia ut ratiocinatur Tridentinum, Sess. XXI, cap. i (Denzinger 930 ; «Qui dixit: A7.u « *manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem.* « *non habebitis vitam, in vobis,* dixit quoque: *Si quis manducaret it* « *ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam* « *carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam,* di- « xit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* « Et denique, qui dixit: *Qui manducat meam carnem, et Mit* « *meum sanguinem, in me manet et ego in illo,* dixit nihilo- « minus : *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* », indifferenter attribuendo effectum refectionis animae, sive sumptioni solius speciei panis, sive sumptioni utriusque simul (l).

Ad difficultatem igitur ortam ex verbis praecitatis: *Nisi manducaveritis carnem,* etc., dicendum est inhaerendo contextuti sive

(·) «Sur ce fondement inébranlable *l'*Eglise a administré la cominn- « nion en plusieurs manières différentes. Elle l'a portée aux absents; les «malades l'ont eue sous l'une des espèces : les petits enfants l'ont eue «sous l'autre; les fidèles Γ ont emportée dans leur maison, encore que « Jésus-Christ n'eût rien fait ni rien dit *de* semblable, et l'ont emportée « sous la seule espèce du pain. Les Grecs ont mêlé les deux espèces, «et les ont données au peuple toutes deux ensemble. Tout est bon. «pourvu qu'on ait Jésus-Christ des mains de Γ Eglise. *Car* c'est l'efiet « véritable que doivent opérer dans chaque fidèle ces différentes manière s « de communier : elles doivent, dis-je, nous apprendre que la plus néces- « saire disposition qu'il faut apporter â Γ Eucharistie, c'est d'en appro- « cher avec un sincère et parfait attachement à l'ª Eglise. Elle est le corps «de Jésus-Christ : il faut être *incorporé* Λ l'*Eglise,* pour l'être au «Sauveur». Bossuet, Méditations sur l'Evangile, *la Cène,* 55.'"· jour.

aliis sententiis quae huic propositioni lucem afferunt, sensum esse huiusmodi : Nisi sumpseritis hoc sacramentum, quod est tum caro mea sub specie panis, tum sanguis meus sub specie vini, non habebitis vitam in vobis : ita scilicet ut praeceptiva locutio nos alliget, non tam materiali sumptioni utriusque speciei, quam ipsi substantiae Salvatoris quae indiscriminatim sub alterutra continetur il). Nec tamen frustra insistit Christus contradistinguendo manducationem carnis a potu sanguinis, quia per hunc loquendi modum inculcat mysterium cruentae passionis, cuius est Eucharistia memoriale et imago, significans se daturum fidelibus substantiam suam quasi obsignatam nota et charactere mortis suae (2): corpus videlicet sacramentaliter separatum a sanguine et sanguinem sacramentaliter separatum a corpore, ut unusquisque

(1) Ad rem Bellarminus, de Euchar. l. 4, c. 25: « Hebraei ut plu-«rimum simplicem coniunctionem ponunt, cum tamen subintelligant ne-« gationem praecedentem... Caeterum, ut dixi, interpretes non raro imi-« tantur phrasim hebraicam, et hoc modo verba Domini hebraice vel «syriace a Domino pronuntiata loannes quidem graece scripsit, sed «phrasim hebraicam servare potuit, ut hic sit sensus: *Nisi manduca-« veritis carnem Filii hominis, et nisi biberitis eius sanguinem,* id est, «si neque manducaveritis, neque biberitis, etc.».

(2) « Pourquoi a-t-il sépare dans sa parole ce corps et ce sang qu'il « ne voulait séparer effectivement quae durant le peu de temps qu'il fut «au tombeau, si ce n'est pour nous faire entendre ainsi, que ce corps «et ce sang dont il nous nourrit et nous vivifie, n'en auraient point la « vertu, s'ils n' avaient une fois été actuellement séparés, et si cette sé-« paration n'avait causé au Sauveur la mort violente qui l'a rendu notre «victime? Si bien que la vertu de ce corps et de ce sang venant de «sa mort, il a voulu conserver l'image de cette mort, quand il nous les « a donnés dans sa sainte Cène, et par une si vive représentation nous «tenir toujours attachés à la cause de notre salut, c'est-à-dire, au sa-«crifice de la croix. Selon cette doctrine, nous devions avoir sous une « image de mort notre victime vivante : autrement nous ne serions pas «vivifiés. Jésus-Christ nous dit encore à la sainte table: *Je suis vivant, « mais j'ai été mort,* et vivant en effet, je porte seulement sur moi «l'image de la mort que j'ai endurée. C'est aussi par là que je vivifie «parce que par la figure de ma mort une fois soufferte, j'introduis «ceux qui croient, à la vie que je possède éternellement». Bossuet Traité de la communion sous les deux espèces. Part. 2, c. 9.

nostrum ad sacram semper mensam accedat quasi ad victimam e cruce pendentem, et ad aperturam sacratissimi lateris, « pas· « sioni Domini communicando, inquit Augustinus, et suaviter « atque utiliter recondendo in memoria, quod pro nobis caro «eius crucifixa et vulnerata sit». Sed sive unam sive utramque speciem quis accipiat, semper mysterium hoc adimplet et annuntiat Domini mortem, quia semper accipit corpus Christi separatim a sanguine consecratum, in commemorationem cruentae oblationis eius.

Animadvertes demum Tridentinum consulto dixisse, *nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam solam speciem accipiunt* fl), quia noluit dirimere controversiam inter catholicos exsistentem : an scilicet tam fructuosa sit communio sub sola specie panis, quam sub utraque simul. Consequenter autem ad ea quae initio huius tractatus dicta sunt, concludimus sumptionem unius speciei non solum ad salutem sufficere, verum etiam afferre communicanti integralem effectum sacramenti.

§ 6·

De adoratione debita huic sanctissimo sacramento. Ad quaestionem de usu sacramenti quodammodo reducitur quaestio de eius adoratione, quia adoratio debet usum antecedere et concomitari. Specialis est autem in hac parte Lutheranorum error quem solemni anathemate reprobavit Tridentinum, Sess. XIII, can. 6 (Denzinger 888) : « Si quis dixerit in sancto Eucharistiae « sacramento, Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu « latriae etiam externo adorandum ; atque ideo non festiva pe- « culiari celebritate venerandum..., vel non publice, ut adore- « tur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras, « anathema sit ».

Sane vero pudet ad argumenta descendere, praesertim cum iis qui videre non valent qua ratione adorationis debitum ad realem praesentiam consequatur. Quod enim dicunt non esse adorandum sacramentum, quia fuit a Domino ut sumatur insti-

f Trid. Sess. XXI, cap. 3 (Denzinger 931).

tutum, purum sophisma est. Numquid adoratio impedit aut exdudit usum? Imo vero, ideo vel magis adorandus in Eucharistia Christus, quia in ea propter nos praesens est, totus in usus nostros impensus.

Nunc autem, si diserta antiquitatis testimonia requirant: illius dico antiquitatis in qua ex ipsorum confessione ab idololatriae labe adhuc pura erat Ecclesia, audiant Cyrillum Hierosolymitanum, cateches. mystag. 5, n. 21, 22 neophytos instruentem de modo quo ad communionem accedere debent (P. G. 33, 1123 sq.): * Adiens « igitur, ne expansis manuum volis, neque disiunctis digitis accede, sed *sinistram velut thronum subiiciens dexterae, utpote « Regem suscepturae,* et concava manu suscipe corpus Christi, «respondens: Arnen. Postquam autem caute oculos tuos sancti « corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans ne « quid ex eo tibi depereat: quod enim intercidere patieris, id « tibi tamquam ex propriis membris diminutum puta... Tum vero « post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis « poculum, non extendens manus, *sed pronus, et adorationis ac « venerationis in modum,* dicens amen, sanctificeris, ex sanguine « Christi quoque sumens... Postremo expectans orationem, gratias « age Deo qui te tantis mysteriis impertire dignatus est ».

Audiant Augustinum, Enarrat, in Psalm, 98, n. 9 (P. L. 37, 1264), exponentem quomodo adorari debeat scabellum pedum Domini: «Sed videte, fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco « Scripturarum dicitur: *Caelum mihi sedes est, terra autem sta« bellum pedum meorum.* Ergo terram nos iubet adorare, quia « dixit alio loco quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo ado« rabimus terram, cum dicat aperte Scriptura: *Dominum Deum « tuum adorabis?* Et hic dicit: *Adorate scabellum pedum eius;* «exponens autem mihi quod sit scabellum pedum eius dicit: « *Terra autem scabellum pedum meorum.* Anceps factus sum; ti« meo adorare terram ne damnet me qui fecit caelum et terram, « rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia «Psalmus mihi dicit: *Adorate scabellum pedum eius*». Eadem ergo veneranda scrupulositate tenebatur Augustinus; qua se retentos dicunt Protestantes: periculum enim idololatriae est. Igitur at-

tend· solutionem, qua nihil expressius: «Fluctuans, pergit Au-
« gustinus, converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic,
« et invenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum
« eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est,
« et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic
« ambulavit, *et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem*
v dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius ado-
« ravei it : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum
« pedum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed
« peccemus non adorando ». — Praeiverat et Ambrosius in eadem interpretatione verborum Psalmi ; ait enim I. 3 de Spir. Sanet., n. 79(P. L. 16, 794): «Itaque per scabellum terra intelligi-
« tur, per terram autem caro Christi, *quam hodieque in mysteriis*
« adoramus, et quam apostoli in Domino Iesu, ut supra dixi-
« mus, adorarunt».

Audiant denique Hieronymum asserentem, tantam esse venerationem exhibendam corpori et sanguini Christi sub speciebus sacramenti, ut etiam ad sacra vasa et caetera utensilia quae celebrationi mysteriorum deserviunt, sese debeat extendere. Ait enim epist. 114, n. 2, ad Theophilum (P. L. 22, 934): «Mirati sumus in
« opere tuo utilitatem omnium ecclesiarum, ut discant qui ignorant.
« qua debeant veneratione Sancta suscipere, et altaris Christi
« ministerio deservire, sacrosque calices ut sancta velamina et
« caetera quae ad cultum Dominicae pertinent passionis, non
« quasi inania et sensu carentia sanctimoniam non habere ; sed
« ex consortio corporis et sanguinis Domini, eadem qua corpus
« eius et sanguis maiestate veneranda » (').

(') « Il n'y a personne parmi nous, tant soit peu touché *des sen-*
« timents de piété, qui à la vue du sacré calice, de la patène, et des
« linges où il voit tous les jours Jésus-Christ posé, ne se souvienne â
« quoi ils touchent, et ne soit porté par ce souvenir à faire paraître
«quelque marque et comme une effusion du respect qu'il sent pour
«Jésus-Christ. Les Pères, avec qui la foi de la présence réelle nous
« est commune, ont senti le même respect, et les protestants qui ont
«éteint cette foi. ne sentent rien». Bossuet, Explication *de* quelques
« difficultés, etc., n. 35·

Nunc igitur, tam expressis testimoniis posthabitis, nihil iuvat inquirere, quandonam inceperit ritus elevationis in missa, vel etiam an genuflexione, an prostratione, an simplici corporis inclinatione veteres christiani ad sacram mensam accedentes Eucharistiam adoraverint, etc., etc. Constat enim, naturam adorationis ex materialitate ritus minime posse discerni. Genuflectimus coram Christo, genuflectimus coram pontifice : numquid forte eadem intentione? Numquid idololatriae reos dicent patriarchas vel sanctos viros Veteris Testamenti, quia leguntur eadem materialia venerationis signa exibuisse Deo, et angelis sibi apparentibus, et prophetis, et arcae foederis, et regibus, et caeteris qui qualibet divinae potestatis partecipatione excellebant ? Sine difficultate ergo fatemur, ritum elevationis quo nunc celebrans statim post consecrationem hostiam populo ostendit adorandam, non ita antiquum esse ; videtur enim introductus tempore haeresis Berengarii in specialem detestationem illius erroris, in reparationem iniuriae illatae sacramento, in professionem magis magisque expressam fidei catholicae, prout rerum adiuncta ferebant. Fatemur etiam veteres christianos in ipso actu communicandi, stantes fuisse, et non genuflexos. Sed haec praeter quaestionem sunt, cum nequaquam dubium esse possit an suprema adoratio, id est adoratio latriae, fuerit ab initio delata sanctissimae Eucharistiae.

Certe Augustinus loco superius citato expresse loquitur de ea adoratione de qua scriptum est : *Dominum Deum tuum adorabis,* de ea adoratione quae sine impietate non potest deferri terrae, sed ei solum qui fecit caelum et terram : nunc autem, quia aliqua terra est pertinens ad personam Filii Dei per quem omnia facta sunt, ideo in eius hypostasi adoratione suprema recte adoratur. Et haec adoratio est quae, Augustino teste, secundum universalis Ecclesiae ritum et omnium Christianorum consuetudinem deferebatur carni Christi prout in sacramento nobis exhibitae : quandoquidem, inquit, nemo illam carnem manducat nisi prius adoraverit, et non solum non peccat peccato idololatriae adorando, verum peccaret peccato impietatis non adorando. *Ideo,* concludit Augustinus, *et ad terram quamlibet*

cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intueari., id est non quasi nudam carnem, *sed illum Sanctum cuius pedum scabellum est quod adoras,* id est, personam Verbi cui caro illa secundum subsistentiam est unita; *propter ipsum enim adoras.* quia ipse Filius Dei est qui cum propria ipsius carne semper adoratur. Certe Ambrosius ubi supra, referens illud Matthaei XXVIII-16-17 : «Undecim discipuli abierunt in Galilaeam, « in montem ubi constituerat illis Iesus, et videntes eum ado- « raverunt », non aliam intelligit adorationem, nisi eam quam nemo Ariana vel Nestoriana labe non infectus, negabit deberi Christo. Porro eamdem ipsam testatur, *hodieque carni Christi in mvsteriis* exhiberi. Quid plura? Nonne adoratio suprema aequivalenter inculcatur a Cyrillo, ubi monet fidelem cum quanta reverentia in modum throni debet extendere manum quae est susceptura *Regem,* et quam diligenter ei cavendum est ne minimam particulam sinat excidere : *Quod enim intercidere patieris,* inquit, *id tibi tamquam ex propriis membris diminutum puta.* Nonne demum testatur Theodoretus in superioribus iam recitatus, adorari sacra symbola, non ut symbola, sed *ut quae illa sunt quae facta esse creduntur ?* Creduntur autem facta corpus et sanguis Christi, scilicet res adoratione suprema adorabilis, propter personalem unionem ad Verbum (·).

(·) Licet ergo concludere cum Bossuetio, Méditations sur Γ Evangile, la Cène, 56*"" jour : « Allons de ce pas adorer Jésus qui repose «sur l'autel. Ah! c'est lâ qu'on me le garde: c'est de là qu'on me « Γ apportera un jour en viatique pour me faire heureusement passer «de cette vie à l'autre. Pain des voyageurs, qui serez un jour le pain «des compréhenseurs, le pain de ceux qui vivront dans la celeste pa- « trie, je vous adore ; je crois en vous ; je vous désire ; je vous dévore «en esprit; vous êtes ma nourriture, vous êtes ma vie».

DE SACRIFICIO MISSAE

Quaest. LXXX1I-LXXXIII.

Singulari modo, prae omnibus aliis sacramentis, ad divinum cultum pertinet Eucharistia, in quantum est Ecclesiae sacrificium. Et hoc restat in ultima parte tractatus exponendum, praemissis in antecessum iis quae scienda sunt de notione sacrificii in communi.

De sacrificio, prout est principalis actus exterior religionis ex naturalis legis dictamine praescriptus.

Praesupponitur primo, cultum Dei esse de iure naturae et esse actum specialis virtutis, *religionis* videlicet, cuius obiectum formale est honestas relucens in hoc quod Deo debitus honor exhibeatur. In quo tamen notare oportet, duplici modo contingere ut actus aliquis ad virtutem religionis pertineat: *imperative* tantum, vel *elicitive*. Nam virtus religionis potest imperare sive ordinare in divinam reverentiam actus aliarum virtutum qui tunc, praeter suam honestatem propriam, quodammodo etiam speciem religionis consequuntur, utpote imperative ab ea procedentes. Elicitive vero ad praedictam virtutem pertinent illi soli actus, qui non habent ex alio laudem nisi quia propter divinam reverentiam fiunt, et isti sunt qui considerantur in praesenti (1). — Prae-

(1) Ad rem S. Thomas, 2-2, Quaest. 81, a. 1, ad ium: «Religio habet duplices actus : quosdam quidem proprios et immediatos *quos elicit*, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare,

supponitur secundo, cultum praescribi tum internum tum externum ; itcmque cultum externum debere esse ex naturalis iuris praescripto, non modo privatum, sed et socialem ac publicum, eo quod homo naturaliter ordinatur ad societatem tam civilem quam religiosam, ut possit assequi ultimum finem totius humanae vitae qui solus Deus est. Unde et dictamen rationis in hac re sufficienter attestatur consensus gentium ab initio.

Ilis igitur ex ethica naturali praeacceptis, facili negotio demonstrari possunt sequentes propositiones.

I. — Iure naturae praescribitur aliquis actus cultus publici, specialiter significans honorem debitum soli Deo. eique ita exclusive reservatus, ut nemini alteri possit deferri quantumvis alia intentione ; huiusmodi autem cultus dicitur sacrificium, quasi sacrum factum per excellentiam.

Primum argumentum est quia si excellentia personae colendae ordine differt ab excellentia caeterorum, debent ei reservari propria quaedam atque incommunicabilia honoris signa : recta enim ratio cultus externi in hoc consistit, ut per exteriores reverentiae testificationes unumquemque in suo veluti gradu collocemus. Ergo in divina religione, praeter signa honoris communia quae creaturis etiam exhiberi possunt, licet alia intentione quam Deo, oportet esse quemdam exteriorem cultum *omni ex parte reservatum, per* quem exprimatur honor soli Deo debitus, secundum quod ipse est principium et finis omnium rerum, supremus Dominus ac Rector cunctorum quae ab eo esse par-

net alia huiusmodi. Aiios autem actus habet quos producit mediantibus « virtutibus quibus *imfierat,* ordinans eos ad divinam reverentiam... Et se- • eundum hoc actus religionis per modum imperii ponitur esse, *visitare •pupillos et viduas in tribulatione eorum,* quod est actus elicitus a mi- « sericordia ; *immaculatum autem se custodire ab hoc saeculo,* imperative «quidem est religionis, elicitive autem temperantiae, vel alicuius huius- « modi virtutis». — Et infra, Quaest. 85, a. 3 in corp., assignans propriam rationem actuum quos *elicit* religio : «Sunt, inquit, quidam actus *« qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam di- «vittam;* et isti actus... pertinent (elicitive) ad virtutrm religionis ».

ticipant. Et si insuper consideres id quod de necessitate cultus publici mox praemissum est, recte concludes, naturali lege praescribi publicam ac reservatam caeremoniam qua homo honoret Deum tamquam suae creationis principium, suae operationis auctorem, et suae beatitudinis finem (l). Confirmatur etiam ex iis quae secundum rectum ordinem in omni societate bene constituta fiunt. Proportionaliter enim se habet respublica universi sub rectore Deo, sicut societas spiritualis sub Pontifice, politica sub Rege, etc. Atqui, ait Angelicus, 2-2, Quaest. 85, a. 2, « hoc videmus in omni republica observari, quod summum re« ctorem aliquo signo singulari honorant, quod cuicumque alteri « deferretur, esset crimen laesae maiestatis». Et iste est singularis ac reservatus cultus de quo loquens Augustinus l. 8 de civit. Dei, cap. ult. (P. L. 41, 255), dicit: «Non constituimus martyri« bus templa, sacerdotia, et sacrificia, quoniam non ipsi, sed Deus « eorum nobis est Deus. Unde sacerdos non dicit, offero tibi «sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis « gratias agimus, et nos ad imitationem eorum adhortamur ».

Alterum adhuc argumentum esse potest, quia cultus externus ac publicus ordinatur ad hoc, ut per sensibilia aestimatio vera de Deo in nobis firmetur, et anima hominis excitetur in specialem Dei reverentiam. Ad utrumque autem horum requiritur aliquis cultus reservatus et incommunicabilis. Requiritur ad primum ; non enim per sensibiles ritus firmaretur in homine vera de Deo existimatio, (quod scilicet sit super omnia quae praeter ipsum sunt vel concipi possunt, ineffabiliter excelsus), si non exhiberetur ei in genere externi honoris aliquid omnino singulare et reservatum. Requiritur etiam ad secundum, et ex consequentia necessaria, quia singularis reverentia erga Deum naturaliter enascitur ex interiori aestimatione de supereminenti divinitatis excellentia. Itaque ad digne cogitandum de summo rerum principio cui summa submissio debita est, debet animus hominis excitari per hoc, quod ei cultum exteriorem defert qui(*)

(*) Cf. l. 3 contr. Gentes, c. 120.

nulli alii qualibet ratione et modo communicari possit Et huiusmodi ultum *sacrificium* (l) nominamus.

Hinc iam concluditur contra Protestantes. Neque enim ibi esse potest religio vera, ubi deest id quod ad Dei cultum ipsa lex naturalis praescribit, nam sicut gratia non destruit naturam sed perficit eam, ita lex revelata naturalem legem profecto non abrogat. Et nota iam ab initio confusionem quam faciunt inter sacrificium simpliciter et sacrificium satisfactorium pro peccato, quasi satisfactio esset de ratione et essentia sacrificii in quantum huiusmodi. Inde enim procedit famosum argumentum quod sub alia vel altera forma contra catholicum dogma ubique opponunt. Quippe, cum ex Scripturis acceperint unam fuisse oblationem qua Christus pro peccatis nostris satisfecit et nostrae redemptionis pretium solvit, hinc putant se iure meritoque explodere iuge illud Novae Legis sacrificium quod iam ab antiquo Malachias futurum praenuntiabat. Sed in hoc egregie decipiuntur, tuirf quia non distinguunt inter satisfactionem ipsam et applicationem eius, tum quia, *{quod maxime in praesenti notandum venit),* non attendunt quod propitiatio pro peccato, quacumque tandem ratione accipiatur, accidit sacrificio in suis essentialibus notis considerato. Sacrificium enim est essentialiter et primario latreuticum, id est. ad colendum Deum eo cultu qui semper requiritur ex hoc solo(*)

(*) Hoc nomem *sacrificium* duobus modis sumi potest. – Primo, determinate *proprincipali actu cultus externi,* et in hoc sensu quidquid est praeter exteriorem cultum mox declarandum, non debet dici verum ac proprie dictum sacrificium, — Secundo sumi potest *pro omni actu quo debitam reverentiam exhibemus Deo.* — *Hoc* modo est nomen analogum, et ita quidem ut analogum princeps sit ipse cultus interior, analogum vero minus, visibile sacrificium quod est signum interioris et medium ad eius conservationem. Quia igitur in hac acceptione sacrificium exterius attribuitur cultui interno ut principali, (non enim habet rationem religiosi actus nisi per ordinem ad ipsum), recte tunc dicitur sacrificium interius esse verum sacrificium, sicut si dicerem *quod solus* Deus vere est, quia alia omnia non sunt nisi per participationem ab eo. In hoc sensu saepe loquitur Augustinus, puta cum l. 10 de civit., c. 6, (P. L. 41, *383), ait verum* sacrificium esse omne opus quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo, et *alia eiusmodi.*

quod ipse est creator noster, nos autem creaturae eius. Unde, etsi contingeret ut per unum expiatorium sacrificium omni ex parte extingueretur debitum peccati, adhuc tamen remaneret sacrificium iugiter atque ordinario celebrandum pro debito servitutis. — Sed iam ad distinctiorem analysim essentiae saciificii veniendum est; et primo quidem, in quo genere collocandum sit declarare oportet. Hinc :

II. — Sacrificium secundum se est in genere signi et licet requirat positivam institutionem, non tamen esse potest pure ad placitum, sed habere debet quamdam symbolicam similitudinem cum interiori sacrificio significando, sicut per ordinem ad sanctificationem nostram dictum est de sacramento.

Sacrificium, inquam, est in genere signi. Etenim sacrificium *prout nunc dc sacrificio loquimur,* est quaedam actio externa quae non habet ex alio laudem nisi quia fit propter divinam reverentiam. Sed actio exterior non habens ex alio laudem nisi quia fit propter divinam reverentiam, eo ipso in genere signi esse perhibetur ; nam alias, absolute sumpta, in quantum est quaedam materialis caeremonia, nihil in se habere potest quod ad Dei honorem pertineat, sicut apparet in occisione vituli, in combustione thuris, et aliis similibus. Tota ergo honoris ratio in significatione consistit, scilicet quia per talem actum homo exprimit interiorem adorationis affectum quo se totaliter devovet ac submittit Deo. Hoc est quod multis rationibus demonstrat et urget Augustinus, l. io de civitate Qei, cap. 5, 6, et 19: «Quis, inquit cap. 5, ita desipiat, ut existimet aliquibus «usibus Dei esse necessaria, quae in sacrificiis offeruntur... Non « solum igitur pecore vel qualibet alia re corruptibili atque ter- « rena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deus egere creden- «dus est... Nec quod ab antiquis Patribus talia sacrificia facta « sunt in victimis pecorum, quae nunc Dei populus legit sed non « facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse « significatas, quae aguntur in nobis ad hoc ut inhaereamus « Deo. *Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramen- «tum, id esi, sacrum signum esi».* Id confirmat Augustinus

plurimis argumentis, et concludit dicens . « *Illud quod ah omni* « *appellatur sacrificium* (hoc est, sacrificium externum et « visibile) *signum est veri sacrificii* (interioris scilicet, quod eo « sen-j verum sacrificium vocat, qui supra fuit explicatu»; ». Rursus, cap. 19, explicans quae ratio sit visibilis sacrificii quod uni ro et invisibili Deo offerri docet vera religio, sacrificia visibilia signa invisibilium esse dicit *sicut verba sonantia signa sunt rerum.* «Quocirca, ait, sicut orantes atque laudantes, ad « eum dirigimus significantes voces cui res ipsas in corde quas « significamus, offerimus : *ita sacrificantes, non alteri visibile « sacrificium offerendum esse noverimus, quam illi cuius in « cordibus nostris invisibile sacrificium nos ifisi esse debemus ».* Bene ergo S. Thomas, 2ª - 2ª Q. 85, art, r, obj. 3 « Augu- « stinus dicit l. 10 de civ. Dei, cap. 5, 6 et 19. quod sacriti- « cia *in quadam significantia offeruntur it.* Cui sententiae ne- dum contradicat, eam expresse confirmat, art. 2 in corp., ubi propriam mentem menti Augustini plane conformem aperiens ait: «Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat au- « tem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrifi- « cium quo anima seipsam offert Deo, secundum illud Psalmistae: « *Sacrificium Deo sfiiritus contribulatus,* quia sicut supra dictum « est, exteriores actus religionis ad interiores ordinantur ». Et hoc est quod in nostra liturgia pulchre exprimitur ad haec verba offertorii: *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamio a te. Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in consfiectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus,* quae quidem intelhguntur de sacrificio invisibili atque interno f1). Nunc autem *signum* huius sacrificii spiritualis est sacrificium exterius praeparatum, de quo statim subiiingit sacerdos : *Veni sanctificator omnific-*

f) *Cf.* Dan. III, 38-40. Verba sunt Azariae in medio fornacis in quam simul cum Anania et Misaele missus luerat a rege Nabuchodono- sor. Orabat autem Deum dicens: « Non est in tempore hoc *(captivitati. « Babylonicae),* princeps et dux et propheta, neque holocaustum neque « sacrificium *(externum scilicet)... Sed in animo contrito et spiritu hu- it* militatis suscipiamur; sicut in holocausto arietum et taurorum, et *sicut* « in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum *iiniernum « utique et spirituale)* in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi ·.

tens, ci'benedic hoc sacrificium tuo sancto η ni praeparatum

Animadvertendum autem quod nunc propria ratio sacrificii exterioris inquiritur, et praescinditur ab aliis formalitatibus quae adiungi possunt, puta expiationis sive satisfactionis pro peccato. Si enim eiusmodi formalitates accedant, sacrificium non est amplius in *solo* genere signi, sed etiam in genere iustae compensationis pro offensa, requirens poenalitatem aliquam perquam peccati debitum extinguatur. Verum haec sunt accessoria sacrificio *in quantum huiusmodi,* et sine his consistit integra eius notio ; quod non satis consideraverunt qui de incruenta oblatione Christi in missa, ea sentiunt quae nullo modo conciliantur sive cum numerica identitate regnantis in caelo et sese offerentis in sacramento, sive cum statu glorioso et impassibili in quo a sua perfectione ac debita integritate amplius removeri omnino nequit.

Nunc autem, ex hoc quod sacrificium in genere signi invenitur, statim consequitur quod requirit positivam institutionem. Etenim in actionibus exterioribus quae ab homine exerceri possunt, nulla est quae ex sola natura sua honorem divinum cum sufficienti determinatione significet. Nec propterea oportet concludere, de iure tantum positivo esse quod homo offerat Deo sacrificia; nemo enim dicet locutionem non esse homini naturalem, ex hoc quod voces non significant nisi ex institutione. Unde S. Thomas, 2-2, Quaest. 85, a. 1, ad 1um : «Oblatio sacrificii in communi est « de lege naturali, et ideo in hoc omnes conveniunt, sed deter- « minatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina, et «ideo in hoc differunt».

Sacrificium tamen non est signum *pure ad placitum* sicut voces. Cuius ratio est, quia connaturale est homini ut per similitudinem sensibilium rerum proficiat ad cognitionem divinorum, et ideo, ut recta aestimatio de Dei excellentia et submissione ei debita in genere humano conservetur, necesse est ut singulare

(l) Haec verba praetermittuntur in Missa praesanctificatorum, non autem illa priora, quia in die Paresceves Ecclesia sacrificium non otlert sed sacrificium interius profecto non cessat.

signu livino honori reservatum, ŝymbolic similitudine exprimat interi ^ em affectum quo tenetur homo sese suo Creatori devovere· Prop ·ı tionaliter ergo hic applicanda sunt quae alias dicta sunt de sacr. nentis per respectum ad significationem gratiae.

III. — Porro singularis ille cultus qui divinitati reservatur, fuit ab initio convenientissime repositus in oblatione rei corporeae ac sensibilis per eiusdem in honorem Dei destructionem sive immolationem. Et haec offerendi ratio, formaliter qua expressiva summae quae debetur Deo adorationis, semper et ubique habita est uti sacrificalis oblationis characteristica. Habuit tamen materialiter loquendo, modalitates valde diversas, pro diversitate sacrificiorum, diversoque praesertim statu religionis, vel ante, vel post Christum, omni iam alia praeter ipsum hostia in perpetuum abrogata.

Tria hic declaratione indigent. Primo quidem quid fuerit de facto ad significandum honorem divinum, inde ab initio determinatum. Secundo, quis sit symbolismus oblationis quae per destructionem rei oblatae perficitur. Tertio, quaenam fuerit in hac parte modalitatum diversitas.

Primum omnium dicendum est quod sacrificium fuit ab initio repositum in quadam oblatione rei exterioris. Illud enim semper fuit sacrificium, quod semper proprie et per se ad munus sacerdotis pertinuit; atqui semper proprium sacerdotis munus fuit *offerre,* iuxta illud Heb, V-i: *Omnis Pontifex... constituitur... ut offerat dona.* Quapropter apud sacros et ecclesiasticos scriptores, pro eodem accipitur sacrificare et offerre; nam. Gen. IV. 3-4, ubi primum mentio fit sacrificii, dicitur Abel obtulisse *de* primogenitis gregis sui, et Gen. XIII, 20-21, legitur *Noe* obtulisse holocausta super altare, et sic de aliis. Verum sacra illa oblatio per aliquam rei oblatae destructionem semper etiam perfecta fuit. Etenim, ut ait Bellarminus I. *l* de Missa, c. 2, hebraice dicitur sacrificium a voce *mactare.* Item graece, θοοια, vel dicitur a id est mactare, vel a nomine Ονμ'αοι , ut Porphyrius contendit apud Eusebium I. i praepar. evang., c. 6: vult enim sacrificia esse dicta ab exhalatione et fumo qui ex combustione sacrificii ascentlit. Unde

Chrysostomus et Theophylactus in c. io 1 Hebraeos, in hoc notant differentiam inter θυσιαν et προσφορὰν. id est sacrificium et simplicem oblationem, quod θυσία dicitur de rebus illis solis quae occiduntur vel aliter consumuntur. Constat etiam ex usu Scripturarum; nam Isaac vere et proprie sacrificandus a patre dicebatur quando Gen. XXII, occidendus et cremandus Domino ducebatur; e contra, Levitae qui Numer. VIII 13-15 offeruntur in munus Domino a filiis Israel, numquam dicuntur sacrificati. Et omnia omnino quae in Scriptura dicuntur sacrificia, necessario destruenda erant: si viventia, per occisionem; si inanimata solida, ut simila et thus et sal, per combustionem ; si liquida, ut sanguis et vinum, per effusionem, iuxta leges caeremoniales quae traduntur Levitic. I-II. Neque his repugnat, concludit Bellarininus, exemplum Melchisedech qui erat sacerdos Dei altissimi, et obtulit panem et vinum, nec tamen legitur oblationem illam destruxisse; nam Scriptura non explicat modum illius sacrificii, sed ex aliis locis colligimus eum more solito sacrificasse, ita ut panem illum et vinum ad honorem Dei vel combusserit, vel effuderit, vel aliquo alio modo peremerit. Cum enim de signo agitur non oportet adeo esse sollicitum, sed quidquid speciem destructionis prae se fert, pro ipsa substantiali rei consumptione non absurde haberi potest.

Nunc autem, quod ritus praedictus naturalem idoneitatem habeat ad significandum invisibile sacrificium quo nosmetipsos Deo devovere tenemur, facile constat. Nam primo, « ex naturali « ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, « offerens eas Deo in signum debitae subiectionis et honoris, se- « eundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt « in recognitionem dominii » Ç1). Insuper, specialis ratio submissionis et reverentiae prout Deum solum et nullum alium respicere potest, optime exprimitur dum fit oblatio per consumptionem existentiae rei oblatae in'honorem eius cui offertur. Huiusmodi enim ritus per se idoneus est ad significandum effectum hominis sese devoventis Creatori suo tamquam ei in cuius obsequio dignum est(*)

(*) S. Thom., 2-2, Quaest. 85, a. 1.

ut. tota vita nostra consumatur, et in cuius utilitatem nihil omnino cedere potest, iuxta illud Psalmistae. *Dixi Domino, Dens meus* v *tit, quoniam bonorum meorum non eges (r).*

Caeterum, quia significandi gratia introducta fuit sacrificalis illa destructio, sat magnam habuit, vel ab initio, modalitatis latitudinem. Re enim vera, non sola apud antiquos valebat destructio formalis, velut cum res oblata igne vel ferro perimebatur, verum etiam destructio aequivalens, sicut cum liquor in libaminibus effusus, ad nihil saltem utilitatis redigebatur. In novo autem testamento, omnibus aliis hostiis praeter unicam illam in cruce semel cruente oblatam et in perpetuum acceptatam, a Deo repudiatis, cruentae immolationi successit immolatio mystica, quae scilicet absque ulla oblatae victimae deteriora-tione, sub sola specie sacramenti peragitur; quae etiam, qua ratione fundamentalem illam quam diximus, sacrificiorum signi ficationem ad peifectum adduxerit, nondum huius loci est declarare. Adhuc enim generalibus considerationibus insistimus, et statim videndum est, a quo debeat sacrificium offerri.

IV. — De necessitate sacrificii est ut a persona fungente publica apud Deum legatione offeratur; quo fit ut sacrificium et sacerdotium sibi mutuo ut duo correlativa respondeant.

Id facile demonstratur, quia si sacrificium est de sui ratione cultus publicus ac 'solemnis nomine communitatis Deo exhibitus, uti supra declaravimus, profecto oportet ut offeratur a persona(*)

(*) Unde iam intelliges quod in sacrificio, oblatio et immolatio non sunt duo inter se realiter distincta, quia immolatio seu destructio importat praecise eam quae sacrificio propria est, distinctivam oblationis rationem: rationem dico, per quam oblatio sacrifica ponitur extra numerum oblationum quae hominibus fiunt, et determinatur ad significandum honorem soli Deo debitum, eique *soli* reservatum. Quapropter, tam apud profanos quam apud ecclesiasticos auctores, idem *prorsus* sonat, victimam *offerre et* victimam *immolare. Sed* et Concilium Tridentinum, ubi doctrinam de sacrificio *explicat, pro synonymis* habet in subiecta materia, duo haec verba *offerre* et *immolare,* unum pro altero indifferenter usurpans, ut videre est, Sess. 22, cap. i® et 2® (Denzinger 93.8-40).

pubblica ad hoc constituta. Unde Bellarminns l. i de Missa, c. 2: « Non enim est cuiusque offerre sacrificium, sed publici et certi «hominis qui communi nomine id peragat. In lege quidem na- « turae sacerdotes erant capita familiarum, ut Noe, Abraham, etc. « In lege autem scripta soli filii Aaron. In lege gratiae soli epi- « scopi et presbyteri rite ordinati... Atque hinc etiam excluduntur « a ratione sacrificii proprie dicti multae oblationes privatorum « hominum factae soli Deo, ut cum fideles candelas accendunt et «consumunt in templo ad honorem Dei ». Nunc igitur, cum persona fungens publica legatione apud Deum, *sacerdotis* nomine vocetur, sequitur sacerdotium et sacrificium esse quaedam correlativa, nec posse concipi unum sine ordine ad alterum. Quare Tridentinum, Sess. XXIII, cap. 1 (Denz. 957): «Sacrificium et sacerdo- « tiuin ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege «exstiterit. Cum igitur in novo Testamento, sanctissimae Eucha- « ristiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ec- « clesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile «et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est».

Itaque de institutione sacerdotii ratiocinandum est non secus ac de institutione sacrificii. Sacerdotium quippe in communi spectatum, de iure naturae est, et sicut in statu naturae purae determinatio sacrificiorum haberetur ex institutione pubblica, sed mere humana, ita determinatio personarum fungentium sacerdotio esset ex iisdem naturalibus causis quibus nunc determinatur subiectum potestatis politicae. Verum, ex quo in religione supernaturali seu revelata sacrificiorum institutionem Deus sibi reservavit, sacerdotii investituram pariter reservatam esse voluit. Unde Heb. V, 1-4 : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro «hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat « dona et sacrificia pro peccatis... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron ». Ubi Apostolus dicens, *neminem sumere sibi honorem,* absolute significat neminem posse sua privata auctoritate sacerdotem institui. Cum autem addit, *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron,* non absolutam, sed hypotheticam, in praesenti ordine et statu religionis revelatae, divinae investiturae necessitatem signat. Quae quidem

investitura facta est in veteri lege, quando Deus semel pro semper filio- Aaron designavit ut in altaris ministerio sibi deservirent ; in lege autem nova fit per speciale sacramentum et collatione›› sacri characteris, adeoque non mediante generatione carnali, sed per operationem Spiritus Sancti.

V. — Sacrificium convenit cum sacramento, quatenus quoddam sacrum signum est. Differt, quatenus sacramentum est signum causarum sanctificationis nostrae, sacrificium vero signum interioris cultus. Et hinc sequuntur aliae differentiae in eo consistentes quod sacramenta nec sunt de iure naturae, nec possunt esse institutionis humanae, nec necessario et semper a sacerdote conficiuntur, nec demum efficaciam habent per modum impetrationis sicut sacrificium, sed per modum efficientiae.

Omnia fere constant ex dictis tum in praesenti, tum in praevia disputatione de sacramentis in communi.

Circa tertiam differentiam nota quod ministrans sacramentum se habet ut Dei instrumentum ad sanctificationis effectum : instrumentum autem Dei in quantum huiusmodi non est necessario persona publica, communitatem repraesentans. Unde videmus quod baptismi minister potest esse quilibet homo, sive cristianus, sive infidelis ; videmus etiam quod ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes, qui profecto qua tales personae publicae non sunt. Addendum tamen, debuisse omnino sacramenta institui a Deo dispensanda *regulariter* per sacerdotes, (si unum matrimonium excipias propter specialem eius conditionem): ut scilicet per eamdem viam descenderent Dei dona ad homines, per quam ascendunt hominum vota ad Deum, et servaretur pulcherrimus ille *ordo* quo divina Providentia suaviter disponit omnia, perducens ad suos fines infima per media et media per summa. Aliunde vero quaedam sacramenta sunt, quae ex peculiari sua indole sacerdotale ministerium evidenter exigunt, puta sacramentum Poenitentiae per modum iudicii institutum, itemque sacramenta Confirmationis et Ordinis quibus distribuuntur gradus et officia in Ecclesia Christi ; hoc enim non ad alios pertinere potest quam ad principes civitatis. Quare, licet de essentia sacerdotii in genere

non sit nisi deputatio ad sacrificium offerendum, debuit ei adiungi in praesenti ordine officium ministrandi sacramenta, ut de sacerdote quoque verificetur illud Genes. XXVIII-12: «Et vidit in «somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens « caelos, angelos quoque Dei *ascendentes et descendentes* per eam ». Ascendit quippe sacerdos ab hominibus ad Deum cum sacrificium offert, descendit a Deo ad homines cum ministrat sacramenta.

Denique quoad ultimam differentiam, observa multum differre rationem efficaciae quae consideratur in sacramentis, ab ea quae consideratur in sacrificio. Nam cum sacramentum sit quoddam signum practicum sanctificationis et gratiae, respicit ut terminum *hominem sanctificandum;* et quia homo non santificatur nisi quatenus in eo aliquid producitur ad quod propria sacramenti virtus non pertingit, oportet ut sacramenti efficacia sit per modum instrumentalis efficientiae. Sed cum sacrificium sit signum adorationis et cultus, respicit ut terminum *Deum colendum;* et quia Deus non colitur per hoc quod aliquid in ipso efficitur, impossibile est ut efficacia sacrificii qua talis sit in genere efficientiae, sed si quis effectum consequatur, nonnisi per modum impetrationis: quatenus oblatione sacrificii, tamquam exercita quadam imploratione suae beneficentiae exoratus Dominus, « gratiam et donum « poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia di« mittit », ut docet Tridentinum, Sess. XXII, cap. 2 (Denz. 940).

Non quod sacrificium sit instrumentum quo Deus sanctificam tem gratiam hominibus confert, sed quia per sacrificium obtinet homo a Deo actualis gratiae donum quo se ad iustificationem disponat. Uno verbo sacrificium influit ut oratio; et ideo, sicut dicuntur orationes ad Deum ascendere, ita et sacrificia. Sic de sacrificio Manue, ludie. XIII, 19-20, legitur: «Tulit itaque Manue haedum de « capris, et libamenta, et posuit super petram offerens Domino qui « facit mirabilia... *Cumque ascenderetflamma altaris in coelum, an« gelus Domini pariter in flamma ascendit* ». Sic nos quoque in oblatione calicis dicimus: Offerimus tibi Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae Maiestatis tuae... *cum odore suavitatis ascendat.*

Ex dictis intelliges, sacrificium posse describi: Oblatio

per modum immolationis a sacerdote Deo facta, in signum legitime institutum honoris et reverentiae quam homo debet creatori suo. — Intelliges praeterea, sacrificium esse quoddam essentiale constitutivum cultus religiosi; unde in sacra historia videmus sacrificia cum ipsa religione nata esse et cum illa extingui, ut bene ostendit Bellarminus l. i de Missa, c. 20. — Intelliges demum, tempus sacrificio offerendo idoneum non esse nisi tempus viae, tum quia in beatitudine omnes immediate Deo coniungentur, et non indigebunt externo medio ad communicandum cum eo, tum quia quae nunc nobis est necessitas interiorem cultum per ritus symbolicos significandi, tunc evacuatis umbris, amplius non erit (*).

§ 2.

De divisione sacrificiorum.

Deinde dicendum est de divisione sacrificiorum, tum ratione finis, tum ratione modi offerendi, tum ratione valoris sive efficaciae.

Equidem omni sacrificio essentialis est significatio interioris latriae qua se homo in Dei servitium devovere profitetur, atque hoc modo finis sacrificii semper est *latreuticus.* Verum, quia oportet

(*) Haec dicta sint contra quosdam *hypermysticos,* qui opinantur missam adhuc in futura gloria fore celebrandam, et sanctos post resurrectionem sacramento corporis Christi esse cibandos. Sed ista, etsi speciem pietatis habeant, sunt tamen contra omnem rationem, et deprimunt nobilitatem futuri illius status ad quem suspirat sponsa *in Cantici,* II-17, dicens: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae,* nam quaecumque signa et velamina sacramentalia pro umbris computantur. Quanto igitur melius auctor Imitationis Christi l. 4, c. 21, n. 2: « Me oportet contentum esse « in lumine verae lidei, et in ea ambulare donec aspiret dies aeternae « claritatis, et umbrae figurarum inclinentur. *Cum autem venerit quodper-«fectum est, cessabit usus sacramentorum,* quia beati ingloria caelesti non « egent medicamine sacramentali. Gaudent enim sine fine in praesentia « Dei, et de claritate in claritatem abyssalis Deitatis transformati, gustant « Verbum Dei caro factum, sicut fuit ab initio et manet in aeternum ».

lit in suppositione peccati honor delatus Deo sit testificativus excusationis et poenitentiae, ac per hoc, exhibeatur in finem placandi Numen offensum, ideo in praesenti humani generis conditione necesse est esse sacrificia *propitiatoria.* Denique, cum divinus honor nequeat consistere sine gratiarum actione pro beneficiis acceptis et petitione pro accipiendis, sunt etiam sacrificia *eucharistica* atque *imfietratoria.* Hinc intelligitur divisio antiquorum sacrificiorum in holocaustum, sacrificium pro peccato, et hostiam pacificam, prout una vel altera significatio magis specialiter in singulis generibus attendebatur, et peculiari modo assumebatur unumquodque ad finem adorandi, vel placandi, vel gratias agendi. «Triplex erat, inquit S. Thomas 1-2, Quaest. 102, a. 3 ad S'|™, « sacrificiorum genus. Quoddam erat quod totum comburebatur, <et hoc dicebatur *holocaustum,* quasi totum incensum; huiusmodi « enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam « Maiestatis ipsius, et ideo totum comburebatur, ut sicut totum « animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam si- « gnificaretur totum hominem et omnia quae ipsius sunt, Dei « dominio esse subiecta, et ei esse offerenda. Aliud autem erat « *sacrificium pro peccato,* quo offerebatur Deo ex necessitate « remissionis peccati. Tertium vero sacrificium vocabatur *hostia* «■*pacifica,* quae offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel « pro salute et prosperitate offerentium, ex debito beneficii vel « accipiendi vel accepti ». Sed in Novo Testamento omnes veterum hostiarum differentias una corporis et sanguinis Christi implet oblatio, dicente Tridentino, Sess. XXII, cap. 1 (Denzinger 939): « Haec illa (munda oblatio) est quae per varias sacrificiorum, « naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur, utpote « quae bona omnia per illa significata, velut illorum omnium « consummatio et perfectio complectitur ».

Habito nunc respectu ad offerendi modum, sacrificia dividuntur in *cruenta* et *incruenta.* Cruenta ante Christum, ipsam cultus substantiam fere constituebant, incruenta vero, ut plurimum accidentaliter solum, seu verius accessorie adhibebantur. Rursus incruentum sacrificium dividi debet in illud quo victima offertur *in propria specie,* et illud quo offertur *in specie sacra·*

menti. Primum habetur quando res oblata ex natura sua non est cruentae destructioni idonea, sicut panis, thus, vinum, sal, et alia huiusmodi. Secundum contingit tantum in altissimo Eucharistiae mysterio, ubi formalis immolationis ratio consistit in quadam separatione corporis a sanguine, quae tamen non est nisi penes externum habitum cruentae passionis repraesentativum, in quo sub sacris symbolis panis et vini ipse Agnus Dei offertur Deo. Primo modo sacrificium incruentum non habet specialem idoneitatem ad hoc ut sit propitiatorium pro peccato, quia non exprimit honorem delatum Deo tamquam Domino offenso, cui pro summa iniuria summa debetur fusi sanguinis reparatio. Sed secundo modo vere participat de omnibus formis, quas omnes ad perfectum adduxit, ut paulo supra fuit insinuatum, et infra suis locis explicabitur.

Tandem, quod attinet ad valorem seu efficaciam sacrificiorum, praecipua divisio est in valorem *ex solo opere operantis,* et *ex opere etiam operato.* At vero observandum est consequenter ad superius praemissa, quod locutio *ex opere operato* non eodem modo adhiberi debet quoad sacramenta et quoad sacrificium. Recte quippe dicitur sacramentum operari, producere, efficere, conferre gratiam ex opere operato; et sensus est, sacramentum habere hanc efficientiam, non ex virtute operantis sive conficientis, sed ex virtute instrumental] quae ei inest ab institutione Christi. De sacrificio autem loquens non recte quaereres utrum aliquid efficiat ex opere operato, sed melius, utrum valorem habeat latreuticum vel impetratorium ratione tantum habita devotionis hominum offerentium, an etiam independenter a devotione illa, ex hoc solo quod valide peragitur conformiter ad legem institutionis suae. Quibus suppositis, dico quod sacrificia V. T. in foro quidem externo per se valebant ad tollendas irregularitates et legales immunditias, pro quibus *tollendis* erant a Deo instituta in figuram verae expiationis per Christi *sacrificium* afferendae: in foro vero interno valebant secundum solam devotionem offerentium, applicando nunc generalia principia de actibus externis virtutum qui honestatem suam trahunt ex interiori actu a quo imperantur. In sacrificio vero crucis attenditur valor

omni ex parte infinitus ex opere operant, (luisti. Denique in Missa, praeter valorem ex opere operantium ministrorum qui deesse potest, semper valor inest ex opere operato, quia hoc sacrificium nulla hominum indignitate aut malitia inquinatur, ut dicitur in Tridentino, Sess. XXII, cap. i, et ideo semper est Deo acceptabile ex parte eius qui per ministros suos principaliter offert et offertur.

§ 3·

De proprio sacrificio Novae Legis.

Nunc specialiter dicendum de proprio Novae Legis sacrificio, quia tanta est coniunctio inter unamquamque legem religiosam et externum sacrificium, ut Apostolus non dubitaverit dicere, Heb. VII-12: *Translato sacerdotio,* ac per hoc, sacrificio, *necessc est ut et legis translatio fiat.*

In quo quidem primum omnium observandum venit, aliquod esse sacrificium ad Novam Legem pertinens ut principium eius, id est, ut fons a quo ipsa Nova Lex processit, propriamque sibi gratiam derivavit ; et hoc est sacrificium crucis per quod perfecta fuit nostra redemptio, acquisitusque thesaurus inconsumptibilis, quo qui usi sunt, participes effecti sunt amicitiae Dei. Quapropter non restringitur hoc sacrificium ad legem novam consideratam in eo statu perfecto et consummato quem habuit solum a tempore mortis Christi, sed se extendit usque ad illam inchoationem ac veluti anticipationem quae viguit ab ipso mundi exordio, tam sub lege naturae quam sub lege scripta (1). Ab-initio enim potestas facta est hominibus filios Dei fieri ; ab initio etiam, « quibuscumque fuit lex gratiae indita, secundum hoc ad « Novum Testamentum pertinebant » (2) ; ab initio demum, quotquot iusti fuerunt ante Deum, ob participationem singularis huius sacrificii crucis placuerunt Deo, iustitiamque et salutem consecuti sunt.

(·) Vide supra, de Sacram in comm., Quaest. 60 $ 1.
(·) S. Thom., 1-2, Quaest. 106, a. 1, ad 3™.

Verum alio modo intelligi potest sacrificium ad legem novam perlinere: pro quanto scilicet ipsum sacrificium est quod nova b perpetuo celebrandum indixit, in quo principaliter con sistit · ultus Ecclesiae in Novo Testamento, quodque hac de causa vere et proprie *sacrificium novae legis* audit, utpote illud quo homines sub nova lege existentes colere debent et colunt Deum. Oportet autem ut distinguatur a praecedenti, quia quanto altius eminet sacrificium crucis in ratione principii totius christianae religionis, tanto evidentius excluditur a ratione sacrificii constitutivi cultus Christianorum. Etenim, ut bene arguit Bellarminus l. i de Missa, c. 20: «Sacrificium crucis semel peractum est, ac « deinde desiit esse, neque mansit postea nisi per effectum et « virtutem, ut notum est ; imo nunquam fuit tempore christianae « religionis ; ea enim post Christi mortem proprie coepit. At sa- « crificium proprium religionis debet ipsam perpetuo comitari. « ut supra probatum est. Praeterea, religio quaevis sacrificium « externum ac visibile requirit, ad quod homines illius religionis « peragendum conveniant, et quod ab ipsis frequentari possit. « At nihil eiusmodi in sacrificio crucis reperitur. Est enim respe- « ctu Christianorum invisibile, cum sola fide, non oculis cernatur ; « unde nec ad illud conveniri potest a populis, nec etiamsi cer- « neretur, a populo vel sacerdotibus christianis frequentari pos- ‹ set ; non enim fas esset ut Christum christiani toties interti- « cerent ». Imo vero a solo Christo potuit *offerri, et* nullo modo ab hominibus, cum omne ministerium hominum in eo adhibitum, non solum non habuerit rationem cultus religiosi, sed potius fuerit ex natura rei summum omnium sacrilegium. Si igitur religio exigit sacrificium, quod a cuncto populo per mediatores sacerdotes offeratur ex debito communis servitutis, et in quo ad Deum adorandum pro ratione sui gradus omnes concurrere possint : concludendum sane est, sacrificium novae legis proprie loquendo non esse nisi sacrificium missae, de quo Christus in cruce exsultans dicebat : « Reminiscentur et convertentur ad Do- « minum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius

« universae familiae gentium... Et anima **m**.illi vivet, et semen « meum serviet ipsi » ζl).

Sed nunc, ut melius appareat distinctiva indoles huius sacrificii prout est constitutivum cultus christiani, illudmet comparare iuvat cum oblatione crucis quantum ad illa quatuor quae in omni sacrificio consideranda esse docet Augustinus: « *Cui* offeratur, « *a quo* offeratur, *quid* offeratur, *pro quibus* offeratur » (2). Quoad primum, constat nullam esse posse differentiam. Quoad secundum et tertium, si ipsum Christum offerentem et oblatum respicias, nullum rursus discrimen invenitur: quatenus « una eademque est « hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum « tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa* » (3). Ast, si attendas eos qui in missa coofferunt et coofferuntur, notabilem utique inter utrumque sacrificium invenies differentiam ; ad quam ultimo consequitur, non omnino eosdem esse illos pro quibus oblatio nunc fit in altari Ecclesiae, et pro quibus tunc facta est in cruce, communi ara totius mundi.

Et sane, quantum ad id quod secundo loco in omni sacrificio considerandum dicit Augustinus, scilicet *a quo offeratur*, differentia est in hoc, quod in cruce, secus ac in missa, Christus fuit solus offerens. In ara siquidem crucis, ut alias nunc rationes omittam, semetipsum obtulit, non ut caput Ecclesiae iam constitutae, sed in hunc potius finem ut Ecclesiam sibi acquireret, iuxta illud Eph. V, 24-27 : « Seipsum tradidit... ut exhiberet ipse sibi glo- « riosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut ali- « quid eiusmodi ». Unde, cum actualis hominum cum Christo coniunctio, (in qua coniunctione consistit Ecclesiae ratio), fuerit cruentae oblationis effectus et finis, profecto ordine naturae et causalitatis posterior est, nec potuit ullo modo in hoc sacrificio praesupponi. Sit igitur sacrificium aliud, unici illius sacrificii crucis a progenie in progenies commemorativum, in cuius celebratione suas partes habeat Ecclesia. Non enim venerat in mundum

(*) Psalm. XXI, 28-31.
(*) August. I. 4 de Trinit., c. 14 (P. L. 42, 901).
(·) Trident., Sess. XXII. cap. 2 (Denzinger, 940).

Filius l›'i ut solitariam adorationem Patri redderet, sed ut nos homin' . perfectos secum adoratores in spiritu et veritate constituer···. Sit, inquam, sacrificium aliud, cuius oblatio perficiatur per in ticum corpus unitum Capiti suo. Porro, hoc ipsum est in quo reponitur characteristica missae nota ac propria indoles; offertur enim *tum a Christo, tum a ministro, tum ab integra fidelium ecclesia,* quamvis aliter et aliter. A Christo quidem, tamquam i principali et summo sacerdote qui in ultima coena antequam pateretur et in caelum conscenderet, apostolicae hierarchiae munus contulit administrandi in terris suum sacerdotium et nomine suo sacrificandi usque in saeculi finem. A ministro autem, tamquam a sacerdote vero, sed subordinato et veluti instrumentali. Denique, ab integra fidelium ecclesia tamquam a populo per sacerdotem, iuxta illud quod habetur in canone: *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias.* Quamquam non oporteat eos omnes qui ad Ecclesiam pertinent, eodem modo offerre; nam aliqui offerunt solum habitualiter, illi scilicet qui ad oblationem actu non concurrunt, sed per solam professionem christianitatis communicant cultui qui ubique terrarum Deo exhibetur secundum ritum a Christo institutum; alii vero offerunt etiam actualiter, vel celebrationem procurando, vel sacrificanti ministrando, ve) demum mere assistendo, et quo quisque propius concurrit ad offerendum, eo etiam, caeteris paribus, meliorem titulum habet ad participandum de sacrificii fructu ut dicetur infra.

Sed iam sponte sua sequitur differentia alia, quatenus in missa, secus ac in cruce, mysticum corpus Ecclesiae, sin minus physice, at certe affectu et significatione pertinet *ad id quod offertur.* Quisquis enim in sacrificio offert victimam, offert eam ut vicariam sui, intendens exprimere interiorem submissionem atque absolutam devotionem qua vult ipsemet spiritualiter in Dei honorem consumi. Si ergo, ut dictum est, Ecclesia in missa se habet ut offerens, pariter se habet ut oblata, utique in unione cum Capite suo. « Cuius rei, inquit Augustinus l. to de civit., c. *20 (P. L. 41, 29s)*› «sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae

« sacrificium, quae cum ipsius capitis corpus *' ipsam fier ipsum t. discit ðfferre* Imo intendit Ecclesia ut per oblationem corporis et sanguinis Christi, suimetipsius oblatio semper magis magisque perfecta efficiatur : *Propitius, Domine, quaesumus,* inquit ¶, *haec dona sanctifica, et hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmelipsos tibi perfice munus aeternum.* Haec itaque ratio est cur Christus in sacramento sub iis symbolis immoletur quibus figuratur mysticum corpus quod acquisivit sanguine suo ; nam iuxta multoties iam praemissa, panis et vini species figura sunt societatis fidelium. Haec rursus ratio est cur roget Deum sacerdos ut oblationem habeat acceptam, ut supra illam propitio ac sereno vultu respicere dignetur sicut respexit super munera Abel, Abrahae, et Melchisedech, utque iubeat eam perferri in sublime altare per angeli manus. Nam ista et alia huiusmodi multa quae nobis obiiciunt haeretici, quantum essent inexplicabilia extra principia hactenus declarata, (quis enim ferret Deum rogatum fuisse ab hominibus ut oblationem crucis acceptabilem habuerit?) tantum plena pietatis apparent si quis consideret quod in sacrificio missae, non solus offert et offertur Christus, sed tum in ratione offerentis, tum in ratione rei oblatae, coniungitur Ecclesia cum ipso (2).

(*) Secreta feriae 2 Pentecostes.

(·) « Il reste maintenant à vous expliquer les prières de la liturgie «qu'on vous a fait croire indignes d'une oblation qui serait Jésus-Christ «même. Mais il n' y aura plus de difficulté, si vous songez seulement que «l'Eglise qui offre le pain et le vin pour en faire le corps et le sang, et «qui ensuite offre encore ce corps et ce sang après qu' ils sont consa«crés, ne le fait que pour accomplir une troisième oblation, par laquelle *telle s'offre elle-même.* Le prêtre commence le premier, et à l'exemple « de Jésus-Christ qui a été tout ensemble le sacrificateur et la victime, « il s' offre lui-même avec son oblation : c' est ce que signifie la cérémonie « d'étendre les mains sur les dons sacrés, comme on le fait un peu avant «la consécration. Autrefois dans l'ancienne Loi, on mettait la main sur «la victime, en signe qu'on s'y unissait et qu'on se dévouait à Dieu « avec elle ; c' est ce que témoigne le « prêtre » en mettant ses mains sur «les dons qu' il va consacrer. Tout le peuple pour qui il agit, entre dans « ce sentiment, et le prêtre dit alors au nom de tous : *Nous vous prions, « Seigneur, de recevoir cette oblation de nbtre servitude et de toute votre « famille ;* où nous apprenons non seulement à offrir avec le prêtre les

T indem, quantum ad ultimum quod in omni sacrificio considerari debet, hoc est, *pro quibus offeratur,* differentia est, quia sacritimm crucis pro omnibus fuit a Christo oblatum et a Patre acceptatum, at missa, directe saltem, non offertur nisi pro iis qui fidelium nomine veniunt, utpote ad visibile Ecclesiae corpus pertinentes ; in quo quidem, adhuc magis sacrificii eucharistici propria ac distinctiva indoles sese prodit ac manifestat.

Et hactenus quidem de sacrificio missae sermo fuit, tanquam de sacrificio ab illo quod in cruce oblatum est, adaequate distincto. Nunc autem in oppositum est quod sentiunt plures sese munientes variis locutionibus seu Patrum seu theologorum, ac praesertim auctoritate Catechismi ad parochos, Part. 2, cap. 4, η. 76. Volunt enim sacrificium Christi esse unum, non duplex: quod alii aliter explicant, et non semper ea qua par est dari·

« dons proposés, mais encore à nous offrir nous-mêmes avec eux.. L' an-
« cienne cérémonie où chacun portait lui-même son oblation, c' est-à-dire
«son pain et son vin, pour être offerts à l'autel, confirme cette vérité.
« Car outre qu'offrir *à* Dieu le pain et le vin dont notre vie est soute-
«nue, c'est la lui offrir elle-même comme chose qu'on tient de lui, et
«qu'on veut lui rendre: les saints Pères ont remarqué dans le pain et
• dans le vin un composé de plusieurs grains de blé réduits en un, et
«de la liqueur de plusieurs raisins fondus ensemble; et ils ont regardé
« ce composé comme une figure de tous les fidèles réduits en un seul
«corps pour s' offrir à Dieu en unité d'esprit; ce qui a fait dire Λ Saint
« Augustin, que toute la cité rachetée était le sacrifice éternel de la *Tri-*
« nité sainte... Ainsi l'Eglise fait elle-même une partie de son sacrifice,
« de sorte que ce sacrifice n'aura jamais sa perfection tout entière, qu'il
« ne soit offert par des saints. Voilà une claire résolution de toute la dif-
« fie‖lté, s'il y en avait: car il y a dans ce sacrifice Jésus-Christ qui est
«offert, et il y a l'homme qui l'offre: le sacrifice est toujours agréable
«du côté de Jésus-Christ qui est offert; il pourrait ne l'être pas tou-
«jours de côté de l'homme qui l'offre, puisqu'il ne peut l'offrir digne-
« ment, qu'il ne soit lui-même assez pur pour être offert avec lui, comme
on a vu. Quelle merveille y a-t-il donc, que Γ Eglise demande à Dieu
«qu'il rende notre sacrifice agréable *en tout,* et autant â proportion, du
«côté des fidèles qui le présentent, que du côté de Jésus-Christ qui est
«présenté?». Bossuet, Explication de quelques difficultés, etc., n. 36-37.

fate, nec caeteroqui vacat in praesenti singulos dicendi modos in medium afferre. Sed quoniam in his qtia<- pro hac sentiendi ratione passim adducuntur, praeter plura praeclare et egregie dicta, plura etiam sunt de quibus graves ad minimum videntur esse rationes dubitandi, operae pretium erit, ad huius prolegomeni complementum, hac ipsam de unitate sacrificii Christi quaestionem ad examen breviter revocare. Et ne libera nobis tribuatur divagandi facultas, omne critérium desumere placet ex verbis Tridentini in duobus illis capitulis, primo et secundo Sessionis 22 e, ubi doctrinae de sacrificio missae adeo concinne, ne dicam divine, recapitulata invenitur.

§ 4.

De unitate vel pluralitate sacrificii Christi ex doctrina Tridentini.

Fundamenti loco ponenda sunt ea doctrinae Tridentini puncta, quae ad propositae quaestionis solutionem quoquo modo attinentia, pro fixis et inconcussis haberi debent. Et ad tria sequentia reducuntur.

Primum punctum est: Unum idemque esse, teste Tridentino, quod in coena Domini peractum est, et quod peragitur in missa, adeo ut ad coenam novissimam indubie referenda sit, non modo institutio, sed et prima ac prototypa sacrificii missae celebratio.

Haec propositio in Tridentino hisce terminis enuntiata continetur (Denz. 938): «Is igitur Deus et Dominus noster...in coena « novissima, qua nocte tradebatur..., sacerdotem secundum ordinem « Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et « sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, « ac sub eorumdem rerum symbolis, apostolis quos tunc N. T. « sacerdotes constituebat, eorumque in sacerdotio successoribus, « ut offerrent praecepit per haec verba: Hoc facite in meam « commemorationem ». In quo quidem duo distinguit Trideuti-

num : quod in coena Dominus fecit, et quod discipulis faciendum mandavit. Quod in coena fecit, Concilium enarrat dicens: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.* Quod autem faciendum mandavit, explicat subiiciens : *Apostolis quos tunc N. T. sacerdotes constituebat, eorumqnc in sacerdotio successoribus praecepit ut sub earumdem rerum svmbolis ipsum corpus et sanguinem suum offerrent, et quod se facientem viderant, facerent et ipsi in sui commemorationem.* Tridentino igitur teste, sacrificium quod usque nunc, dominico mandato obsequentes offerimus in missa, ipsissimum est sacrificium quod Dominus instituit, et de facto prior obtulit in coena. Unde iam apparet oblationem coenae habendam esse ut primitias sacrificii missae, minime vero ut partem constitutivam sacrificii crucis, et si qua forte de posteriori huius conclusionis parte adhuc occurreret dubitandi ratio, ex eodem Tridentini loco statim excluditur.

Secundum itaque punctum sit: Oblationem coenae apud Tridentinum, non solum non haberi uti partem sive essentialem sive integralem sacrificii crucis, sed haberi e contra, ut quae ab eo adaequate distincta, ei opponitur sicut repraesentativum repraesentato, sicut memoriale obiecto in perpetuum memorando, sicut id quod in finem usque repetendum ac continuo frequentandum praecipiebatur, ei quod semel tantum erat peragendum, nusquam iterandum.

Ad cuius propositionis demonstrationem facient illa Concilii verba quae superius, melioris intelligentiae ac distinctionis gratia praetermissa sunt : « Is igitur, inquit, Deus et Dominus noster, « etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Pa- « tri oblaturus erat ut aeternam illic redemptionem operaretur, « quia tamen per mortem sacerdotium eius exstinguendum non « erat, in coena novissima, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae. « visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium * quo cruentum illud semel in cruce peragendum rapraesenta- « retur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret....

«corpus et sanguinem suum sub speciebu panis et vini Deo « Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, apostolis.,, «etc.». Ubi notandae veniunt duae conium tiones correlativae J etsi, tamen. Certe coniunctio *etsi* id adducere solet, quod alias obstaculo esset, aut saltem videri posset, ei quod sub correlativo *tamen,* consequenter enuntiatur; adeoque, nonnisi absurde i sub illo *tamen* poneretur id quod se haberet ad antecedens uti eius pars, vel connaturale praeludium, vel necessarium consectarium, atque ita porro. Et sane nusquam diceres exempli gratia: etsi domum aedificaturus, eius tamen fundamenta ieci; vel: etsi mox profecturus, amicis tamen valedixi, aliave his similia. Si ergo Concilium in oblatione coenae agnovisset partem constitutivam, i eamque initialem sacrificii crucis, procul dubio dixisset: Is igitur Deus et Dominus noster, *cum* (vel *quia,* praecise *quia)* seipsum in ara crucis morte intercedente immolaturus erat ut aeternam illic redemptionem operaretur, in coena novissima, qua nocte tradebatur, corpus et sanguinem suum ad hanc ipsam crucis immolationem obtulit ac destinavit, ac semel immolata apostolis ut offerrent praecepit, etc. Nunc autem Concilium dicit: Etsi semel cruente in ara crucis, tamen in coena novissima sub speciebus panis et vini. Omnino ergo prohibet dicendi modus a Tridentino adhibitus ne habeatur oblatio coenae pro parte sive essentiali sive integrali sacrificii crucis, sed unam oblationem alteri oppositam et ab ea adaequate condivisam cogit intelligere.

Tertium tandem punctum assignatur: Non unam tantummodo a Tridentino Christi immolationem agnosci, sed omnino duas, cruentam unam in cruce, incruentam alteram in sacramento.

Et hoc faciliori adhuc negotio expeditur. Ait enim Concilium: « Quoniam in divino hoc sacrificio quod in missa pera« gitur, idem ille Christus continetur *et incruente immolatur,* « qui in ara crucis semel *seipsum cruente obtulit,* docet Sancta «Synodus, etc.». Superius vero, de coena novissima agens dixerat: « Celebrato vetere Pascha quod in memoriam exitus de « Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit « Pascha *seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibili-*

« *bus hnniolandum* in memoriam transitus sui ex hoc mundo « ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, «eripuitque de potestate tenebrarum». Ubi in terminis expressum habes, quod nulla unquam subtilitas, aut infirmare valebit, aut eludere.

Haec itaque tria puncta sunt, e Tridentini doctrina excerpta, unde nunc propositae quaestionis solutionem sumere licet. Ex primo habemus, nihil quoad substantiam differre inter coenae et missae oblationem ; ex secundo, oblationem sacramentalem tam in coena quam in missa ab oblatione crucis adaequate distingui ; ex tertio, esse in missa non secus ac in coena, propriam, distinctivam, et ab illa crucis plane diversam, immolationis rationem. Aperta igitur consequentia est, non idem esse sacrificium missae et sacrificium crucis, sed aliud et aliud, et non solum numerice aliud, verum etiam specifice. Cum enim sacrificium in offerendo consistat, diversificata ratione offerendi, sacrificium etiam diversificetur necesse est. Proinde, si quae passim auctoritates oppositum dicere videbuntur, in eo sensu erunt intelligendae, in quo per sat communem metonymiam sacrificium pro re sacrificata seu victima oblata usurpari solet. Cuiusmodi est procul dubio auctoritas catechismi ad parochos dicentis « Unum « itaque et idem sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod « in missa peragitur, et quod in cruce oblatum est, quemadmo« dum una est et eadem hostia, Christus videlicet Dnus noster, « qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia duae sunt hostiae, « sed una tantum, cuius sacrificium, postquam Dominus ita prae« cepit : hoc facite in meam commemorationem, in eucharistia « quotidie instauratur ». Caeterum, satis superque patet quod, proprie nunc accipiendo sacrificium pro actione sacrifica, non possunt esse unum, nec numerice nec specifice, ea quorum ratio intrinseca notis constat inter se contradictorie oppositis, cuiusmodi sunt cruentum et incruentum, id quod morte intercedente et quod sine morte aut quavis victimae deterioratione peragitur, quod denique una tantummodo vice de sui essentiali ratione possibile fuit offerri, et quod a generatione in generationem

usque ad consummationem saeculi ubique locorum repetendum instituebatur.

Non tamen propterea rejicimus ea quae alii de unitate sacrificii Christi tam docte, tamque erudite edisserunt. Quamdam enim unitatem, eamque *in suo genere* strictissimam, necessario esse admittendam ultro fatemur, nec profecto disparata ponimus sacrificium crucis et sacrificium missae, quasi nullo inter se ligamine connexa. Absit! Sed unitatem specificam et a fortiori numericam resolutissime reficientes, tanto fortius *unitatem ordinis* asserimus. Quae unitas ordinis in hoc est, quod sacrificium missae de essentia sua supponit sacrificium crucis ; quod eamdem victimam offert, nunc quidem incruentam, sed in habitu sacramentali cruentae suae in cruce immolationis ; quod idcirco, ex toto ad illam refertur, ut eius repraesentatio memorialeque perpetuum, denique ut cultus perennis per cuius quotidianam celebrationem, eiusdem oblationis cruentae fructus uberrime percipiuntur.

Sed haec suis quaeque locis ampliorem explicationem habebunt. Unde iam praeambulae dissertationi imponendus est finis, et ad singula particulatim doctrinae puncta deveniendum, incipiendo a quaestione an sit in missa verum proprieque dictum sacrificium.

THESIS LIII.

Tum ex iis quae in Scriptura traduntur de sacerdotio Christi, tum ex celeberrimo Malachiae vaticinio, tum ex verbis institutionis Eucharistiae, tum denique ex ratione theologica demonstratur veritas sacrificii Novae Legis, cuius Christus ut caput corporis Ecclesiae, est victima et sacerdos principalis.

§ !·
Psalm. cix-4 — Genes, xiv-18.

De Christi sacerdotio duo in Scriptura asseruntur, ad rem praesentem maxime pertinentia ; quorum primum est quod sit sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. —

Et sane, cum sacerdotium se loto ordinetur ad sacrificium, propriiH ac distinctivus cuiuslibet sacerdotii character, etsi ex aliis 'iam circumstantiis sumi possit, potissimum tamen accipi debet : ritu sacrificandi. Itaque necesse est ut Christus conveniat cum Melchisedech in ritu ei proprio: conveniat, inquam, co modo quo convenientia esse potest inter figuratum et figuram, inter veritatem et umbram Legitur autem Melchisedcch sacrificasse in pane et vino ff, et nemo alius praeter ipsum (2). Debuit ergo et Christus hostiam suam offerre in specie panis et vini ; quo stante, veritas sacrificii missae iam manet demonstrata. — Unde Cyprianus epist. 63 ad Caecilium, n. 4 (P. L. 4, 375-76): «In sacerdote Melchisedech sacrificii « Dominici sacramentum praefiguratum videmus, secundum quod « Scriptura divina testatur et dicit : *Et Melchisedech rex Sa « lent protulit panem ct vinum.* Fuit autem sacerdos Dei sum- « mi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum « Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus ex per-

(*) Protestantes dicunt panem et vinum fuisse prolata a Melchisedech in refectionem Abrahae et sociorum qui fatigati e praelio revertebantur. Sed hoc asserunt contra fidem historiae, quia ut Scriptura refert, redibat Abraham cun ingenti praeda, in qua etiam erant ea quae ad cibum pertinent. Imo in fine capitis additur, milites cibum sumpsisse antequam eis Melchisedech occurreret. Quid igitur, concludit Bellarminus, opus erat pane et vino iis qui spoliis abundabant, et paulo ante comederant et biberant ? Quare catholici recte asserunt panem et vinum fuisse Deo sacrificata; dicitur enim: *Melchisedech rex Salem,proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* Fuit igitur prolatio haec, actus sacerdotalis, adeoque signat vel sacrificium ipsum oblatum Deo in gratiarum actionem pro victoria, vel id quod ad sacrificium consequitur, cum sacerdos hostiae oblatae populum facit participem. Utroque autem modo, eadem conclusio est.

(*) Nec obstat quod alii forsitan ignoti sacerdotes eamdem aliquando hostiam obtulerint. Nam si nota Melchisedech apud Paulum in eo est quod fuerit sine patre, sine matre, sine genealogia, etc., solum quia contra morem assuetum, de genealogia eius Scriptura silet a fortiori ritus sacrificandi in pane et vino censeri debet ei proprius, ex hoc solo quod in Veteri Testamento, eiusmodi sacrificii ratio a nullo alio legitur adhibita.

«sona Patris ad Filium dicens: *Tu es -.rdosin aeternum « secundum ordinem Melchisedech.* Qui or i · utique hic est « de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Me!· «chisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinuin « obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos « quam Dominus noster Iesus Christus qui sacrificium Deo Pa· « tri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, « id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem ». — Item Augustinus de civit., l. 16, c. 22: «Ibi, (id est Ge· « nes. XlV-18), primum apparuit sacrificium quod nunc a Chri· «stianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod « longe post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum : « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* « non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat aufe· « rendus, illucescentibus rebus quae illis umbris praenotabantur». — Et Tridentinum, unanimem traditionis sensum sequens, atque authentice Scripturam interpretans, Sess. 22, cap. 1 (Denz. 938): «Iesus Chr. Dominus noster... *sacerdotem secundum ordinem « Melchisedech se in aeternum constitutum declarans,* corpus et san· « guinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac « sub eorumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc N. T. sacer· « dotes constituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem, eorumque « in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec « verba : Hoc facite in meam commemorationem » fl).

Aliud quoque argumentum sumitur ex perpetuitate sacerdotii Christi in praecitato loco Psalmi diserte affirmata ; quem locum interpretans Apostolus, Heb. VII, 23-24: « Et alii quidem, inquit, « plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur « permanere ; hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempi· «ternum habet sacerdotium». Iam age: Qui sine consorte est summus ac principalis hominum sacerdos, manetque talis usque in finem, in finem etiam usque debet apud homines adhuc in statu(*)

(*) Vides igitur nos in iis quae sacerdotium secundum ordinem Melchisedech spectant, teneri regula interpretationis ecclesiasticae, quid-quid in contrarium pro solita levitate dictitent critici novelli.

viae . ·.. litutos oflerre sacrificium (1). Atqui abrogato omni alio sacerd· ı ›, iureiurando Dei constitutus est Christus in possessione sacerdotii sempiterni. Ergo usque in saeculi finem apud nos offerat fi sse est ; non tamen per se immediate, cum in terris visibiliter amplius non sit; ergo per vicarios. Quo stante, oportet ut mi .n sit verum ac proprium sacrificium, quia evidenter nihil aliud fingi potest quod iugiter in Christi persona offeratur Deo per ministros Christi. Vide Bellarminum de Missa l. i, c. 6, et nota Bene argumentum hoc non procedere *specialiter* de necessitate sacrificii prout est propitiatorium, sive in remissionem peccatorum, sed magis prout adhiberi debet ad cultum latriae qui semper est Deo debitus. Nota etiam non esse quaestionem de iis quae ad hoc requiruntur, ut Christus denominari possit sacerdos in aeternum, sed de eo quod ex perpetuitate et unicitate sacerdotii eius necessario consequitur. Ex hoc enim quod sempiterno sacerdotio secundum humanitatem auctus est, consequens esse dicimus ut debeat hostiam suam iugiter offerre, ne desit muneri suo, (quod de Christo cogitare nefas), *quamdiu scilicet homines in via exsistentes, necesse habebunt per sacrificia colere Deum.* Quare vis argumenti tota in eo est : Vel Christus sacerdos adhuc offert, vel, quod nemo dicet, sub eius pontificatu periit cultus Dei quoad principalem et maxime necessariam sui partem. — Nunc autem contra utramque probationem hactenus propositam nonnulla objiciuntur, quibus oportet respondere.

1. 5/ *verum esset, Christum ideo dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quia ritum sacrificandi habet similem ei quem adhibuit Melchisedech: profecto Apostolus ad Heb. VII. typicam similitudinem Melchisedech ad Christum ex professo in-*

(1) Nota singula verba: *Sine consorte,* nam si haberet collegam in sacerdotio, opponeret forte quispiam, operam eius non absolute requiri ad perenne divini cultus exercitium. *Summus ac principalis hominum sacerdos,* id est, quo abdicante sacerdotii munus, eo ipso cessaret potestas in omnibus aliis qui sunt ministri eius, */nfinem usque,* adeoque non per totam aeternitatem, sed durante statu in quo oportet homines per sacrificia ad Deum religari.

lerprelans, imo minima quaeque e.veutiens. rem adeo gravem non praetermisisset. Atqui de hac rc penitum silet. Ergo, etc.

Respondeo, negando antecedens. Cum enim intentum Apostoli esset ostendere excellentiam sacerdotii Christi, et consequenter legis evangelicae, supra legem et sacerdotium ludaicum, ea tantum debuit explicare quae faciunt pro praeeminentia sacerdotalis personae Melchisedech supra sacerdotem Abraham, caeterosque sacerdotes ab eo carnali generatione oriundos. Recte ergo argumentatur ex eo quod Abraham obtulit decimas Melchisedech quasi superiori; item ex eo quod fuit a Melchisedech benedicius; item ex eo quod Melchisedech fuit sine antecessore et successore, in suo ordine singularis, veluti manens in perpetuum. At vero, quod Melchisedech sacrificaverit in pane et vino, hoc non perspicue faciebat ad monstrandam excellentiam eius, vel Christi cuius gerebat figuram, et idcirco non mirum est si diserte non fuit a Paulo propositum. Adde etiam, epistolam ad Hebraeos eius conditionis fuisse, ut non potuerit Apostolus de sacrosancto christianae religionis mysterio aperte in ea loqui; erat enim tractatus quidam apologeticus destinatus ad omnes ludaeos, non fideles solum, verum etiam infideles. Unde in capite ultimo (XIII-io), sacrificium novae legis nonnisi tectis verbis signatur cum dicitur: « Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt ».

2. 5Ī *ideo diceretur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia sacrificat in specie panis et vini, ergo pari iure deberet appellari sacerdos secundum ordinem Aaron, quia in cruce cruentam hostiam obtulit. Atqui sacrificium crucis non facit ut secundum ordinem Aaron dictus unquam fuerit, aut dici potuerit Christus. Ergo etiam sacrificium missae nihil confert ad hoc ut Dominus noster secundum ordinem Melchisedech vere dicatur et sit, sed ex alio capite sumenda est similitudo ei convenientia, atque hoc modo totius demonstrationis ruit fundamentum.*

Respondeo negando maiorem, sive paritatem assertam inter sacrificium missae per respectum ad sacrificium Melchisedech et sacrificium crucis per respectum ad sacrificia Aaronica. Etenim

ut unu (cerdo» dici possit secundum ordinem alterius, oportet ut cum ' conveniat in aliqua nota *characteristica* ritus sacrificalis; ·.un ordo in praesenti evidenter sumitur pro gradu distmctivo ' ro in pane et vino, ut dictum est, nullus alius praeter Melcb . lech legitur sacrificasse; ideo Christus offerens corpus et sanguinem suum in specie panis et vini, vere pontifex secundum ordinem Melchisedech appellatur. Sed cruentus modus offerendi communis fuit sacerdotibus Aaronicis et aliis multis tam ante quam post Legem, sive in populo Dei, sive inter Gentes, ut constat ex Genes. VIII, 20, lob. XLII-8, etc., etc. Hinc crucis sacrificium nequaquam convenit cum sacrificiis leviticis in aliqua nota *distinctiva;* quo fit ut Apostolus ad Heb. VII-i 1, pure et simpliciter neget Dominum nostrum esse secundum ordinem Aaron : « Si ergo, inquit, consummatio per sacerdotium levi- « cum erat, quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Mel- « chisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem « Aaron dici?».

3. *Iteratio sacrificiorum arguit ineifficacitatem et defectum ut colligitur ex Apostolo ad Heb. VI1-27,* 5, *X-ir. etc. Ergo non potest esse nisi unum sacrificium Christi, ut idem Apostolus ibidem dicit. Excluditur ergo sacrificium missae*

Respondeo: *Dist. antec.* Iteratio sacrificii defectum arguit, si consideretur sacrificium prout ordinatum ad honorem latriae Deo deferendum, *nego antec.;* imo vero ipso naturae iure exigitur, usquedum homo extra statum viae constitutus, iam non indigeat ritibus et caeremoniis ad communicandum cum Deo, eumque debito modo colendum. — Iteratio sacrificii sub ea formalitate considerati sub qua consideratur ab Apostolo, videlicet prout est propitiatorium pro peccato, arguit defectum et ineficiaciam. *subdist.* Si sacrificium sacrificio addatur quasi manente semper insoluto pretio peccati, quomodo fiebat in *lege veteri in* qua victimae victimis succedebant, veluti peccati poenam effuso cruore iterum atque iterum portantes, *conc. antei.* Si sacrificium sacrificio addatur pro speciali applicatione ad particulares personas condignae satisfactionis per unam praecedentem oblationem semel pro semper praestitae: quod fit dum eadem victima prius

poenaliter mactata, postea mystice atque in issibiliter immolatur, *ncg. antec.* Et ratio partim per se |>>; i, partim vero ex infra dicendis evidentius apparebit.

4. *Christus una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ut dicitur ad Heb. X-14. Ergo una oblatione praestitit quidquid ex parte sua requiritur ad salutem hominum. Sed ad salutem hominum requiritur etiam applicatio et impetratio applicationis meritorum crucis. Ergo excluditur missa, etiam in ratione sacrificii mere applicatorii ex opere operato.*

Respondeo primo: *Transeat totum.* Ex eiusmodi enim argumento, etiamsi sequeretur removendam esse missam secundum quod est propitiatoria pro peccato, profecto non sequitur eam esse negandam secundum quod latreutica est, et delativa adorationis Deo debitae. — Respondeo secundo: *Dist.* z"" *consequens:* Una oblatione cruenta praestitit Christus quidquid ex parte sua requirebatur in ratione universalis causae meritoriae salutis nostrae, *conc.* Etiam in ratione causae proximae sive applicativae, *subdist.* Remote et virtualiter, quatenus praestitit id omne ex quo media applicativa vim et efficaciam habent, *conc.* Proxime et formaliter, quasi ipsa generalis redemptio per seipsam includeret applicationem in actu exercito, *neg.* Alias, omnes homines post Christi redemptionem nascerentur iusti, cum e contra nascantur omnes in peccato, indigeantque regeneratione.

5. *Qui nunc sacerdos consecratur, manet sacerdos in aeternum, nec tamen oportet ut in perpetuum offerat sacrificium. Ergo ex perpetuitate sacerdotii Christi non potest sumi ullum argumentum pro veritate sacrificii missae.*

Respondeo primo, negando consequentiam. Non enim sacerdotium nostrum eiusdem rationis est cum sacerdotio Christi; nam Christus est sacerdos summus ac principalis, ipseque solus, caeteri vero omnes in lege nova non sunt nisi sacerdotes ministeriales qui per characteris impressionem sacerdotes efficiuntur. Nunc autem manifestum est, publicum Dei cultum semper in Ecclesia exercendum esse per eum penes quem est et manet sacerdotium imparticipatum. Quo fit ut ille unus semper debeat habere ministros per quos peragat ea quae sunt religionis· de

minist ri nilem distributive sumptis non est eadem ratio, quia singtii '· habent consortes in sacerdotio et successores. Argumentum Û que superius propositum procedit ex perpetuitate sacerdotii ' linarii ac supremi quod nunc convenit soli Christo, cui nulh succedit, nullus succedere potest. — Respondeo secundo, quod quisquis inter nos sacerdos consecratur, manet sacerdos in aeternum quatenus in aeternum conservat indelebilem sacerdotii characterem, non autem quatenus in finem usque deputatur ad munera sacerdotii inter homines viatores exercendam; morte enim prohibetur permanere.

S 2·

Malach. 1, 10-11.

Inter alia Veteris Testamenti vaticinia, extat apud Malachiam de sacrificio missae prophetia celebrior: « Non est mihi voluntas « in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de « manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum « est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et « offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen « meum in gentibus, dicit Dominus exercituum ». Ex quo sic formatur argumentum: Praedicit Spiritus Sanctus fore ut, repudiatis sacrificiis iudaicis, succedat in Novo Testamento novum quoddam externum ac visibile sacrificium. Insuper, notae omnes quibus sacrificium istud in prophetia insignitur, missam expresse designant, eique soli convenire possunt. Ergo, contestante Spiritu Sancto, missa est verum sacrificium novae legis, loco omnium antiquarum hostiarum subrogatum.

Prior assertio tripliciter constat. Primo ex nominibus *sacrificatur, ojfertur,* maxime ex voce *mincha* (oblatio), quae apud Hebraeos nonnisi de certo sacrificii genere adhibebatur (·). Se-

(·) Nota cum Bellarmino, l. i *de Missa,* c. io. «Scriptura non « solere nomen sacrificii absolute ponere, cum loquitur de sacrificio im- « proprie dicto, sed cum adiuncto aliquo, ut sacrificium laudis, sacri- « ficium justitiae, hostiam vociferationis, etc. : hoc autem loco absolute

eundo ex oppositione quae fit inter oblaii in novam et munera repudianda, nam ista sine dubio erant sacrificia proprie dicta: «Ad vos, o sacerdotes, inquit, qui despicitis nomen «meum... Offertis super altare meum panem pollutum et dici« tis : in quo polluimus te?... Si offeratis caecum ad immolan«dum, nonne malum est?... Quis est in vobis qui incendat al«tare meum gratuito?» (†). Tertio ex eo quod infra, novi sacerdotes instituendi praenuntiantur in ordine ad novum cultum ubique terrarum celebrandum : « Et sedebit (Messias) conflans et «emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi « aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia « in iustitia » (2).

Nunc secundo considerandum est quomodo notae omnes in prophetia descriptae missam designant, eique soli convenire possunt. Prima est nota catholicitatis : *Ab ortu solis usque ad occasum... in omni loco sacrificatur.* Quae nota, ut facto evidentius constat, Eucharistiae celebrationi convenit *ad litteram,* ipsamquae discriminat, non solum a sacrificiis gentium, verum etiam a

« ponitur *oblatio inunda.* Deinde, ipsa vox hebraica significat proprie «certum genus sacrificii externi, quod ex simila, oleo, et thure confi« ciebatur, ut patet Levit. II et VI, et alibi passim».

† Et nota quod oblatio spiritualis seu invisibile sacrificium nequaquam dici posset succedere sacrificiis iudaicis, vel de novo celebrari in mundo, quia semper ab initio fuerunt iusti qui interno hoc cultu coluerunt Deum.

‡ « Postquam dixerat Propheta cap. 1 : *Offertur nomini meo oblatio « munda,* exponit cap. 3, a quibus offerenda sit ista munda oblatio : *Pur« gabit,* inquit, *filios Levi,* etc., ubi per filios Levi non possunt intelligi « Levitae V. T., quia loquitur Propheta apertissime de sacrificio Eccle«siae Christianae, et sacerdotes leviticos iam reprobaverat. Et denique « initio capitis legimus : *Ecce ego mitto angelum meum,* quae verba ex« « ponit ipse Dominus de loannc Baptista, et inde cogimur totum hunc «locum intelligere de adventu Domini et tempore N. T. - Nec possunt «intelligi per filios Levi omnes Christiani, quia filii Levi una tantum « pars erat in populo Dei ; quare respondet eis pars quaedam populi «Christiani, non totus populus... Non igitur omnes Christiani sunt pro« « prie sacerdotes, sed certi quidam ex eis assumpti, ac proinde sacrifi« « cium proprie dictum esse debet quod ab ilis tantum offeratur».

iudau i i>i.v nonnisi uno in loco, scilicet Hierosolymis, legitime offerebantur. Et re quidem vera, necesse est ut sacrificium sequatur conditionem religionis cuius est constitutivum; catholicitas a | m est singularis, proprius, et distinctivus character unius religio ₁ Christi. Item oportuit ut sacrificium quo defertur honor divina Maiestate dignus, ipsumque solum, toto terrarum orbe, qua late refulget divini nominis magnificentia frequentaretur, dicente Propheta : « Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus «tua in fines terrae».

Altera quoque nota apud Malachiam, est nota lenitatis Nam in hebraico habetur *mincha,* quod in vulgata vertitur oblatio ; est autem inincha, sacrificii genus incruentum de quo Levit. II per totum. Atqui iterum, nota illa convenit missae, ipsamque luculenter distinguit in ratione principalis cultus religionis Christianae. Nam etsi in lege Mosaica offerrentur etiam incruenta sacrificia ex pane, thure, et aliis huiusmodi, ista tamen nonnisi accessorie adhibebantur ; unde non erant distinctiva illius religionis. Simili quoque modo, apud gentes principalia et insigniora sacrificia cruenta erant, et universim loquendo, omnia mundi altaria ante Christum effuso sanguine redundabant, ut nunc suppono ex certissimis historiae documentis. Hic autem praedicitur futurum sacrificium aliis cunctis successurum, sacrificium sine cruore et horrendae mortis spectaculo, quo homines perpetuo cultu serviant Domino ; profecto non potuit missa charactere magis distinctive designari. Quamdiu scilicet peccatum mansit inexpiatum, ut dicit Heb. X, 2-3, talia oportuit esse sacrificia quibus homines modo oculis maxime patenti sese debitores totius reatus agnoscerent et profiterentur. At vero, facta expiatione per sanguinem Christi, omnibus cruentis sacrificiis in perpetuum abrogatis, unica substituitur incruenta oblatio, ut ipsa sacrificii diversitate signaretur status diversitas. Unde etiam legitur in relationibus missionariorum qui *primi in* Americam devenerunt, idololatras Mexicanos et Peruvianos nulla alia re magis delectatos et attonitos fuisse quam lenitate *nostri sacrificii.*

Tertia tandem apud Prophetam nota est munditiae : dicitur enim *oblatio munda.* Ubi observa quod iste character non

potest se tenere, saltem primario et prit» liter, ex parte hominum offerentium, quandoquidem homim «ηper sunt homines, adeoque peccabiles, et non est vero mile quod in tanta offerentium multitudine, omnes puro corde et mundo affectu inveniantur. Sed Eucharistia semper est ratione sui munda et Deo acceptabilis: alia vero sacrificia omnia, utpote ex solo opere operantis hominis valorem habentia, saepe de facto polluebantur, sicut hoc ipso in loco conqueritur Deus apud Prophetam. Relinquitur ergo quod Eucharistiae celebratio sit verum Novae Legis sacrificium, quia est illa ipsa oblatio quam futuram in Novo Testamento Spiritus Sanctus praenuntiavit, et cui attribuit rationem veri ac proprie dicti sacrificii, ut in prima assertione ostensum est. Unde Tridentinum, Sess. XXII, cap. i (Denzinger 939): « Et haec quidem munda oblatio est, quae nulla indignitate « aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Ma« lachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in « omni loco mundam offerendam praedixit » (x).

Obiter demum observabis, quam insignis fuerit prophetia ista splendido nunc eventu confirmata, quam evidenter divina. Primo quia tempore quo fuit edita, religio universalis et catholica omnem humanam suspicionem longe superabat; tunc enim singulae gentes ab antiquo inter se invicem divisae suis propriis sacrificiis utebantur, et ritibus patriis tenacissime inhaerebant. Secundo quia dato quod ludaeo vati ex naturali ambitu spes affulgere potuerit religionis universalis in mundo introducendae, suam profecto religionem, non aliam, suis popularibus proposuisset dominaturam; hic autem expresse praedicitur religio ludaica definitive abroganda cum suis omnibus sacrificiis, ritibus, ac cae·

(x) Et tamen hic quoque novi critici, nullo de more allato argumento, pronuntiant oblationem illam quam Dominus per Malachiam nomini suo offerendam praedixit, nihil ad literam commune habere cum sacrificio missae. Sed qui nullam rationem afferunt, fidem exposcunt, et cui, quaeso, credes? An criticis vestigia Protestantium serviliter prementibus, an Tridentino proponenti sensum quem tenuit ac tenet Ecclesia. cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum?

remonii .. Tertio quia non solum annuntiatur futura quaedam catholica religio, sed etiam determinatur principale eius mysterium x characteree qui ab omnibus notionibus seu ideis apud antiqu › receptis circa divinum cultum et necessarias eius conditions plane dissidebat. Profecto quisquis haec et alia similia ment revolvet, intelliget praedictionem talis ac tantae mutationis in mundo futurae nonnisi a Deo esse potuisse, ac per hoc, facere quam maxime pro credibilitate Ecclesiae catholicae.

■S 3-

Matth. xxvi, 26-28. Luc. xxii, 19-20. ⁞ Cor. xi, 24-26.

Nunc ad verba institutionis veniendum est. Verbis institutionis diserte dicitur, corpus et sanguinem Christi *formaliter ut in Eucharistia* dari et effundi pro hominibus in remissionem peccatorum. Sed dari, effundi pro hominibus in remissionem peccatorum, est offerri Deo in verum ac proprie dictum sacrificium propitiatorium. Ergo verbis institutionis demonstratur veritas sacrificii missae (x).

Minor argumenti videtur omnino evidens, quia quod datur, profecto alicui datur, et quod ritu religioso pro hominibus datur, non datur hominibus, sed Deo. Ergo corpus et sanguis Christi pro hominibus data, sunt oblatio facta ipsi Deo; quae etiam non est oblatio simplex, sed sacrifica, cum fiat per modum destructionis, utique mysticae, et non desit altera conditio, videlicet institutio habentis auctoritatem. — Accedit quod in V. T. sacrificium pro peccato per sacrum ritum effusionis sanguinis ubique explicatur (2). Ideo apud Hebraeos locutio qua dicitur

ǂ Hic nota quod in superioribus, a ratione propitiationis pro peccato abstrahebatur, nunc autem minime, quia verba institutionis hanc formalitatem expresse important. Caeterum. qui probat plus, probat et minus: scilicet qui probat missam esse propitiatorium sacrificium, probat ipsam esse sacrificium simpliciter. Non ergo est cur inde contusio suboriatur, eo vel magis quod sic anticipatur ex parte demonstratio specialis veritatis infra proponendae.

(9 Levitic. I, 5~ ⁞ HI, 2-13; IV, 7-25; VII, 2-14; IX, I2... etc.

corpus alicuius dari, et sanguis eius effuiui. in remissionem peccatorum, nullum alium audientibus ingerebat conceptum nisi veri ac proprii sacrificii.

Nunc autein maior circa quam versatui praecipua cum haereticis controversia, facile demonstratur, nam lectio originalis omnia habet de praesenti, idque non solum in forma consecrationis corporis apud Lucam, (quo in loco vulgata concordat), verum etiam in forma sanguinis. Legitur enim κλώμενον, διδόμενον, ἐκχυνόμενον, non vero in futuro κλαθησόμενον, ἐκχυθήσομενον, etc. Ergo determinationes praedicati, *quod pro vobis datur, qui pro vobis effunditur,* non referuntur directe saltem et primario, ad oblationem crucis quae tempore institutionis adhuc erat futura, sed referuntur ad corpus et sanguinem formaliter ut in sacramento. Ne autem dicatur quod ibi praesens positum est pro mox futuro per quamdam usitatam improprietatem sermonis, occurrit forma calicis apud Lucam, quae huiusmodi interpretationem prorsus excludit. Sic enim legitur ad litteram : *Hic calix pro vobis fusus novum testamentum est in sanguine meo.* Ergo illud quod effundi dicitur, est calix, sumendo continens pro contento ; adeoque necesse est intelligere effusionem tamquam dictam de sanguine Christi reduplicative ut in sacramento, nam licet in sacrificio crucis effusus sit ille ipse sanguis qui erat tunc in calice, non tamen dici potest quod in cruce effusus est calix, ut scite observat Cardinalis Franzelin ; quippe, quando contentum denominatur ex continente, accipitur cum habitudine ad continens, adeoque non suscipit praedicata quae cum dicta habitudine non coniunguntur ‡.

Sed contra haec obiiciunt *primo,* quod sanguis Christi in consecratione Eucharistiae minime effunditur. *Secundo,* quod vulgata editio foret mendosa, et quidem in textu eminenter dogmatico, contra definitionem Tridentinam, Sess. IV. *Tertio,* quod in missa Latinorum omitteretur aut mutaretur aliquid essentiale, cum in ea, non de praesenti, sed de futuro effusio praedicetur. *Quarto,* quod Christi in Eucharistia praesentatio est

‡ Cf. Bellarminum, de Missa, l. r,c. 12; Tertio, quia Lucas etc.

myst· i ii fidei, ut dicitur in consecratione calicis, ac per hoc. nequ .se externum sacrificium siquidem mysterium fidei est aliqui i absconditum et omnino invisibile.

Ad iara autem respondetur quod etsi in consacratione Eucharistiae sanguis Christi non effundatur effusione reali, hene tamen effusione mystica in specie sacramenti, quae quidem mystica effusio reali aequipollet in ordine ad significationem sacrificalem, ut superius notatum est. Vere enim et realiter ponitur sanguis in habitu externo effusionis, quatenus vere et realiter sub specie liquida vini est solus sanguis sacramentaliter, adeoque modo quodam sensibili praesens.

Ad 2um respondetur, non propterea mendacem esse lectionem vulgatae editionis, hoc est a textu originali *positive* differmem. Est enim in effusione sacramentali intima relatio ad cruentum crucis sacrificium, eaque tum a Salvatore in institutione mysterii, tum ab Apostolo in declaratione institutionis explicite indicata. Quo posito, duo sunt consideranda in sacrificio Eucharistiae : oblatio de praesenti, et relatio ad oblationem crucis. Si ut in graeco, effusio sanguinis praedicetur de praesenti, significatur *explicite* sacrificium praesens, *implicite* autem crucis immolatio, pro quanto scilicet omnis imago connotât illud cuius imago est, ipsumque adsignificat. Si vero ut in vulgata, effusio praedicetur de futuro, solus terminus relationis quam involvit mystica immolatio, *signale* exprimitur. Quare lectio vulgatae nihil habet quod non contineatur in originali, tametsi non reddat totam vim textus primitivi ; sed in hoc nullum est inconveniens, quia quandu Synodus Tridentina definivit authenticitatem veteris *illius* editionis vulgatae, saltem quoad omnes partes ad aedificationem doctrinae christianae pertinentes, definivit quidem nullam esse quoad textus doctrinales positivam ab originalibus *ditior*mitatem. non tamen asseruit tantam conformitatein, quae omnem originalis plenitudinem semper includeret (1). Hinc fas est. imo quandoque necessarium, ad plenum Scripturae sensum assequendum.

(·) Cf. Franzelin, de Traditione et Scriptura, ubi de authenticitate Vulgatae.

uti omnibus praesidiis opportunis, inter <pi potissimum recensetur collatio versionis cum exemplari, ma.\une si certum sit originalia adhuc integre et incorrupte asserva .

Ad 3um dicendum, nihil in missa Latinorum desiderari quod sit sacrificio essentiale, etsi effusio ponatur in futuro prout enuntiata a Christo pridie quam pateretur; et similiter non ideo deest aliquid substantiale, quia determinatio *quod pro vobis daiur,* in forma primae consecrationis penitus omittitur. Aliud enim est quod explicetur ratio sacrificii missae per verba importantia praesentem oblationem sive effusionem, aliud vero est quod per illa eadem fiat sacrificium. Porro verba quae ad confectionem sacrificii requiruntur, non sunt verba declaratoria, sed operatoria et practice, in quorum scilicet virtute corpus et sanguis Christi sub speciebus sistuntur sacramentaliter separata ; et ista sunt illa sola quae pertinent ad essentiam formae, ut supra, Thes. 49.

Ad 4um denique dicendum, praesentationem Christi in Eucharistia esse mysterium fidei, quod tamen per sensibilia signa et sub sensibilibus symbolis peragitur; unde negatur consequentia. Ad rationem vero additam, *dist.* Mysterium fidei est absconditum et invisibile secundum se, *conc.* Prout peragitur per signa sensibilia et sub visibilibus speciebus, *subdisl.* Ante fidem, sive pro iis qui fide carent, iterum *conc.* Fide supposita, *neg.* Verissimum equidem est quod mysterium fidei in quantum huiusmodi, nonnisi per interiores fidei oculos attingitur. Quare consecratio Eucharistiae pro solis fidelibus est quaedam visibilis ac sensibilis Christi immolatio, quia sensibilia verba ac symbola per quae et sub quibus peragitur, non habent vim sistendi Christum sub sensu corporeo, sublato praevio fidei fundamento. Sed in hoc nedum sit aliquod inconveniens, maxima potius apparet perfectio, quatenus exterius sacrificium novae legis invenitur ad amussim respondere excellentiae ipsius legis gratiae, quae cum tota fidei innitatur, docet nos sensibilibus suprasensibiliter attendere.

§ 4·

A cedit tandem ratio theologica. Etenim ostensum est supra, tantam esse coniunctionem inter religionem et sacrificium, ut omnino necesse sit, aut non esse in Ecclesia religionem vere et proprio, aut sacrificium externum in ea reperiri. Aliunde vero cum in Novo Testamento nullum aliud sacerdotium maneat praeter sacerdotium Christi, cum insuper propria hostia sacerdotii huius non sit nisi ipse Christus, prout aperte colligitur ex Apostolo ad Hebraeos, iam ultro sequitur necessitas sacrificii in quo Christus iugiter offeratur. Huiusmodi autem nonnisi missa esse potest.

Ad eamdem etiam conclusionem devenimus si praeter rationem sacrificii absolute sumptam, consideremur rationem repraesentationis quam pro praesenti ordine naturae per Christum reparatae, in solemni cultus exercitio necesse est inveniri. Fuit enim sacrificium crucis fons omnium benedictionum quas homines ab initio desuper acceperunt, et instar cuiusdam culminis ad quod referuntur omnes cultus qui unquam secundum varias leges Deo delati sunt. Hinc oportuit omni tempore esse sacrificia, quae non solum in se absolute essent sacrificia vera, sed etiam per hoc ipsum, relationem haberent vel figurae vel imaginis, ad singularem illam et excellentem oblationem. Quae quidem multis diversissimisque generibus hostiarum antiquitus praefigurata est. ne futurae redemptionis promissio a memoria hominum excideret, utque ipsi homines pro illorum temporum conditione iam accederent ad Deum per Christum pro nobis passum. « Huius « veri sacrificii, inquit Augustinus, multiplicia variaque signa «erant sacrificia prisca sanctorum; cum hoc unum per multa « figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine « fastidio multum commendaretur » (1). Nunc igitur, si oportebat ante incarnationem conservari per solemne cultus *exercitium spem* futurae redemptionis, profecto non minus necesse fuit conservari

(1) De civit. Dei, l. *io, c.* 20 (P. L. 41, *298).*

post incarnationem iugem memoriam i« <!. ptionis iam factae et semper praesentari Deo Agnum occisum ab origine mundi. Ergo debuit in lege nova esse sacrificium mimemorativum sacrificii crucis, sicut fuerunt antiquitus sacrificia eius praefigurativa. Fert autem indoles Novi Testamenti, ut iam non habeat umbras aut vacuas figuras, iuxta illud Heb. X-i : « Umbram « habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum ». Ergo tale esse debuit sacrificium, cuius victima esset ipsa veritas Christus, quodque sola ratione offerendi a crucis sacrificio differret; item debuit esse unum, et non multiplex sicut sublege figurativa, quia ad plenum repraesentat, et est perfecta imago.

Et de exsistentia sacrificii missae hactenus. Sequitur nunc quaestio de eius essentia.

THESIS LIV.

Missa quoad essentiam in sola utriusque speciei consecratione consistit, tametsi actioni consecrativae debeat ex natura rei adiungi communio celebrantis, quae idcirco indispensabili lege praescribitur. Habet autem consecratio veram in se sacrificii rationem, formaliter et praecise secundum quod est incruenta Christi immolatio, cruentae immolationis crucis repraesentativa, per sacramentalem seu mysticam corporis a sanguine sub distinctis speciebus panis et vini separationem.

Praesens quaestio in duas dividitur. Prima est, in qua actione consistat essentialiter sacrificium novae legis. Secunda est, qua de causa et sub quo formali respectu in actione assignanda, puta in utriusque speciei consecratione, verificetur sacrificii ratio.

Quoad primum non una fuit theologorum sententia. Quidam dixerunt essentiam missae reponi in quacumque actione, quae inter consecrationem et communionem circa sacramentum

exercetur . vel in elevatione, vel in oblatione verbali, vel in fractione hostiae et commixtione specierum i1). — Succedit opinio Bellarmini (2), docens sacrificium nostrum essentialiter constare tum consecratione tum sumptione celebrantis. Per consecrationem enim orpus et sanguis Christi in altari ponuntur, et per hoc ipsum iam aliqualiter offeruntur Deo. Insuper, dum formam cibi et potus accipiunt, ordinantur ad destructionem: non tamen destruuntur actu nisi per sacerdotis communionem, quae idcirco, non tam victimae comestio est, quam ritus sacrificalis respondens combustioni holocausti. — Huic opinioni fere consentit Lugo (3) asserens sumptionem simul cum consecratione concurrere ad ratio nem oblationis, ita tamen ut in sola consecratione seorsum accepta iam inveniatur quidquid per se sufficeret ad sacram victimae destructionem. Vult enim Christum acquirere sub speciebus *statum decliviorem,* per quem aequivalenter atque humano modo destrui tur in seipso; tum subdit: «Cum hoc tamen stat, ipsam sum- « ptionem pertinere ad substantiam et integritatem huius sacrificii ; « nam per ipsam adhuc magis consumitur et destruitur victima. « Nec repugnat aliquam victimam in eodem sacrificio duplicem «destructionem subire; imo in holocausto necesse erat victimam « prius occidi, postea adhuc magis destrui per totalem combu- « stionem... Quare Bellarminus ubi supra, bene advertit nostrum « sacrificium assimilari holocaustis, atque sumptionem corresponn « dere combustioni, sicut consecratio correspondet occisioni » (4). — Ultima tandem sententia, (quam uti longe communiorem, ita omnino veram iudicamus), docet totam sacrificii essentiam in consecratione sic reponi, ut nihil aliud ad sacrificalem ritum pertineat, etiam partialiter et completive. Quare, si quando dicatur missa integrari per communionem celebrantis, sensus non est(*)

(*) Ita Thomistae quidam apud loannem a S. Thoma. de Euchar.. Disp. 32, a. 2, n. 34. Quibus adiungi potest Cardinalis Cienfuegos, cuius sententia plus quam singularis, iure meritoque ab omnibus exploditur.

(») De Missa, l. 1, c. 27.

(·) De Euchar., Disp. 19, Sect. 5.

(·) Lugo, ibid. p. 68.

quod communio pertineat quocumque modo id oblationem sacrificam, sed quod ei debet coniungi ex natura rei, quia consecratio ponit victimam sub speciebus cibi et potus, . c per hoc, ordinem dicit ad sumptionem ut ad complementum sacrosancti illius commercii quod sacrificantes habemus cum Deo. Simili quippe modo in multis sacrificiis V. T. participatio victimae per sumptionem sacerdotum certa lege praescribebatur; nec tamen unquam habita est ut pertinens ad ritum sacrificalem secundum se, sed magis ut consequens oblationem ipsam, et fuit figura futurae communionis eucharisticae in qua reconciliati per sanguinem Christi ad divinorum consortium admittimur, et inter Dei amicos ac commensales in beatitudine aeterna annumeramur. — Hucusque variae sententiae, inter quas veritas quaerenda est.

Porro, ad propositae quaestionis solutionem, praeter generales notiones de sacrificio in communi quae superius traditae sunt, tria principia praesidio erunt. — Primum est, sacrificium missae offerri in persona Christi. Ex quo statim consequitur, ab essentia huius sacrificii removendas esse actiones quae a sacerdote fiunt tantum in persona propria vel Ecclesiae. — Secundum est, missam esse secundum ritum Melchisedech qui in pane et vino sacrificavit. Quare ab essentia sacrificii nostri pariter excludendae sunt actiones quae circa unam solam speciem, puta panis, exercerentur. — Tertium et principale est, oblationis essentiam in eo reperiri, unde habet Eucharistiae celebratio ut sit passionis Christi memoriale et imago. Hoc accipimus ex doctrina Patrum asserentium, incruentum sacrificium esse antitypum passionis, et repraesentationem mortis Unigeniti per mysterium. Unde Tridentinum, Sess. XXII, cap. i (Denzinger 938): «Ut dilectae sponsae sua Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium *quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur,* eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret ». Quibus et aliis quam plurimis documentis aperte edocemur, missam inde habere quod sit verum et proprium sacrificium de praesenti, unde habet esse vivam imaginem unici illius sacrificii cuius memoria erat conservanda in populo re-

dempto (1). Quare non erit reponenda, etiam partialiter, sacrifici nr sae essentia, in eo quod non refert ex Christi auctoris instituto cruentae oblationis vivam imaginem.

Quibus praemissis, dico : Cum res oblata non sit nisi corpus et sanguis Christi, hoc ipso praeter essentiam sunt omnia quae antecedunt consecrationem. Unde si ea etiam quae post consecrationem fiunt ostenduntur ad substantiam sacrificalis ritus non pertinere, demonstratum iam manebit, totam essentiam sacrificii nostri in sola consecratione adaequate consistere.

Atqui in primis, facile excluduntur quaecumque mediant inter consecrationem et communionem, partim quia nec fuerunt a Christo instituta, nec fiunt in persona Christi ; partim quia circa unam dumtaxat speciem exercentur, ut fractio hostiae; partim denique quia cruentam Christi mortem minime repraesentant, ut specierum commixtio. Accedit quod ex missali Romano omnia ista praetermitti possunt, quin desit quidquam substantiae sacrificii f1).

Praeterea, contra Bellarminum et Lugonem pariter excludi debet sumptio sacerdotis. — Etenim primo, sumptio non fit in persona Christi. Sensit difficultatem ipse Bellarminus: « Neque « obstat, inquit (3), quod ista consumptio non videatur fieri in « persona Christi qui tamen est primarius sacerdos : nam Chri- « stus quidem non se ipse manducat, neque immediate consumit « sacramentum : tamen ipse dici potest consumere, quia ad con- « summandum tradit. Quemadmodum etiam in sacrificio crucis

(*) Nota sensum assertionis non esse quod ratio constituens missam in esse sacrificii sit sola relatio ad crucis oblationem. Considerandum enim quod *esse repraesenlalivum* est quoddam relativum *secundum dici,* importans rem absolutam quam consequitur quaedam habitudo. Cum ergo dicimus missam ex eodem habere ut sit absolute sacrificium, a quo habet ut sit passionis rapraesentativa, sensus est, eam in esse sacrificii constitui per illud ipsum quod fundat relationem ad immolationem crucis tamquam ad rem repraesentatam. Et hoc quidem observatum velim ne in sequentibus confusio suboriatur.

(·) Miss. Roman., *de* defectibus in celebratione missarum occurrentibus, Tit. *3 et 4.*

*(*j De* Missa, I. *r, c.* 27.

« Christus vere se ipse sacrificavit, quia occidendum obtulit, licet < non se ipse occiderit manibus suis, seil inanibus aliorum». Sed contra, quia alii tradere rem consumendam non satis est ut dicatur quis consumere per alium; nec praesertim verum apparet id quod additur, ideo Christum in cruce seipsum sacrificasse, quia se obtulit occidendum : hoc enim victimae est, non sacerdotis. Imo vero, in tantum sacrificavit seipsum, in quantum potestative deposuit animam suam, actu etiam externo ostendens se non succumbere violentiae, sed libere permittere id quod naturaliter sequebatur ex cruciatibus illatis, ac per hoc, visibiliter consummans destructionem sui in honorem Dei. Non ergo ratio apposita persuadet sumptionem fieri in persona Christi. — Insuper, sumptio non est repraesentativa passionis imago, ut per se evidens videtur. Nec obstat quod Paulus ad Corinthios dicat: *Quotiescumque manducabitispanem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Communicantes enim annuntiamus Domini mortem, quatenus participes efficimur victimae mystice mactatae in suae mortis memoriam, non autem quasi ipsa sumendi actio secundum se considerata, imitatio esset cruenti sacrificii crucis. — Accedit denique ratio magis fundamentalis, quia sumptio est *radicaliter* inepta ad significationem quae sacrificio essentialis est. Etiamsi enim cum recentioribus admitteres Christum in sumptione realiter destrui secundum suum esse sacramentale, adhuc tamen irrationabiliter diceretur destructio eiusmodi se habere per modum oblationis. Numquid, quaeso, aliquid dicetur vere offerri Deo, per eam praecise actionem qua ab homine in propriam utilitatem consumitur? Sane vero quidquid sumitur, in ipso sumendi actu non offertur. Hinc tota illa comparatio cum holocausto a Bellarmino et Lugone proposita, etsi primo intuitu ingeniosa appareat, non videtur tamen solide consistere : nam in combustione victimae evidenter habetur quidam oblationis modus interiori sacrificio significando idoneus; in manducatione autem ne initialiter quidem conspicitur. Et re quidem vera, omni tempore homines effecti sunt sacrificiorum participes per communionem, iuxta illud Apostoli: *Qui edunt hostias, participes sunt altaris,* at nusquam in oommunione ipsa agnita est ratio oblationis, sed oblatione facta

sacrum convivium agebatur in signum pacis et societatis Deum inter t homines. Quapropter in liturgia nostra ante et post consecrationem omnia olent oblationes : ubi vero devenitur ad ea qua·· -.umptionem praecedunt ac praeparant, de oblatione iam nihil, sed pax annuntiatur et petitur et datur, quia ad mensam Dei admittitur homo, in consortium divinorum assumptu^ et in Dei societatem adscitus.

Remotis itaque ab essentia sacrificii nostri iis omnibus quae non sunt ipsa consecratio, restat ut tota immolationis ratio inveniatur in consecratione, cui etiam congruunt omnes conditiones requisitae, ut facili inductione constabit, et evidentius apparebit in secunda parte.

Obiiciunt tamen : i. *Ecclesia post consecrationem adhuc applicat sacrificii fructum, scilicet in commemoratione pro defunctis. Sed frustra hoc faceret, si iam positum esset quidquid est de essentia oblationis. Ergo non in sola consecratione essentia sacrificii reponitur.*

Respondeo negando maiorem et suppositum eius. Non enim ad Ecclesiam pertinet applicare sacrificii fructum, sed ad sacerdotem celebrantem qui in sacrificando triplicem personam gerit: Christi, Ecclesiae, et suam. In quantum est minister Christi, applicat opus operatum, et hanc applicationem facere debet, non solum ad specialem intentionem quam ipse ex propria electione determinat, verum etiam ad intentiones generales quae in ordinario missae exprimuntur. Porro huiusmodi applicatio includitur in voluntate faciendi quod intendit Ecclesia, et ideo, hac voluntate sup posita, missa semper applicatur in instanti consecrationis ad omnes Ecclesiae fines, ubicumque ordine liturgico significentur, sive ante, sive post. — Verum praeter applicationem operis operati consideratur etiam in missa impetratio sacerdotis orantis tum in persona Ecclesiae, tum in persona propria : quae quidem impetratio fit per omnes orationes publicas et privatas concomitantes ritum principalem. Et haec est impetratio quae in commemoratione defunctorum attenditur ; unde signanter dicit rubrica ; « *Orat* « aliquantulum *pro iis defunctis pro* quibus orare intendit», et

non (licit: *Format* intentionem per quam applicat opus operaturn missae. Quare tota illa difficultas fund.·mento caret.

2. *In missa praesanctificatorum rogatur Deus ut sacrificium nostrum habeat acceptum, licet in ea consecratio non fiat, sed sacerdos solum sumat hostiam pridie consecratam. Ergo in communione sacerdotis, partialiter saltem, reponenda est substantia sacrificii.*

Respondeo, auctores ecclesiasticos communiter docere quod feria VI in Parasceve non sacrificatur, praecise quia eo die non fit consecratio; dum enim recolitur ipsum crucis sacrificium quasi actu perageretur, non expedit celebrari sacrificium quod est eius imago (*). Caeterum consueta oratio offertorii nonnisi dimidiate tunc dicitur, et quoad eam partem quae non externum et visibile sacrificium significat, sed internum et invisibile. Desumitur enim ex oratione trium puerorum, Dan. III, 38-40: « Non est in tem- « pore hoc princeps et dux et propheta, neque holocaustum, « neque sacrificium, neque oblatio... Sed in animo contrito et « spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum et « taurorum, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, «ut placeat tibi». Porro, uti iam notatum est, etsi in die Pa·rasceves externum sacrificium non offeratur, invisibile tamen et internum non cessat, sed nec unquam cessare debet.

3. *In omni sacrificio distinguitur praeparatio seu adductio victimae ab immolatione eius. Sed consecratio in missa est victimae adductio. Ergo nondum est eius immolatio, et ideo in aliqua alia actione essentia missae consistat necesse est.*

Respondeo: *Dist. antec.* In omni sacrificio ubi victima in propria specie offertur, *conc. antec.* Ubi offertur in specie aliena per transubstantiationem alterius rei in ipsam, *neg. antec.* Evidens ratio disparitatis est, quia victima in propria specie oblata non potest immolari nisi per actionem quae primo ad ipsam terminetur; quo fit ut praesupponi debeat ipsius victimae praesentia. Sed si offeratur in sacramento, iam mutantur conditiones, quia tunc victima immolatur per actionem primo terminatam ad id quod

(*) Cf. S. Thomas., Quaest. 83, a. 2, ad 2UU>.

in i|>" | transubstantiatin': adeoque eadem actio est, qua sub manent. >us speciebus fit praesens, et qua sub iisdem in habitu mactationis constituitur.

4. *Aelio consecrativa sive transubstanliativa non procedit a ■ministro, nec etiam a Christo in quantum sacerdos est, tamquam a causa principali, cum tamen oporteat actionem sacrificam esse a sacerdote ut a principali agente ; alias, si esset a solo Deo, Deus sibi ipsi sacrificaret et seipsum coleret, quod sane absurdum est. Non ergo in consecratione reponi potest ritus sacrificalis.*

Respondeo : *Dist. antec.* Oportet ut actio sacrifica sit a sacerdote tamquam a causa principali, iormaliter ut sacrifica est, videlicet ut testificativa interioris reverentiae et delativa honoris Deo debiti, *conc. antec.* Physice considerata ut est mactatio quaedam, vel realis, vel mystica, *neg.* Cuius rei exemplum accipi potes ex sacrificio crucis, vel etiam ex sacrificiis V. T., in quibus victimae destructio materialiter sumpta plerumque fiebat ab iis qui sacerdotes non erant ; sed ad sacerdotem pertinebat tantum ordinare occisionem victimae ad cultum Dei, imponendo ei formam oblationis latreuticae. Et similiter in missa nihil obstat quod actio transubstantiativa sit materialiter a solo Deo tamquam ab agente principali ; nam si consideretur formaliter ut testificativa adorationis hominum, non amplius est a sacerdote ut a mero instrumento, sed ut ab eo qui ex propriis operatur, colit, adorat, et reveretur Deum.

Inquirendum nunc superest, qua de causa et sub quo formali respectu in consecratione corporis et sanguinis *Christi* vera salvetur sacrificae oblationis ratio.

Circa hoc iterum diversi diversimode opinati sunt. — Quidam dixerunt, ideo consecrationem esse sacrificium, quia in ea intervenit destructio substantiae panis. Sed hoc repugnat doctrinae traditae circa transubstantiationem, nec etiam aliunde probabilitatem habere posset, quia sic sequeretur panem et vinum sacrificari, non Christum.

Alii dixerunt, consecrationem esse sacriti mm, quatenus destruitur panis ut producatur Christus. Et fundatur ista opinio, quae est Suarezii (1), in eo quod, etsi destructio requiratur ad sacrificium, non tamen semper destructio rei principaliter oblatae; nam in antiquis sacrificiis, non solum offerebatur res in honorem Dei destructa, verum etiam id quod resultabat de novo productum, puta fumus incensi vel thymiamatis ; quare si illud quod destruitur est nobilius, illud etiam est quod principaliter offertur ; secus vero si e converso. Quia igitur in consecratione missae aliquid destruitur, nempe substantia panis, aliquid vero multo nobilius producitur, scilicet substantia corporis Christi, recte consequitur rem principaliter oblatam non esse panem et vinum, sed Christum. — Verum haec etiam sunt contra principia exposita circa naturam transubstantiationis. Praeterea nihil potest magis opponi communi omnium hominum sensui, quam assertio adstruens rem aliquam sacrificari, quando et quatenus producitur. Unde bene hanc sententiam confutat Lugo, Disp. 19, Sect. 4, n. 52-53.

Alii ergo cum Lugone ipso (2) dixerunt consecrationem eatenus esse sacrificium, quatenus per eam ponitur Christus in statu ut aiunt, decliviori : dum scilicet corpus eius fit comestibile, et sanguis potabilis, ac per hoc, aequivalenter destruitur. « Putamus ergo cum Cardinali de Lugo, plurimisque deinceps « theologis, internam sacrificii formam in eo esse, quod Christus « magnus sacerdos per ministerium sacerdotum eius nomine of« ferentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et « vini constituit *secundum quamdam sanctissimae suae humani« tatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus exi« nanitionem, ad statum cibi et polus* » (3). Sed haec etiam opinio id absurdi habet, quod ex ea sequeretur posse unum eumdemque hominem esse simul mortuum in uno loco, vivum in altero : siquidem, iuxta auctores illos, unus atque idem Christus esset

(1) Suarez, de Euchar., Disp. 75, Sect. 5.
(2) Lugo, de Euchar., Disp. 19, Sect. 5, n. 65-67.
(3) Franzelin, de Sacr. Missae, Thes. 16.

illic, pula in coelo, cum omnibus perfectionibus ac functionibus suae .l inanitatis, et simul hic, id est in sacramento, inanimi comedi ilis instar, cum reali privatione earumdem. Praeterea, supp< i a etiam possibilitate hypothesis, adhuc perperam assignat .ur sacrificii formalitas, eo quod reductio rei ad statum cibi et potus non habet proportionem ullam cum significatione sacrificali ; sic enim res accommodatur in hominis usum, potius quam offeratur Deo, et redeunt rationes superius allatae, ubi de sumptione sacerdotis in sententia Bellarmini (*). Insuper, sacrificium missae oblatio illa est quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur, ut dicit Tridentinum. Unde nefas est supponere rationem oblationis esse sine analogia ulla cum modis offerendi inter homines ab initio usitatis, cuiusmodi foret innominabilis illa quam dicunt, a functionibus et rationibus exsistendi connaturalibus exinanitio. Accedit demum, quod in assignata ratione radicaliter deest id quod maxime in praesenti desideratur, cruenti sacrificii crucis repraesentatio.

Alia iam sententia est, eorum nempe qui cum Lessio, Gonet, Billuart, reponunt formalem rationem sacrificii in consecratione, secundum quod esset actio, ut ipsi volunt, de se tendens ad veram ac realem separationem corporis a sanguine, adeoque ad veram ac realem oblatae victimae *occisionem, a qua* solum per accidens impediretur. « Per consecrationem panis, inquit « Gonet (a), ex vi verborum ponitur solum corpus, per conse- « cration em calicis solus sanguis, *ita ut veluti per accidens sit « respectu consecrationis, quod illa peracta, sanguis reperiatur « in corpore Christi*». Et Lessius de perfect, divin. *l. 12, n.* 97. « Nec obstat veritati huius sacrificii quod non fiat reipsa sepa- < ratio sanguinis a carne, quia id est quasi per accidens, *pro- « pter* concomitantiam partium ; *nam quantum est ex vi verbo- < rum, fit vera separatio* ». *Sed contra est* quod suppositum huius opinionis omnino non sustinetur. Non enim admissibile

(*) Supra pag. 628.
(a) Gonet, Manuale Thomistarum, Tom. 6. Tract 4, c. 12 e

est quod dicunt, actionem consecrativam na.iiu sua tendere ad separandum realiter corpus a sanguine. Primo quia ad hoc oporteret ut actio ista de se *excluderet* sanguinem a corpore sub speciebus panis, et corpus a sanguine sub speciebus vini, quod quidem est apprime falsum, ut constat ex dictis thesi 42, § 1, n. 2, de concomitantia. Secundo quia, si consecratio foret de se separativa corporis a sanguine, posset assignari aliqua hypothesis in qua realis separatio ex vi consecrationis haberetur. Atqui iterum hoc verum non est, nam in triduo fuisset quidem sub specie panis exsangue corpus, et sub specie vini effusus a corpore sanguis, at non ex vi consecrationis quae semper est eadem, sed solum ex vi realis status in quo tunc erant partes humanitatis Christi. Tertio quia actio consecrativa, uti superius probatum est, nullo modo mutat Christum, sed solam materiam quae consecratur. Quo posito, vel sanguis Christi ad consecrationem praesupponitur realiter unitus, corpori eius, vel realiter ab eo separatus: si realiter separatus, non ex vi verborum separabitur: si realiter unitus, consecratio quae ex natura suam nullam in Christo inducere valet mutationem, ex natura etiam sua nequaquam tendere potest ad separandas partes quae de facto indivisae sunt. Non ergo habenda est consecratio missae quasi *irritus conatus* ad realem Christi occisionem, qui etiam in omni hypothesi non faceret plus quam vanum tentamen sacrificii ; nec sunt ponenda consecratoria verba instar ictus gladii, qui cum ex sese deberet ferire ad mortem, per accidens tamen a consecutione sui effectus impeditur.

Veniat igitur quinto loco celebris sententia Vasquezii in 3""' Part. Disp. 222, cap. 7 et seq., docens eatenus in consecratione rationem sacrificii esse repositam, « quatenus per illam « efficitur ut. ipso corpore et sanguine Christi consecrato et « realiter ibi contento, cruentum illius sacrifidium quod in cruce « oblatum est, repraesentetur ». Haec iam sententia potiori consideratione digna, hoc saltem nomine, quod nihil absonum prae se fert, nihil non necessario admittendum ex regula fidei et unanimi Patrum traditione. Verumtamen contra se habet quod simplex raepresentatio praeteriti sacrificii nequaquam facit verum

sacrificum de praesenti, ut per se constat. Si ergo in missa nihil pius esset quam sacrificii crucis repraesentatio, haberetur quidem veri sacrificii commemoratio, non autem verum sacrificium in actu. Et ideo hunc dicendi modum facile confutat Logo ubi supra, Sect, 4, n. 54 et seq., ostendens quomodo frustra conetur Vasquez sententiam suam firmare ex doctrina Patrum ; nam ii omnes dicunt hoc sacrificium esse commemorativum sacrificii crucis, quod nemo negat, non autem dicunt, propter hoc praecise convenire illi essentia sacrificii. Peccat igitur haec sententia per defectum, cui minime obviat Vasquez per conditionem praemissam : *ipso corpore et sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento.* Per hoc siquidem quod dicitur corpus et sanguinem Christi realiter ibi contineri, nulla ulteriori determinatione adiecta, adhuc nihil in missa ponitur quod ad veram sacrificii rationem pertineat. Vera enim sacrificii ratio in oblatione sita est, et quidem Deo facta *per modum immolationis.* Unde est consequens quod nihil concluditur, nec concludi potest, quamdiu non attenditur illa a Tridentino asserta, Sess. *22,* cap. 1, *Christi Domini per sacerdotes sub signis visibilibus immolatio ;* de qua iterum Tridentini Patres sub initio cap. 21, ubi brevi formula dicta capitis praecedentis relegentes, non fuerunt contenti dicere quod « in divino hoc missae sacrificio idem ille Christus « *continetur,* qui in ara crucis seipsum cruente obtulit », sed, postquam dixissent *continetur, expresse* addiderunt quod a Vasquezio neglectum, maxime est in subiecta materia attendendum, et incruente immolatur.

S 3-

Restat itaque ultima sententia, quam omnino veram et Tridentino ad amusslto consentaneam existimamus, ponens consecrationem eucharistiae habere in se rationem sacrificii, formaliter et praecise in quantum est incruenta Christi immolatio, per sacramentalem seu mysticam corporis a sanguine sub distinctis speciebus panis et vini separationem ; de qua eleganter Gregorius Nazianzenus ad Amphilochium scribens : « Dum peragis

« igitur divina, fac quod praestantius est, el peccatorum molem «nobis solve... O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris orare et «legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris « *quando incruenta sectione secaveris corpus ci sanguinem domi-unicum, vocem adhibens pro ğlandio* fl).

Et sane, formalis ratio sacrificii missae illa est, quam institutionis verba demonstrant, *hoc est corpus meum quod pro vobis datur* (Luc. XXII-19) *hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur* (Matth. XXVI-28). Atqui, corpus Christi in eucharistia pro nobis dari, et sanguinem eius in eucharistia pro nobis effundi, nihil aliud est quam, ofterri illa Deo pro nobis, sacramentaliter separata : quatenus scilicet, loquendo de re oblata secundum quod per species et verba sensibus subiicitur, fit in consecratione praesens, corpus quidem seorsum a sanguine sub specie panis, sanguis vero seorsum a corpore sub specie vini, (neque enim sanguis sub specie panis, neque corpus sub specie vini sacramentaliter adsunt, id est, ut per exterius sacramentum, si dicere licet, sensibilizata), ac per hoc, sistitur in altari Christus, et praesentatur Deo in habitu passionis et mortis quam semel, aeterna redemptione inventa, pertulit in cruce : in qua quidem praesentatione consistit incruenta immolatio, cruentae repraesentativa, a Tridentino asserta ; praeter quam nihil assignari unquam poterit, constituens missam in ratione veri ac proprii sacrificii (2).

(*) Gregorius Naz. epist. 171 ad Amphilochium. P. G. 37, 279.

(·) Pulchre Bossuet, Méditations sur l'Evangile, 57i"U0jour: « Quelle 'simplicité du sacrifice chrétien! Je ne vois qu'un pain sur l'autel, un «peu de vin dans le calice; le reste qui est si grand que le ciel même «en est étonné, se fait par quelques paroles... Il dit, ceci est mon «corps; ce n'est plus du pain, c'est ce qu' il a dit. Il dit, ceci est mon «sang; ce n'est plus du vin dans le calice, c'est *ce que le Seigneur «a proféré. C'est là son corps, c'est le sang; ils sont séparés, oui, sé-« parés: le corps d'un côté, le sang de l'autre: *la parole a été l'épée,* » *le couteau tranchant qui a fait cette séparation mystique... Pour im-« primer sur ce Jésus qui ne meurt plus, le caractère de la mort qu'il a «.véritablement soufferte, la parole vient, qui met le corps d'un côté le « sang de l'autre, et chacun sous des signes différents.* Le voilà donc re-

Sed unt qui de eiusmodi incruenta immolatione nihil audire volunt, hac ratione ducti, quod victimam relinquit in seipsa penitus intactam, cum tamen, aiunt, ad veritatem sacrificii vera victimae destructio requiratur, aut certe talis immutatio quae in communi aestimatione sit verae destructioni aequipollens. Verum plane refellitur eorum ratio ex tribus, quas statim subiicimus, annotationibus rite perpensis.

Primo itaque meminisse oportet quod d_estructio in sacrificio non propter se quaeritur, siquidem destructio secundum se nihil profecto habet quod facere possit ad cultum et honorem eius *qui mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum* (Sap. I-13). Sed quaeritur propter saepe dictam symbolicam significationem : illius, inquam, devotionis qua nosmetipsos debemus offerre Deo, hostiam viventem, sanctam, ei placentem, in rationabile eius obsequium totam nostram vitam consumentes, omnia nunc intelligendo iuxta declarata superius in prolegomeno. S i, assert. 2a et 3®. Unde et ibidem dictum fuit quod, cum significandi gratia introducta fuerit sacrificalis illa destructio, magnam habuit vel ab initio modalitatis latitudinem, ut quidquid prae se externam ferret destructionis speciem et formam, ad propositum esset satis. Caeterum, unicuique rite consideranti perspicuum manifestumque fiet, quod destructio propter destru ctionem quaesita, non rectum redoleret religionis sensum, sed meram superstitionis vanitatem.

Secundo considerandum est quod in Novo Testamento, post consummatam in cruce redemptionem, non fuit amplius ullum sacrificium possibile, quod per victimae *in seipsa* destructionem aut aequivalentem exinanitionem peragueretur. Ratio est quia, post oblatum grande illud sacrificium crucis, omni alio sacerdotio abrogato, omnibusque aliis victimis *pro semper reiectis* et penitus repudiatis, solum remansit sacerdotium Christi, sola

« vêtu du caractère de sa mort, ce *Jésus autrefois* notre victime par «l'effusion de son sang, et encore aujourd'hui notre victime d'une rna- « nière nouvelle, *par la séparation mystique de ce sang d'avec ce corp*».

quoque victima Christus_a_Deo in scuq>i(,.im acceptata. Atqui Christus gloriosus non in ea iam condition· (st, in qua possit iterum pati, multoque minus ad incredibilem illum statum decliviorem quem nullo praecedente exemplo imaginati sunt aliqui, in quo fieret caecus, surdus, mutus, omni sensu carens, imo omnem formam humanam, vulgaris comestibilis instar amitteret. Neque enim, ait apostolus Heb. IX, intravit Iesus in vera Sancta Sanctorum, hoc est in caelum, *ut saepe offerat scmelipsum,* cruenta scilicet oblatione, *quemadmodum Pontifex* (veteris legis) *intrat in sancta* (umbratilia) *per singulos annos in sanguine alieno; nunc autem semel in consummatione saeculorum a destitutionem Peccati per hostiam suam* (cruentam) *apparuit.* Et alibi: *Christus resurgens a mortuis iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo.* Quibus aliisque plurimis eiusdem emphasis testimoniis edocemur, Christum, victimam unice iam(*) (sit venia verbo) Deo offeribilem, in eo nunc et pro semper statu inveniri, qui nec corruptionem mortis amplius compatitur, nec quamlibet aut vitae imminutionem, aut a plenitudine gloriae degradationem.

Hinc denique tertio, pronum erit concludere quod ad hoc tandem adducimur, ut unum fateamur de duobus: aut quod periit post consummatam redemptionem cultus Dei in potiori sua parte, remansitque religio Christiana, nequicquam reclamante ipso legis naturalis praescripto, orbata sacrificio; aut quod ad sacrificium in quantum huiusmodi ('), non sola valet victimae in seipsa destructio, sed illa etiam iam toties descripta mystica immolatio. Atqui primum dicere nefas, utpote catholicae fidei aperte contrarium. Restat ergo secundum, quod rigorosa consequentia ex praemissis consequitur. Neque in hoc, puto, specialis obversabatur Tridentino difficultas, cum hanc ipsam mysticam immolationem attendens dicebat: «Ut dilectae sponsae suae « Ecclesiae visibile sicut hominum natura exigit, relinqueret « (Christus) sacrificium,... novum instituit pascha seipsum per

(*) Recole dicta superius, pag. 588.

* sacer lûtes sub signis visibilibus immolandum ». Et re quidem vera, ' propria atque essentialis sacrificii forma sita est in expre ione nostrae adorationis et totalis in Deum resignationis. quid aiiud, quaeso, ad hoc ipsum aptius tibi videbitur, quam immolatio illa qua victima crucis per Ecclesiae manus in habitu suae cruentae mortis praesentatur Deo, et Ecclesia ipsa in unione cum capite suo, ut verbis utar Augustini, *seipsam per ipsum discit offerre?*

Frustra ergo dicent adversarii: Verum sacrificium requirit veram victimae destructionem, cuiusmodi non est praedicta illa mystica mactatio: ergo missa, ut sit verum sacrificium, aliquid aliud exigit praeter sacramentalem quae in consecratione fit, corporis a sanguine separationem. — Ad hoc enim, consequenter ad praemissa ' respondeo : Verum sacrificium exigit veram rei oblatae destructionem, ubi absque vera eius in seipsa destructione, vel saltem aequivalenti ad sensum immutatione, nequit haberi symbolica significatio sacrificio propria et essentialis, *conc.* Ubi haberi potest et reipsa habetur, uti nunc contingit in miranda Novi Testamenti oeconomia, *neg.* Unde nullo modo te moveat defectus similis exempli in antiquis sacrificiis sive legis naturae sive legis mosaicae. Nulla sequidem exinde conclusio: tum quia valde diversae fuerunt ante et post Christum sacrificiorum conditiones; tum quia, aliis pro nunc rationibus omissis, locum certe non habuit antequam ventum esset ad coenam novissimam, requisita ad mysticam immolationem transubstantiatio. qua scilicet res oblata sub alienis speciebus constituitur praesens, ac per hoc, etsi in se intacta permanens, nihilominus sub mactatae victimae habitu adhuc apta est offerri.

Instant tamen, vim facientes in verbo *mysticum.* Nam. aiunt, mysticum opponitur ei quod est reale; si igitur nihil plus in missa habetur quam mystica immolatio, missa iam non est nisi mysticum sacrificium, ergo non reale sacrificium. — At respondeo quod mysticum dicitur a mysterio, et suscipit omnes sensus qui huic nomini proprii sunt fl). In praesenti autem sumitur in(*)

(*) Vide supra, de sacram, in comm., pag. 16, seq

ea acceptione in qua determinat quidquid in rebus sacris sub signo et specie sacramenti peragitur. Quare transmittendo nunc acceptiones caeteras tamquam ad rem non pertinentes, *disl. antcc.* Mysticum opponitur ei quod est reale, si res quam denominat, eius rationis sit ut ipsius realitas nequeat componi cum effectione in sola specie sacramenti, *conc.* Secus, *neg. antcc. cum* sua consequentia. Et sane, manifestum per se est quod mactatio mystica non est vera et realis mactatio, quia si auferas destructionem rei vivae in seipsa, ratio verae occisionis amplius utique non manet. Sed quia, uti ostensum est, mystica mactatio non secus ac realis, potest, suppositis supponendis, esse verum ac reale subiectum symbolicae significationis quae propria est sacrificii forma, hinc est quod in mystica quoque immolatione potest consistere reale sacrificium.

Sed iam de his satis. Sequitur nunc ordine logico quaestio de diversis finibus sacrificii missae.

THESIS LV.

Sacrificium missae non tantum est latreuticum et eucharisticum, sed quatenus impetrat applicationem satisfactorii sacrificii crucis, est ex opere operato et propitiatorium. Hinc, tum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, tum pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite iuxta apostolorum traditionem offertur.

Quid sit sacrificium latreuticum et eucharisticum, sufficienter patet ex dictis in prolegomeno de divisione sacrificiorum. — Propitiatorium generatim est id quod habet vim placandi Deum offensum, et ex consequenti, obtinendi ab eo omnis generis beneficia. Sub hoc duplici respectu propitiationis virtus in sacrificio novae legis attenditur (1), non tamen eodem modo

(1) Apud quosdam theologos occurrit distinctio inter sacrificium prout *propitiatorium*, et prout *impetratorium* est: (cf. Lugo, Disp. ig, Sect. 9, n. 140). Certe, quoad rem nulla esse potest discordia, sed quoad

ac in s ‹ riticio crucis ; nam sacrificium crucis fuit satisfactorium et meritorium ut causa universalis nostrae redemptionis; at missa nec satisfactoria est nec meritoria ex opere operato, ut constat, sed propit iatoria dicitur quatenus in ratione causae particularis impetrat iis pro quibus offertur, applicationem satisfactionum et meritorum crucis, iuxta illud Tridentini, Sess. XXII, cap. 2 (Denzinger 940;: « Cuius quidem oblationis cruentae fructus, per hanc incruentam « uberrime percipiuntur». Qualiter autem missa in genere causae applicativae a sacramentis differat, iam dictum est superius, et iterum sufficienter indicatur in ipsa propositionis enuntiatione.

Per fideles vivos intelliguntur ii omnes et soli, qui sunt membra visibilis corporis Ecclesiae. Sacrificium enim novae legis *quoad opus operatum* est proprium Ecclesiae bonum, non secus ac sacramenta ; quare, sicut non licet ministrare sacramenta iis qui sunt extra Ecclesiam, ita nec licite iisdem videtur posse applicari opus operatum missae. Est autem haec differentia inter sacramenta et sacrificium, quod sacramenta utpote efficacia per modum efficientiae, valide applicari possunt etiamsi indebite ministrentur; sed sacrificium cuius tota efficacia sita est in impetratione, non applicatur valide nisi applicetur etiam secundum ius : quippe, nulla impetratio apud Deum valet, quae non fit debito modo. « Unde inquit S. Thomas, Quaest. 79, a. 7, ad 2 « in canone missae non oratur pro his qui sunt extra Eccle- « siam ». — Animadvertendum tamen, haec esse intelligenda *de directa applicatione* operis operati. Neque enim fas est dubi-

tnodum loquendi non placet oppositio propitiationem inter et impetrationem. — Primo quia Tridentinum, Sess. 22, cap. 2 et can. 3, etsi apertissime loquatur de sacrificio in quantum placat Deum offensum, et ab eo impetrat bona, semper uno*propitiatorii*sacrificii vocabulo utitur. — Secundo quia vocabulum istud ex natura sua utrumque respectum includit. Reddere eniin propitium, non est tantum placare negative, quasi auferendo indignationis obicem, sed est etiam inclinare offensum ad positivum favorem. — Hinc tertio, propitiatio includit impetrationem et addit placationem offensi ; quo fit ut secluso peccato, non esset locus propitiationi, sed semplici impetrationi; supposito autem peccato, impetratio debet esset placativa, et ideo induit rationem propitiationis.

tare quin sacrificium directe oblatum pro ipsius Ecclesiae pace, prosperitate, propagatione, indirecte redundet in haereticorum atque infidelium conversionem, sine qua non habetur Ecclesiae prosperitas et splendor; et hoc sensu offerimus calicem salutaris *pro nostra et totius mundi salute*. Animadvertendum etiam, ultra impetrationem ex opere operato attendi in missa impetrationem ex opere operantis, nihilque impedire ex natura rei quominus ista ad extraneos etiam extendatur. Unde videntur per hanc distinctionem conciliari posse documenta specie tenus contradictoria, quae citantur apud Vasquez (1), Lugonem (2), et Bellarminum (8). — Difficilior autem occurrit quaestio de defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis. Sane indubium est, hisce Tridentini verbis comprehendi eos omnes qui in sinu corporis Ecclesiae, cum fide viva ex hoc saeculo migrarunt. Eis etiam accensendi sunt alii omnes baptizati qui dum viverent, materialiter pertinebant ad sectas. Remoto enim obice externae adhaesionis ad congregationem haereticam vel schismaticam, non apparet cur excludi deberent a numero eorum *qui nos praecesserunt cum signo fidei,* quod est character christianitatis. De aliis vero in purgatorio degentibus, an eis missa ex opere operato prodesse possit, tam diversae sunt theologorum sententiae, tamque varia hinc et inde documenta, ut non facilem habeat quaestio solutionem. Dico tamen sententiam negantem non videri admodum probabilem, eo quod omnes illae animae, quantumvis baptismati charactere non insignitae, ad Ecclesiam patientem certo certius pertinent, suntque simpliciter de mystico corpore Christi; ibi namque non amplius viget distinctio inter animam et visibile corpus Ecclesiae.

Nunc, quid per peccata, poenas, satisfactiones, aliasque necessitates debeat intelligi, paucis superest exponendum. — Peccata sunt culpae tam mortales quam veniales. Qua autem ratione per missae sacrificium remittantur peccata quoad culpam, explicat S. Thomas in IV, I). 12, q. 2, a. 2, q. 3, ad 4 “:

(1) Vasquez, de Euchar., Disp. 227, c. 3.
(2) Lugo, Disp. 19, Sect. 10.
(3) Beharminus, de Missa, l. 2, c. 7.

« Euch.u istia in quantum est sacrificium, habet effectum etiam «in al . . pro quibus offertur, in quibus non praeexigit vitam «spiritualem in actu, sed in potentia tantum; et ideo, si eos « dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sa- ti crificii a quo omnis gratia in nos influit, et per consequens « peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in «quantum gratiam contritionis eis impetrat». — Per poenas non intelliguntur hic poenae aeternae, quae a macula peccati sunt inseparabiles et simul cum illa necessario remittuntur, sed intelligitur poena purgatorii quae post condonatam culpam luenda manet. Considerandum est autem, poenas remitti virtute sacrificii absque ullo interposito medio, nequaquam vero sicut prius, mediante impetrata contritionis gratia. Peccatum enim quoad reatum poenae temporalis remittitur per meram condonationem extrinsecam quae nihil in homine ponit, sed tota consistit in eo quod Deus, iustam solutionem acceptans, debitum relaxat. Bene ergo et conformiter ad propriam naturam sacrificii, dicitur poena temporalis per ipsum remitti tamquam per causam proximam, culpa vero non item. — De satisfactionibus dicendum quod sunt opera poenitentiae quibus iusti in hac vita praedictas pectorum poenas redimere valent. Quare cum Tridentinum dicit sacrificium missae rite offerri pro satisfactionibus, sensus est, posse sacrificium istud substitui loco satisfactionum quibus poenae purgantur. Hinc sub hoc quoque respectu, nihil aliud consideratur quam propitiatio pro peccato quantum ad poenam temporalem. — Denique, per alias necessitates intelliguntur quaelibet bona obtinenda, sive spiritualia sive temporalia: temporalia tamen, in quantum conducunt ad spiritualia. — Et de explicatione terminorum, hactenus.

Nunc oportet ante omnia demonstrare generalem propositionis assertionem. — Et primo quidem missa est latreutica, quia latria pertinet ad essentiam omnis sacrificii in quantum huiusmodi; unde sacrificare idem est ac adorare, iuxta illud

Gen. XXII-5 : Dixitque Abraham ad puer·· suos: Expectate « hic cum asino ; ego et puer (Isaac) illuc usque properantes, **postquam adoraverimus,* revertemur ad vos».

Esi pariter eucharistica, id est gratiarum actionis, sicut ipso nomine quo fuit ab initio designata satis superque constat. Specialiter autem animadvertendum quomodo hinc sequatur, sacrificium istud recte offerri *in honorem sanctorum,* videlicet ad agendas Deo gratias pro victoriis eorum. Cum enim Sancti introierint in potentias Domini, habeantque voluntatem in Deum totaliter transformatam, suam excellentiam nonnisi in Deo appretiantur ; et ideo, dum laudatur Deus in eis, defertur eis honor et gloria. Porro missa est ex natura sua eucharistica pro omni genere beneficiorum ; praeterea obtulit se Christus hostiam Deo, teste Apostolo ad Ephes. V, ut electis coronam aeternae gloriae mereretur. Ergo nihil melius pro eis in gratiarum actionem potest offerri, quam ipsa victima cuius oblatio fuit principium totius sanctificationis eorum. Unde in quadam secreta dicitur: « In tuo« rum, Domine, pretiosa morte iustorum sacrificium illud offe« rimus, de quo martyrium sumpsit omne principium ». Et universim loquendo, cum Sanctissimam Trinitatem rogamus ut suscipiat sacrificium *in honorem Beatae Mariae semper virginis, el Beati loannis Baptistae, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium sanctorum,* nihil aliud intendimus nisi Deum benedicere, ipsumque collaudare pro mirabilibus quae operatus est in sanctis, iuxta id quod legitur in alia secreta. « Pro san« ctorum tuorum sanguine venerando, hostias tibi Domine, so« lemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes, per quem « talis est perfecta victoria » (').(*)

(*) «Quant â ce qu'on trouve si étrange que nous offrions Jésus« Christ à Γ honneur des saints, c' est à dire pour honorer leur mémoire, «et remercier Dieu de la gloire qu'il leur a donnée: c'est qu'on ne « fait pas réflexion sur la nature de ce sacrifice. Car pour qui est-ce «en effet que Jésus-Christ s'est offert, si ce n'est pour nous mériter «la gloire? Que pouvons-nous donc offrir à Dieu en action de grâces «pour les saints, si ce n'est la même victime par laquelle ils ont été «sanctifiés? — Que si vous voulez entendre expliquer cette vérité à

Deniqu'· h lissa est etiam propitiatoria pro peccatis, omnia intelligence m :ta declarationes iam praemissas. — Constat in primis ex v· --bis institutionis, quibus asseritur sanguinem Christi in sacramento offerri in remissionem peccatorum ⁋. — Constat praeterea ex innumeris liturgiae locis. Nihil enim frequentius occurrit quam haec et similia : *Oblationibus nostris placare susceptis... Propitiare, Domine, populo tuo, propitiare muneribus.. Concede ut haec hostia salutaris, et nostrorum fiat purgatio delictorum, et tuae propitiatio potestatis.* Quid plura? In ipso canone quotidie dicitur : *Qui tibi offerunt hoc sacrificium... pro redemptione animarum suarum :* non quod redemptionis pretium in missa persolvatur, sed quia persolutum in cruce pretium nobis incruenta hac oblatione applicatur. — Constat denique ex diserto atque expresso Patrum testimonio. Ait enim Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. mystag. 5, n. 8 (P. G. 33, 1116): ‹ Postquam vero

*1' Eglise même, écoutez cette secrète magnifique. (De SS. Basilic!., «Cyrin,, iNabor., 12 Iunii): *Nous vous immolons, Seigneur, solennelle-* *« meut ces hosties, pour honorer le sang répandu de vos saints martyrs,* *« et en célébrant tes merveilles de votre puissance par laquelle ils ont rem-* *«porte une sigrande victoire.* Et encore, (Fer. V post Domiu. III. Qua- * drag.) : *Nous vous offrons, Seigneur, dans ta mortprécieuse de vos mar-* • *tyrs, ce suint sacrifice d'oit te martyre même upris sa source.* C'est en «effet en célébrant dans ce sacrifice *la mémoire de la mort de Notre-* « Seigneur, que les martyrs ont appris à mépriser *leur vie, et â se* «rendre avec lui les victimes du Père éternel. *Il n'y* a *donc rien de* «plus convenable que d'honorer dans ce sacrifice les vertus qui en «sont 1'effet et le *fruit... C'est en vérité être trop grossier, et avoir* «l'esprit trop bouché aux choses célestes, que de ne pas voir que « l'honneur des saints n'est pas tant leur *honneur que l'honneur de Dieu,* « qui est *admirable en eue (Psalm. 67-36), dont la mort est précieuse* " *devant* lui, qui ne cessent *de lui chanter qu'il est leur gloire, leur ta-* • *lui, leur espérance, la gloire de leur vertu, celui d'où leur vient toute* • *leur force, et le seul qui les élève (Psalm. 88,* 17-18). Aussi *est-il gl».* *rifié dans Iassemblée des saints:* c'est en lui seul qu'ils se réjouissent parce que *c'est le Seigneur qui les a élus, c'est le Dieu d'Israël qui est leur roi. L'Eglise* répète sans cesse ces paroles *de* Γ Ecriture, et c*est *Dieu qu'elle loue dans* ses serviteurs ·. Bossuet, Explication etc. n. 40.

(') Vide supra, Thés. 53.

« perfectuni est spirituale sacrificium, incru-ntus cultus, *super* * *illam propitiationis hostiam* obsecramus Deum pro communi « Ecclesiarum pace.,, et universim pro omnibus qui opis indi· « gent precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus ». Sed iam magis particulariter intuendum est, ad quas personas, quasve necessitates, propitiatio ista sese extendere dicenda sit.

§ 2

Missa est propitiatoria pro vivis, primo quantum ad culparum reatus; id enim manifeste evincunt institutionis verba: *Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* — Item, quantum ad poenas et satisfactiones : tum quia remissio peccatorum adaequate sumpta importat extinctionem reatus utriusque, culpae nimirum et poenae; tum quia si missa ex opere operato prodest defunctis (ut paulo post ostendetur) ad poenarum relaxationem, prodesse debet et vivis, quibus profecto non minor inest capacitas. — Denique quantum ad alias quoque necessitates, quia id quod valet ad impetrandam remissionem peccati, valere etiam debet ad impetrandam liberationem a caeteris malis quae ex peccato sunt orta. Insuper, ut Bellarminus observat, si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam redit cum inimicis suis, quanto facilius ob idem sacrificium adducetur ut amicis bona tribuat quae eis utilia fuerint. Accedit demum quod semper fuerunt sacrificia impetratoria beneficiorum ; porro sacrificium nostrum in se uno omnium antiquarum hostiarum complectitur perfectiones, ut dicit Tridentinum, Sess. XXII, cap. 15. Ideo in canone post illa verba: *pro redemptione animarum suarum,* adduntur haec sequentia; *pro spe salutis et incolumitatis suae.*

Missa est etiam propitiatoria pro defunctis. Et potest primo indirecte probari ex 2 Machab. XII-43. Si enim sacrificia vetera ex opere operantis proderant mortuis, quanto magis sacrificium novae legis proderit eis ex opere operato. Nec obstat ad valorem demonstrationis contra Protestantes, quod Machabaeorum libros ut canonicos non recipiant; nam ut scite iterum Bellarminus advertit, esto non sint canonici, at certe nemo ne-

gare potest l.· oricum esse antiquissimum et bonae fidei, haud secus ac lose num aut Sallustium. Habemus ergo ut minimum, fuisse in Syn . ,oga consuetudinem offerendi sacrificia pro mortuis ut a p nis peccatorum solvantur ; quae consuetudo neque a Christo, neque ab apostolis, neque ab ullo doctore invenitur unquam reprehensa, sed imo absque contestatione transivit ad christianos, ut ex verbis S. Monicae morientis colligere possumus: « Ponite hic, inquit, matrem vestram; tantum vos rogo « ut ad altare Domini memineritis mei » (1. Adde, subdit Bellarminus, quod Augustinus quem sane tutius sequimur quam Calvinum aut Lutherum, in libro de cura pro mortuis, ex praefato Machabaeorum loco demonstrat prodesse defunctis sacrificia pro eis oblata. — Proprius tamen huius demonstrationis locus est traditio apostolica, quam perpetuus Ecclesiae sensus, diserta liturgiarum documenta, et Patrum unanimis doctrina declarant. Porro vis argumenti eo est maior, quod Patres in suis concionibus et catechesibus loquuntur de oblatione sacrificii pro mortuis ut illis proficiat ad refrigerium, quasi de re usitatissima et plane vulgari inter fideles. Vide ad exemplum, Chrysostomum in homilia tertia super epistolam ad Philippenses; Ambrosium in funebribus orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani II, et fratris sui Satyri; Cyrillum Hierosolymitanum, catech. mystag- 5. n. 9-10 (P. G. 33, ix 15 *sq.): « Deinde, inquit Cyrillus, et* « pro defunctis sanctis patribus et episcopis et *omnibus generatim* « qui inter nos vita *functi sunt,* oramus: *maximum hoc credentes* « adiumentum illis animabus fore, pro *quibus oratio defertur, dum* « sancta et perquam tremenda *coram iacet victima... Novi multos* « ita dicere: Quid *iuvat animam ex hoc mundo decedentem, si in* « oratione eius mentio fiat? At vero, *si rex quispiam virosa quibus* « *offensus fuerit relegarit in exilium, posteaque illi ad quos* at- « tinet, coronam *plectentes, eam regi pro suis poena ab ipso* « *afflictis obtulerint, nonne ipsis suppliciorum relaxationem* gra- « tificaturus sit? Ad eumdem modum ei nos pro *defunctis preces*

(·) *Apud August., l.* 9 *Confess., c. ll* (p. L. .

«offerentes, non coronam plectimus, scd Christum mactatum « pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum tum pro illis «tum pro nobis propitiare satagentes ».

COROLLARIUM I

Missa, etsi sit propitiatoria ex opere operato, non tamen infallibiliter obtinet quoslibet effectus in quibuslibet personis, sed tum ex parte obiecti quod petitur, tum ex parte eorum pro quibus petitur, certae requiruntur conditiones.

Ratio assertionis est quia, cum missa in tantum habeat efficaciam, in quantum *impetrat* applicationem satisfactionum et meritorum crucis, infallibilitas effectus proportionatur naturae impetrationis, in qua tria possunt et debent considerari : *primo* causa impetratoria, *secundo* obiectum impetrationis, *tertio* subiectum cui gratia impetratur.

Quantum est ex parte causae impetratoriae, effectus missae est omnino et absolute infallibilis, quia in sacrificio nostro prout offertur in persona et ex institutione Christi, attenditur impetratio ipsiusmet Christi qui semper dignus est exauditione, praesertim cum omnia ad humanam salutem pertinentia meruerit per sanguinem passionis suae.

Quantum est autem ex parte obiecti, distinctione opus est. — Si enim sermo sit de eo quod est *in remissionem peccatorum* sive quoad culpam sive quoad poenam, sic iterum ex hoc capite infallibilis est fructus missae, cum ipsa ex vi institutionis suae ad tollenda peccata determinate ordinetur. Hoc tamen intelligi debet conformiter ad dicta superius, quatenus scilicet, ad culpas quod attinet, proximus sacrificii fructus non est nisi actuale auxilium quo homo se disponat ad iustificationis gratiam, mediante Poenitentiae sacramento in re vel in voto. — At vero si sermo sit de aliis beneficiis, semper oportet sabaudire duplicem conditionem : si res postulata expediat ad salutem, et si sit secundum ordinarias providentiae leges. Salvator enim non im-

petrat illud ' iod ad salutem non expedit; praeterea impossibile est ut instituerit in Ecclesia ordinarium medium ad obtinenda infallibiliter miracula, cum ista ex ratione sibi propria sint praeter commun· ni et regularem rerum cursum.

Denique ex parte eorum pro quibus offertur missa, adhuc distinctio introducenda est. — Nam quod attinet ad effectum remissionis poenae, de necessitate in eis praerequiritur status gratiae, et remissio quoad culpam, eorum peccatorum a quorum poenis sunt purgandi. Ratio est quia nequit fieri ut remittatur poena temporalis ei qui reus est poenae aeternae, vel ut absolvatur a poena is qui nondum solutus est a culpa. — Quoad alios vero effectus, coniecturis relinquitur locus. Certe dicit Angelicus, ubi supra: «Si eos dispositos inveniat, gratiam contri- « tionis (missa) eis impetrat », et eodem modo loquuntur caeteri Doctores. Sed quaenam sint dispositiones istae ad infallibilitatem fructus requisitae, incertum est. Non absurde forsitan diceres requiri ut non sit homo actu obfirmatus in peccato, quin imo, ut desiderium habens excutiendi iugum peccati, propriaeque infirmitatis conscius, fide respiciat in hoc sacrificium, sicut qui in deserto morsibus serpentum vulnerati in serpentem aeneum respiciebant et sanabantur.

Ex his intelliges, fructum missae esse semper et absolute infallibilem in defunctis, tum quia animae *purgatorii nequeunt* carere conditionibus requisitis, tum quia pro *illis non petitur nisi* id quod determinate expressum est in *institutione sacrificii, peccatorum* scilicet remissio quoad poenae reatum. — *Intelliges praeterea, oblationem missae in duobus differre ab impetratione humana.* Primo in hoc differt, quod *valide celebrata et applicata habet semper* quantum ex se est, efficaciam *impetrandi, et ideo recte dicitur impetratoria ex opere operato. Secundo differt, quia ordinatur* ad impetrandum pro aliis quibuscumque, et *quidem infallibiliter* si omnes debitae conditiones adsint. *Homines autem* orantes, etiam debitis *conditionibus servatis, non exaudiuntur infallibiliter* nisi pro *seipsis. iuxta illud Augustini,* Tract. 102 in Ioan., n. 1 (P. L. 35. *1896): « Exaudiuntur quippe* omnes sancti pro se- « ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis vel ini·

« micis suis vel quibuslibet aliis, quia non utcumque dictum «est, *dabit* (si quid petieritis Patrem in nomine meo), sed *dabit « vobis »*.

COROLLARIUM II.

Recte missa celebratur ad implorandum patrocinium Sanctorum per Summum Mediatorem Christum, ut scilicet illi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris ζ1).

Duplici potissimum modo Sanctorum suffragium invenitur in missa imploratum. — Primo quidem quatenus ad hoc adhibetur ut grata fiat apud Deum nostra oblatio, puta cum in hunc modum orat Ecclesia: «Apostoli tui Pauli precibus, Domine, « plebis tuae dona sanctifica, *ut quae tibi tuo grata sunt instituto, « gratiora fiant patrocinio supplicantis* » (2). — Alio vero modo, quatenus Sanctorum intercessio est quidam finis celebrationis missae, id est quoddam beneficium quod intendimus per oblationem sacrificii obtinere, sicut cum quotidie dicitur in offertorio: «Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem *quam tibi offe- « rimus... in honorem Sanctorum... ut illi pro nobis intercedere * dignentur in caelis,* quorum memoriam agimus in terris, per « Christum Dominum nostrum ».

De primo modo iam fere dictum est in huius quaestionis prolegomeno $ 3, ubi satis praeoccupata fuit difficultas. Non enim petimus angelorum ministerium aut sanctorum suffragium, ut Deus acceptam habeat oblationem secundum quod a Christo est ut a principali offerente, sed in quantum a nobis etiam ratione iam dicta offertur, et de manibus nostris, si dicere fas est, ad Deum transire debet. Tantum igitur abest quin sit ibi aliqua impietas erga Christum, ut potius necessaria appareat humilitas, ex maxima commendetur reverentia. Profitemur enim nos non(*)

(*) Cf. Trident., Sess. XXII, cap. 3, et can. 5.
(·) Secreta in die commemorationis S. Pauli, 30 lunii.

«sse digno qui tantam et tam excellentem victimam [praesentemu , sed agnoscentes non peccatis plenos, speramus fore ut in<li '1'itatem nostram suppleat patrocinium eorum qui placuerunt Deo, et in eius amicitia sunt in aeternum confirmati. Accedit et egregia protestatio communionis Sanctorum etfe ctae per mortem Christi, (cuius mysterium in missa iugiter re colitur), iu ta illud Ioan. XI·5î : *lesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Unde Augustinus I. io de civ. Dei, c. 19 (P. L. 41, 297): «Quocirca sicut orantes atque laudantes ad eum « dirigimus significantes voces cui res ipsas in corde quas signifi- «camus, offerimus; ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium « offerendum esse noverimus quam illi cuius in cordibus nostris in- « visibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis favent, « nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro viribus suis « adiuvant Angeli quique, Virtutesque superiores et ipsa boni- « tate ac pietate potentiores ». Et non soli angeli nos in hoc adiuvant, verum etiam beati omnes qui ex nobis ad eorum so- cietatem iam transierunt, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio .societasque sanctorum, universale sacrificium offera- tur Deo per Christum sacerdotem magnum (1).

Restat itaque considerandum qualiter missae celebrentur *pro sanctorum intercessione apud Deum obtinenda.* — Qua *in re* observare oportet « quod iste *ordo est divinitus institutus in* -‹ rebus, ut per media ultima reducantur *in Deum. Unde, cum* « Sancti qui sunt in patria *sint Deo propinquissimi, hoc divinae* « legis ordo requirit, ut nos qui manentes in *corpore peregri-* « namur a *Domino, in eum per sanctos reducamur; quod quidem* « contingit dum per eos *divina bonitas in nos suum effectum* « infundit. Et quia *reditus noster ad Deum respondere debet* « processui bonitatis *ipsius in nos, sicut mediantibus sanctorum* « suffragiis, Dei beneficia in nos *deveniunt, ita oportet nos in*

(·) «L'esprit de ce sacrifice est d'unir à Dieu toutes les créatu- « res, et surtout les plus saintes, pour lui rendre en commun la recon- « naissance de leur servitude.. Bossuet. Explication, etc., n. jS.

«Deum reduci, ut iterato beneficia eius unamus mediantibus «sanctis» ‖. Iste, inquam, ordo est divinitus constitutus, sub mediatione suprema Iesu Christi Salvatoris nostri. Neque enim « valet sanctorum intercessio quasi Christi mediatio per se sufficiens non esset, sed e contra, quia ita fuit excellens et perfecta ut etiam sanctis auctoritatem contulerit impetrandi: «Sicut non « est propter defectum divinae potentiae, quod mediantibus secun- « dis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordi- « nis universi, ut eius bonitas multiplicius diffundatur in res, dum « res ab eo non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper « aliis causa bonitatis exsistunt» (2). Mediatio itaque Christi, nedum excludat suffragia sanctorum, comparatur potius ad ea ut principium a quo dependet, et cui semper innituntur. Quapropter si celebratio missae valet ad consecutionem quorumlibet fructum redemptionis, valebit etiam ad hunc finem, ut sanctis inspiretur a Deo affectus intercedendi pro nobis per supremum Mediatorem et Salvatorem Christum.

Nec dicendum, ibi esse circulum inutilem, eo quod rectius peteretur immediate a Deo id de quo rogamus eum ut faciat se rogari a sanctis; nam si quid valeret ratio eiusmodi, valeret ad tollendam de medio omnem omnino orationem. Numquid forte ignorat Deus id quo indigemus? Nescit quid optemus, quando facimus orationem interpretem desiderii nostri? Nonne ipse est qui nobis nostras inspirat orationes? Utquid aliorum orationibus nos commendamus? An pro nobis orabunt sicut oportet nisi eis Deus orandi inspiret affectum ? Cui igitur bono circuitus iste cum Deo? Nonne satius esset omnia permittere eius voluntati? — Sed facile respondetur Deum, his non obstantibus, velle nos orare, et orare pro aliis, et rogare alios ut pro nobis orent. Nam etsi orationibus nostris ipse non indigeat, neque ad sciendum necessitates nostras, neque ad subveniendum eis, tamen bonum nobis est orare his omnibus modis: tum quia, sic orando meliores efficimur, et non inutilem circuitum peragimus sed sinceram

(·) S. Th., Suppleni., Quaest. 72, a. 2, in corp.
(») Ibid., ad 1» .

charitatem ‹. mus, tum etiam quia perfecta fraternitas debet exsistere inter omnes qui ad unam beatitudinem evocantur in illa *fermai /uac aedificatur ut civitas, cuiut participatio eius in idipsum.* Cum ergo Dei gloria et redemptionis perfectio maxime commendetur per hoc quod sancti de salute nostra curam habent, et suo suffragio aliquid gratiae spiritualis nobis impertiuntur, sequitur iterum, recte nos sacrificium offerre pro obtinenda eorum intercessione, qua a divina inspiratione procedens in meritis Christi ultimo innititur (').

(') « Afin que vous compreniez une fois, quel est l'esprit de l'Eglise «dans cette intercession des anges et des saints, écoutez cette préface «d'une messe qu'on trouve dans un volume qui a plus de mille ans: *« O Seigneur, ce bienheureux confesseur se repose maintenant dam votre « paix ; inspirez-lui donc, ô Dieu miséricordieux, d'intercéder pour non. «auprès de vous, afin que l'ayant rendu assuré de sa propre félicite vous « le rendiez soigneux de la nôtre, par Jésus-Christ Notre-Seigneur.* Remar- «quez que c'est par Jésus-Christ qu'on demande à Dieu, non seulement «l'effet des prières que font les saints, mais encore l'inspiration et le « désir de les faire. Ceux qui vous ont fait sur le canon tant de mau- « vaises railleries, seront peut-être encore assez ignorants ou assez hardis, «pour en faire de beaucoup plus grandes sur ce circuit où l'on nous tait nous adresser à Dieu afin qu'il inspire aux saints de prier pour nous; coin- * me si ce n'était pas plus tôt fait de demander à Dieu immédiatement ce «que nous voulons qu'il se fasse demander lui-même par les saints. «Mais par ces raisonnements *profanes il faudrait supprimer toute prière,* «et celles qu'on adresse immédiatement à Dieu, *autant que toutes* /es «autres; car Dieu ne sait-il pas nos *besoins.3 ne sait-il pas ce que nous* « voulons quand nous le prions? et n'est-ce *pas lui-même qui nous* «inspire nos prières? Surtout, *pourquoi lui demande-t-on quelque chose* « pour les autres? et pourquoi prier nos *frères de prier pour nous? Le «feront-ils* comme il faut si Dieu ne *leur en inspire la volonté ? A quoi* » bon ce circuit avec *Dieu? et n'est-ce pas le plus court de le laisser* «faire? Que si on répond ici que Dieu nonobstant cela veut qu'on le «prie, et qu'on *le prie pour les autres, et qu'on prie les autres de prier i* pour soi; parce qu'encore *qu'il n'ait que faire de* nos prières, ni pour i accorder nos bésoins, ni *pour les savoir, il nous est bon de prier en* toutes ces manières, et que nous devenons meilleurs en le faisant: qu'on n'appelle plus tout cela un circuit inutile, mais un sincère exercice de la charité que Dieu *honore constamment, lorsqu'il inspire ou exauce de telles prières. Et parce qu'il* veut établir une parfaite frater·

THESIS LVI.

Missa in quantum propitiatoria est, non habet de se limitatam efficaciam, nec antecedente Dei lege ad certum valorem taxatur: sed mensura fructus accipienda est ex modo applicationis ad diversas personas, et quantitate devotionis earumdem. Hinc quod attinet ad fructum specialem qui ex propria sacerdotis intentione dependet, dicendum videtur quod missa oblata pro multis non tantumdem valet singulis, ac si peculiariter pro unoquoque offerretur.

Cum dicitur missa non habere de se limitatam efficaciam, sensus est quod *ex opere operato* habet virtutem, *quantum ex se est,* ad obtinendos fructus in gradu semper maiori, necnon et in personis semper pluribus. Ubi notabis differentiam inter sacrificium et sacramenta; nam in sacramentis consideratur fructus quoad solam intensitatem, non autem quoad extensionem ad plures, quia sacramentum unum nonnisi uni applicatur, sed unum sacrificium extenditur ad multos, ut constat ex verbis formae, *qui pro multis effunditur.* Nunc igitur quaestio est de quantitate fructus, tam quoad extensionem, quam quoad intensitatem.

Praeiacto autem fundamento de illimitata virtute missae secundum se consideratae, quaeritur ulterius undenam proveniat quod nihilominus fructus huius sacrificii in reipsa limitentur. — Quidam enim dicunt hoc provenire ex lege arbitraria Dei qui

«nité entre tous ceux qu'il veut rendre heureux ou dans le ciel ou dans « la terre, il inspire non seulement aux fidèles, mais encore aux saints «anges et aux saints hommes qui sont dans le ciel, le désir de prier « pour nous; parce que c'est une perfection aux saints hommes qui sont «nos semblables, de s'intéresser pour notre salut, et une autre perfec-«tion aux saints anges qui ne le sont pas, d'aimer et de révérer en « nous la nature que le Fils de Dieu a cherchée jusqu'à s'y unir en « personne. Nous pouvons donc demander à Dieu qu'il leur inspire ces «prières qui l'honorent, parce que nous lui pouvons demander tous les « moyens dont il lui plaît de se servir pour manifester sa gloire ; mais « il le faut demander par Jésus Christ, par qui seul tout bien nous doit «arriver». Bossuet, Explication, etc., n. 39.

unam i ' inique missam taxavit pro tanto, puta pro centum, nec plus i ' minus, ita ut valor iste possit deinde, vel uni dari, vel inter ;-lures distribui, fere sicut summa pecuniae quae vel ex integro datur uni pauperi, vel si distribuitur, eo ipso partialiter tantum ■■ pro rata concurrentium provenit ad singulos. — Alii vero dicunt quantitatem tam intensivam quam extensivam fructuum non limitari per antecedentem Dei taxationem, sed solum ex modo applicationis et mensura dispositionum. «Quamvis ergo haec « oblatio, ait S. Thomas supra, Quaest. 79, a. 5, ex sui quantitate « sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria « illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, *secundum quan- « titatem suae devotionis,* et non pro tota poena». Ubi dicendo *iliis pro quibus offertur,* tacite etiam meminit S. Doctor alterius conditionis superius assignatae, cum alio atque alio modo, perfectiori scilicet vel imperfectiori, contingat sacrificium aliquibus applicari. Censemus ergo mensuram fructuum pendere complexive ex duobus, ita ut in paritate dispositionum ex parte recipientium, eo maior sit fructus in singulis, quo perfectius eis missa applicatur, et in paritate applicationis, eo melior quo meliores sunt dispositiones; nunquam vero minuatur ex eo praecise titulo, quod exhauriretur valor ad quem missa fuisset a Deo antecedenti lege restricta.

De applicatione dicimus illam esse tanto meliorem, quanto minus confusa seu communis est. De dispositionibus vero, primo quidem animadvertimus quod aliud est generaliter adstruere mensuram fructus proportionatam quantitati devotionis, aliud vero determinare in particulari, in quo praecise consistat devotio illa conferens ad pleniorem participationem sacrificii. Et licet hoc alterum non posset sufficienter innotescere, non ideo vacillaret primum, ut constat. Quo praesupposito. aut de defunctis inquiritur, aut de vivis. Quoad defunctos, maior minorve capacitas attendi poterit, vel secundum maiorem minoremve charitatis gradum in quo nunc sunt, vel etiam secundum mensuram devotionis qua procuraverunt cum essent in via, ut pro se missa offerretur. Quoad vivos vero, res est facilior et magis obvia ; considerantur enim in eis variae conditiones pro variis fructibus quorum sunt capaces: puta cooperatio ad sacrificinm, (sive pro-

curando ut celebretur, sive assistendo, sive ..ii . quolibet modo ad illud concurrendo), item maior minorvr fid. s, aut etiam spes virtute illius resurgendi a peccato, item alia eiusmodi multa quae facile consideranti occurrent.

His praemissis dico: Sacrificium missae ratione rei oblatae et principalis offerentis, est de se valoris infiniti ; insuper satisfactiones et merita crucis ad quorum applicationem impetrandam valet, nullos limites habent. Ergo missa quantum est de se, non habet limitatam efficaciam. — Et confirmatur quia sacramenta omnia ut applicatoria redemptionis Christi, sunt singula in genere suo et in ordine ad finem propter quem fuerunt instituta, illimitatae virtutis secundum se. Ergo et idem sentiendum de missa quia perperam sane diceretur sacrificium N. L., inferioris esse ordinis et deterioris conditionis.

Nunc autem quod arbitraria Dei lege ad certum valorem non taxetur, suaderi potest in primis ex modo ordinario divinae gubernationis. Nam certe Deus ordinat causas secundas conformiter ad naturas ipsarum. Si ergo missa est ex sese et in propria linea sui finis, efficaciae illimitatae, non est cur coarctetur valor illius per taxationem quam natura eius non fert. — Praeterea, si effectus sacramentorum non mensuratur nisi secundum dispositiones suscipientium, ergo etiam fructus missae non limitatur nisi ratione habita tum dispositionis seu devotionis eorum pro quibus offertur, tum modi magis minusve perfecti quo unicuique applicatur. Antecedens supponitur notum ex doctrina de sacramentis in communi ; consequentia vero patet, quia partim convenit missa cum sacramentis, et partim differt. Convenit in eo quod inferioris ordinis non est, ut mox diximus, et ideo limitatio fructus ex sola proportione ad receptivum oriatur necesse est. Differt, quatenus unus est modus applicationis in sacramentis, ita ut proportio ad receptivum in eis non variet nisi secundum recipientis dispositiones ; sed in sacrificio applicatio fit diversis modis, quo fit ut ex hac etiam parte proportio diversificetur. Et aliquale exemplum accipies ex calefactione solis, quam oportet ex duobus mensurari : primo ex hoc quod quibusdam oblique et quibusdam ad perpendiculum, quibusdam directe

et quib'i ' indirecte virtus solis applicatur; deinde vero ex disposition- mi) inseca singulorum subiectorum, nam alia est conductibilitas cerae, alia lapidis, alia ferri, alia calcis, atque ita porro.

Ast nondum sequitur, missam oblatam pro pluribus tantumdem valere singulis ac si peculiariter pro unoquoque offerretur imo oppositum ut probabilius defendimus cum S. Thoma Supplem. Q. 71, a. 13, praesertim ad 2Ū‘‘.

In hoc tamen quadam praevia distinctione opus est. Nam aliqua est applicatio sacrificii quae ex natura rei in eius celebratione includitur, et non requirit specialem actum ministri, sed fit ex hoc solo quod sacerdos habet intentionem requisitam ad confectionem sacramenti. Et ista est duplex : primo quidem applicatio ad totam Ecclesiam sive militantem sive patientem, cui respondet fructus quem auctores theologiae moralis *generalem* dicunt ; deinde vero applicatio ad ipsum sacerdotem celebrantem, cui fructus respondet qui dici solet *specialissimus.* Est enim de ratione huius sacrificii in quo Christus se offert ut caput totius corporis Ecclesiae, quod toti Ecclesiae prosit, si modo valide iuxta legem institutionis suae celebretur. Rursus consentaneum est naturae rerum, ut ad ipsum celebrantem derivet per prius salutaris hostiae virtus, iuxta illud Heb. VII-27 : *Prius Pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi,* et ibid. V. 3: *Propterea debet, quemadmodum pro populo, ita 'etiam pro seme·tipso offerre pro peccatis.* — De utroque hoc *fructu in praesenti* non agitur ; nam de specialissimo nulla occurrit *difficultas. De* generali vero, etsi non valeamus sufficienter determinare qua ratione proveniat ad particulares personas quae *communitatem* constituunt, hoc demum certum *ratumque esse debet, non ideo* minui in singulis, quia augetur in dies numerus *fidelium sive vivorem sive defunctorum. Semper enim idem est ad eos applicationis* modus, quia iste modus per se involvitur in *propria* natura sacrificii, cuius valor, ut *dictum est, nullos ex sese limites* patitur.

Quae cum ita *sint, quaestio restringitur ad applicationem* illam quae ex *propria electione seu voluntate sacerdotis proce-*

dit, cui etiam respondet fructus quem *special* vocant. Porro, eatenus missa oblata pro multis tantumdem valeiet singulis ac si peculiariter pro unoquoque offerretur, quatenus in utraque hypothesi aeque perfecte missa posset unicuique applicari. Sed hoc videtur esse impossibile, nam applicatio quae tota quanta est pendet a propria intentione sacerdotis, naturam actuum humanorum sequatur necesse est. Haec est autem natura actus humani, ut quanto plura obiecta per modum unius comprehendit, tanto minus determinate seu minus distincte feratur in singula. Sed si pro pluribus unam missam offert sacerdos, intentio eius in tantum valet, in quantum fertur in plures per modum unius, cum uni sacrificio una totalis intentio debeat respondere. — Caeterum, haec dicta sint absque praeiudicio probabilitatis sententiae oppositae, quam tenent Caietanus in 3"" Part., Q. 79, a. 5; Vasquez, D'. 231, c. 3; S. Ligorius in Theol. mor., de Euchar. n. 312, etc. De qua tamen sententia, abstrahendo nunc a ratione mox proposita, non immerito forsitan diceres, videri illam minus conformem communi sensui fidelium et praxi in Ecclesia receptae.

EPILOGUS

Ascendit Joseph a Galilaea in civitatem David quae vocatur Bethleem, cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem cum essent ibi, peperit filium suum primogenitum, et reclinavit eum in praesepio, Et facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. — Haec quondam in Bethleem luda agebantur, cum Deus memor testamenti sui, promissionem adimplebat quam locutus fuerat per os sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum eius.

Tunc ergo de caelo pax vera descendebat, tunc ab antiquo maledicto terra nostra solvebatur, quia ille promissus, ille dudum expectatus adveniebat, cuius typum quondam gesserat Booa Bethleemites, quando non despexerat pauperiem Ruth, neque ignobile genus, sed duxerat eam in uxorem, ut defuncto fratri semen suscitaret. Ille, inquam, descendebat de caelis saliens in montibus, transiliens colles, id est omnes ordines angelicos, carnemque sibi uniebat ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum.

Sed *in domo panis* et *in praesepio (quod est* ciborium animalium) celebrabatur *primum Verbi cum humana* natura connubium, ut esset indicio, aliud iam connubium praeparari quod prioris consummatio exsisteret et finis. Oportebat enim ut *unio nem* Verbi cum carne consequeretur unio incarnati Verbi cum Ecclesia. Et ideo, prospiciens per assumptae *humanitatis fenestras* et cancellos, *sponsam* Ecclesiam iam tunc *ad nuptias* invitabat. Ratione autem habita *magni illius sacramenti per* quod caelestes illae nuptiae erant celebrandae, necnon et status vere miserandi ac propemodum bestialis in quo futuram sponsam inveniebat, (nam *homo cum in honore esset, non intellexit, tumentis insipientibus comparatus est, et similis factus est illis),* tam-

quam panis verus in Bethleem nascebatur, tamquam panis hominum deiectorum, ibi volebat reclinari, i bruta animalia suum consueverant cibum reperire. Quippel laesepio quod «est ciborium brutorum, is qui de caelo de Iit, panis vitae «proponitur, ut etiam bruta, rationali sumph- cibo, rationem «adipiscantur» (I), et exinde in melius commutata, atque in pristinam dignitatem restituta, coniungantur haeredi universorum Christo, tamquam os de osse et membra de membro.

Porro, id quod tunc in figura praenuntiabatur, nunc tandem cernimus impletum ; nunc coena parata est, nunc Sapientia misit ancillas suas cum excelsa praedicatione Si quis est parvulus veniat ad me, et insipientibus locuta est : venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Quare hymnus ille angelicus, *gloria in excelsis Deo ct in terra pax hominibus bonae voluntatis,* per omnes mundi plagas super praesepe Ecclesiae, multo felicius multoque divinius resonat nunc auribus fidei nostrae, quam cum primum in montanis ludaeae audiebatur. Ab ortu enim solis usque ad occasum, « per Ipsum, «et cum Ipso, et in Ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in «unitate Spiritus Sancti, *omnis honor et gloria* Tum deinde per sacramentum communicatae carnis, *datur nobis pax in diebus nostris,* et *pax Domini est semper nobiscum.*

Verum ille qui implevit in terra praesepe nostrum, implevit et in caelo mensam angelorum. Plenitudo enim praesepii nostri est, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* plenitudo mensae angelorum est, quia *in principio erat Verbum, ct Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ad quam mensam per praesepii participationem pervenire debemus, quatenus sempiternam fruitionem divinitatis eius temporalis perceptio corporis et sanguinis ipsius praefigurat. Dicat itaque illi cor nostrum ; *Quaesivi vultum tuum : vultum tuum, Domine requiram, ne avertas faciem tuam a me.* Et respondeat ipse cordi nostro : *Qui habet mandata mea, et servat ea, H/e ɛ‹if Hl git me; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo ct g d'*

(*) Greg. Nyssen., Orat, in nativ. Domini (p. G. 46 ‘‘42-43).

ligam . ›n, ct manifestabo ei meipsum. Quod donec fi.it, donec ostenuat nobis quod sufficiat nobis, donec eum fontem vitae potemu i satiemur, sacramentum eius devoto servitio celebremus. Nondum contemplari possumus quod genitus est ante lin iferum a Patre; frequentemus quod in huius saeculi nocte, suh imperviis velaminibus sese nobis fruendum praestat. Nondum contuemur Unicum permanentem in Patre suo; recordemur sponsum procedentem de thalamo suo. Nondum idonei sumus convivio Patris nostri ; agnoscamus praesepe Domini Nostri Iesu Christi/1).

(') August., Serm, 194. in natali Domini (P. L. 38, 1015 sq)

INDEX

Prooemium

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

PÀ0.

Quaest. 6o — Quid sit sacramentum . I5

Quod sacramenta, prout nunc de sacramentis loquimur, sunt quaedam signa caerentonialia, practica, sanctificationis humanae .....

Quod significatio sacramentorum non restringitur ad id quod significando efficiunt, et quo sensu sit ma.rime probanda definitio S. Thomae: « Signum rei sacrae in quantum est ‹ sanctificans homines» - - - - - - - - - - - - 22

Thesis I. —Sacramenta semper *aliqua re sensibili constant.* Sed ad perfectionem sacramentorum *N. L. pertinet, quod* duabus partibus essentialibus componantur, rebus tanquam materia, et verbis tanquam *forma*..... 25

Thesis *II.* — *Res autem et* verba *quibus sacramenta* constant, debent esse ex institutione divina, et sunt ita necessario retinenda, ut omnis mutatio substantialis vel in materia vel in forma, *tollat* veritatem sacramenti - - - ja

Quaest. 61. — De necessitate sacramentorum - - - 3S

Thesis III. — In praesenti statu naturae lapsae sacramenta fuerunt ad humanam salutem necessaria quadam necessitate convenientiae; sed ante peccatum esse non debuerunt. Ibid.

Thesis IV. — Tam ante quam post Christum oportuit esse

sacramenta, non tamen eadem ante et post, alia omnino atque alia, prout Redemptor adhuc ventum operabatur vel iam creditur advenisse.....

Quaest. 62-63. — De effectu sacramentorum qui est gratia et character, et primo de gratia ... 52

I. Notiones praeviae ... 53

De causis, et variis earum generibus..... ... Ibid

De opere operato, et opere operantis ... 65

Dc causalitate sacramentorum variae theologorum sententiae 70

De iis qui dixerunt sacramenta N. L. nihil aliud esse quam causas gratiae improprie didas, id est, conditiones sine quibus non..... 72

De iis qui dixerunt sacramenta N. L. esse vere et proprie causas efficientes gratiae, sed instrumentaliter dispositive tantum..... 76

De iis qui dixerunt sacramenta N. L. physice causare gratiam, instrumentaliter et perfective..... 80

Thesis V. — Secundum fidem catholicam credendum est sacramenta Novae Legis non ponentibus obicem conferre gratiam ex opere operato. Porro gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam, et supra virtutes et dona, quoddam speciale auxilium ad consequendum proprium uniuscuiusque sacramenti finem..... 83

Corollarium 1. — *Ergo sacramenta conferunt inaequalem gratiam inaequaliter dispositis, hoc est, causant gratiam in suscipientibus pro mensura dispositionum uniuscuiusque.* 96

Corollarium 2. — *Ergo, sicut sacramenta mortuorum certo certius causant gratiam secundam in iustis. ita probabilius sacramenta vivorum causant gratiam primam in peccatoribus, si modo attriti bona fide accedant ad sacramentum.* 99

Thesis VI. — Est in sacramentis aliquis effectus distinctus a gratia, et ad eam praevius, qui nunquam potest deesse, modo serventur omnia quae ad validitatem requiruntur. Dicitur autem *res et sacramentum,* et cum sit dispositio sive titulus de se exigens infusionem gratiae, quamdiu in homine permanet, est ratio reviviscentiae sacramenti ficte suscepti, statim ac obex removetur 102

Schiiion. — *Quid sit sacramentum tantum, res et sacramentum, res et non sacramentum*..... 112

Thesis VII. — Sacramenta probabilius non causant gratiam moraliter, id est, per modum valoris cuius intuitu aliquid datur, sed causant eam efficienter. — Rursus non causant efficienter perfective, actione sua pertingendo immediate

ipsam gratiae substantiam, sed solum efficienter dispos
inducendo id quod est res et sacramentum, — Deinde, virtus instrumentalis per quam operantur non videtur physica, sed potius intentionalis, ulpote habens adaequatum principium in institutione Christi legislatoris N. T. ....
Thesis VIII. — Virtus salutifera in sacramentis derivatur a divinitate per Christi humanitatem, sic tamen ut ex eius ratissima passione specialiter habeant efficaciam.
Thesis IX. — Sacramenta antiqua non causahant gratiam, attamen in quibusdam saltem ex eis conferehatur justificatio quasi ex opere operato: idque, non in vi sacramentorum significantium, sed fidei significatae, hoc est, intuitu meritorum Salvatoris prout erant in ipsis sacramentis, tamquam certis fidei in Christum venturum protestationibus, quodammodo iam praesentata 144
II. De charactere sacramentorum praenotiones 19
Thesis X. — Sunt in nova Lege sacramenta characterem imprimentia *5*
Thesis XI. — Character sacramentalis secundum suam intrinsecam naturam consideratus, est quaedam potentia ministerialis qua homo sub Christo summo sacerdote. « potest in actiones hierarchicas ». Consideratus autem in sua habitudine ad sacramentum exterius a quo imprimitur, rationem habet signi sive notae distinctivae ordinum et officiorum in Ecclesia Christi 156
Corollarium. — *Ergo character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio fideles configurat* ... '6.-
Thesis XII. — Character inest animae omnino indelebiliter. 163
Thesis XIII — Non per omnia sacramenta imprimitur character, sed per tria duntaxat, *per* quae homo consequitur novum statum quantum ad ea quae sunt *publici cultus in* Ecclesia Dei 165
Quaest. 64. — De causa sacramentorum 169
Thesis XIV. — Solus Deus operatur per modum agentis principalis interiorem effectum sacramentorum; et ipse solus potestate auctoritatis sacramenta potuit instituere ... Ibid
Thesis XV. — Potestas excellentiae in sacramentis competit Christo secundum quod *homo; qui etsi potuisset* potestatem hanc quibusdam suis ministris aliquatenus communicare, eam *nihilominus propter Ecclesiae utilitatem sibi ex* toto reservavit ; quo fit ut omnia N. L. sacramenta fuerint ab eo immediate instituta

Thesis XVI. – In sola Ecclesia catholi <idet ex jnstjlu, tione Christi suprema dispensationis oritas, et ideo extra commissionem ah ea acceptam, illi jt (est et sacrilega sacramentorum administratio - - - 176

Thesis XVII. — Bonitas vel fides ministri a·! sacramentorum valorem minime requiritur : nihilominus, ministrantes ex officio sacramenta in statu peccati mortaliter peccant . . 188

Thesis XVIII. — Dogma catholicum est, necessariam esse in ministro ad valorem sacramenti, intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Insuper communis et vera sententia docet, non sufficere intentionem, ut aiunt, externam, sed internam omnino requiri 195

Corollarium. — *Non sufficit in ministro intentio interna mere habitualis ; rursus non requiritur intentio actualis ; relinquitur ergo quod intentio saltem virtualis requiratur et sufficiat.* 203

Thesis XIX. — In adultis ad validam susceptionem cuiuslibet sacramenti, necessaria est intentio saltem habitualis recipiendi sacramentum..... -°4

Quaest. 65. — De numero et ordine sacramentorum . 2oS

Thesis XX. — Habet Lex nova sacramenta septem, nec plura, nec pauciora; quae quidem ordine naturae hoc modo recenseri debent: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium . . Ibid.

Thesis XXI. — Non omnia sacramenta sunt inter se paria, sed caetera omnia perfectione antecellit Eucharistia . · 2I5

Thesis XXII. — Non omnia sacramenta sunt aequalis necessitatis; sed sunt necessaria, vel personis singularibus, vel Ecclesiae in communi; vel ad esse simpliciter, vel ad bene esse tantum; vel absolute, vel ex quadam hypothesi. Omne tamen sacramentum quod in ratione medii ad salutem requiritur, non est necessarium nisi disjunctive, in re vel in voto..... 2I9

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

Prooemium 225

Quaest. 66. — De ipso baptismi sacramento..... 227

Thesis XXIII. — Primum locum in sacramentis tenet sanctum baptisma, quod est exterior corporis ablutio sub praescripta forma verborum. Fuit quidem institutum a Christo ante passionem, sed obligare non incepit nisi post resurrectionem in promulgatione novae legis. Eius materia

, ‹ est naturalis, forma vero: Ego te baptizo in ñõmin
' t Filii et Spiritus Sancti..... - - - 33ft
l XXIV. — Convenienter enumerantur tria bapthmata luminis, flaminis, et sanguinis; quorum primum iustificat \ opere operato, alterum ex opere operantis, tertium per oioilum operis operati. Praeeminentiam autein habet baptismus sanguinis super alia duo, non equidem quantum ad rationem sacramentalem quae soli baptismo aquae propria est, sed quantum ad effectum qui dicitur res sacramenti . 240
Quaest. 67. De ministris per quos traditur baptismi sacramentum . ..... - - - 255
Regularis minister huius sacramenti est solus sacerdos, l ni soli ex officio competit baptizare. . . Ibid.
Minisfer necessitatis est quilibet homo, sive vir sive mulier, sire baplizatus sive etiam non baptizatus - - - . . 356
Quaest. 68. — De suscipientibus baptismum 258
Thesis XXV. — Salvo in omnibus martyrii privilegio, baptismus in re vel in voto est medium omnibus necessarium ad salutem, et ad huius sacramenti susceptionem homines omnes divino iure obligantur..... - - - . Ibid.
Thesis XXVI. — In adultis peccatoribus, ad justificationis gratiam in baptismo consequendam, easdem oportet esse dispositiones quae sunt in sacramento Poenitentiae necessariae, sed nulla debent eis imponi opera satisfactoria, et non tenentur ad confessionem suorum peccatorum ','uod autem attinet ad validitatem sacramenti, nihil ex parte ipsorum requiritur nisi voluntas sive intentio suscipiendi sacramentum .....'64
Thesis XXVII — *Pueri fidelium* sunt *baptizandi. Baptizati* autem in infantia, cum ad annos discretionis pervenerint, non habent ius ratum habendi pro suo arbitrio id *quod* , patriot eorum nomine polliciti sunt, sed velint *nolint, omnibus* Christianorum obligationibus *in perpetuum manent* obstricti..... 267
Thesis XXVIII. — Secluso casu necessitatis, *non licet baptizare* pueros *infidelium, invitis parentibus. Si tamen quocumque modo sacramentum eis ministrari contingat, ipso facto sub Ecclesiae tutela ac regimine constituuntur*.....274
Quaest. 69. — *De* effectibus baptismi . 2
Baptismus, ratione characteris quem imprimit, viv. /tabet incorporandi hominem verae Ecclesiae Christi, et ideo, iicct homo baptizatus cum ad annos discretionis pervenerit, possit extra Ecclesiae corpus de/aclo vagari, exigentia tamen *

sacramenti quomodolihtt cl a quocumqn- />/;, semiter est et manet catholicus. - - -

Thesis XXIX. — Res huius sacramenti (| , na renovatio, qua liberatur homo ab omni reatu veteris vitae, et regeneratur in novam spiritualem vitam quae u per fidem lesu Christi.....

Thesis XXX. — Baptismus ficte susceptus, fictione recedente, suum ultimum effectum consequitur. Fictio autem, si fuerit formalis, non removetur nisi per sacramentum Poenitentiae in re vel in voto; quo in casu, ad baptismi gratiam obtinendam duo concurrunt sacramenta, sed Baptismus sicut causa per se agens, Poenitentia vero sicut causa per accidens, id est removens prohibens.....284

Quaest. 70-71. — De praeparatoriis ad baptismum _ _ _ 287

De circumcisione . ‘.....Ibici.

De catcchismo et exorcismo.....-88

Quaest. 72. — De confirmatione 29»

Thesis XXXI. — Secundum sacramentum est Confirmatio, per quam homo deputatur ad spiritualem militiam, et accipit robur ad audacter confitendum in mundo fidem Christi crucifixi, qui, ut Apostolus ait, ludaeis est scandalum, Gentibus autem stultitia.....Ibid.

Thesis XXXII. — Materia confirmationis est chrisma ab episcopo benedictum quod per impositionem manus homini applicatur, facta unctione in fronte. Forma autem est : Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, io nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed apud Graecos sacramentum rite confertur sub his verbis: Signaculum doni Spiritus Sancti.....299

Thesis XXXIII. — Confirmatio est sacramentum vivorum, imprimens characterem et conferens gratiam cum quodam speciali auxilio contra timorem et respectum mundanum. Debet regulariter omnibus Christianis exhiberi, tametsi non certo constet de praecepto quo ad eius susceptionem homo baptizatus stricte obligetur.....304

Thesis XXXIV. – Confirmationis minister ordinarius est solus episcopus; extraordinarius vero, simplex presbyter ex commissione Sedis Apostolicae . .....,oy

DE .CTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO

! M.or-niiuin .....-3D
Quaesi. 3. — De sacramento Eucharistiae in generali ρ7
Thesis XXXV. — Eucharistia est unum e septem novae l· -is sacramentis; in quo tamen illud proprium et omnino singulare reperire est, quod in ipsa consecratione materiae perficitur, non vero in applicatione materi.ie ad hominem ·.·:< tilicandum : adeoque antecedenter ad usum constituitur in esse sacramenti..... . . Ibid.
Nota. – *De eo quod ibi est sacramentum tantum, res tantum, res et sacramentum*.....321
Thesis XXXVI. — Eucharistiae sacramentum est quidem materialiter plura sed formaliter et perfective unum . . . 323
Thesis XXXVII. — Etsi res sacramenti Eucharistiae quoad sui inchoationem sit medium necessarium ad salutem, non tamen est necessitate medii necessarium sacramentum ipsum, nec in re, nec in voto proprie dicto.....327
Scholion de nominibus, institutione, et figuris huius mysterii 330
Quaest. 74-77. — De materia sacramenti, et hiia quae circa illam fiunt, cum consecratur.....33a
I. De materia remota quae est panis et vinum ı Ibid.
II. De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi, generale prolegomenon.....334
Quid de praesentia reals et transubstantiatione fide catholica tenendum, qui errores intandi..... - - - - 336
De Iransubslanliabone et habitudine eius adpraesentiam realem, oppositae veterum et recentiorum Scholasticorum sententiae.....*344*
Quinam sit. respectu habito ad definitiones Conciliorum, legitimus transubstantiationis conceptus 356
r!d distinctiorem transubstantiationis conceptum quaedam declarationes ..... »63
Thesis XXXVIII. – In sanctissimo Eucharistiae sacramento est corpus et sanguis Christi, vere, realiter et substantialiter. 372
Thesis XXXIX. — Post consecrationem statim cessat tota substantia panis et vini, quae tamen non annihilatur, sed transubstantiatur in corpus et sanguinem Christi. Et quia non est aliqua possibilis via qua ipsum Christi corpus verum incipiat esse *in sacramento nisi per* huiusmodi conversionem, dicendum est transubstantiationis dogma ita intime et ñeces

sario cohaerere cum dogmate pr ie . miae realis, ut ul unum sine altero consistere non possit . - - -

Thesis XL. — Post consecrationem manent eadem numero accidentia quae prius fuerant substantiae panis et vini; et haec permanentia est conditio essentialiter requisita, tum ad realem Christi praesentiam in sacramento, tum ad ea omnia quae circa ipsius praesentiae durationem et desitionem certa fide credenda sunt et creduntur - - - .....

Scholion. — P7 *consecrationis nulla inducitur in Christo mutatio; imo sacramentalis praesentia initium et finem sumit ex hoc solo quod incipit ve! cessat extrinsecum continens, id est dimensio separata panis transubstantiati* . . 442

Thesis XLI. — Conversio panis in corpus Christi non fit secundum successionem temporis, sed est omnino instantanée 445

Regulae quaedam circa modum loquendi in hoc mysterio. . 447

III. De modo quo Christus est in Sacramento generale prolegomenon ..... 45°

De substantia corporea et quantitate dimensiva. I - - - · Ibid.

De variis rationibus essendi in loco . .....4^4

Circa modum quo Christus est in sacramento, qualiter differat sententia antiquorum ab ea quam recentiores scholastici amplectuntur..... I 473

Thesis XLII. - Ex vi sacramenti est sub specie panis sola substantia corporis Christi, et similiter sub specie vini sola substantia sanguinis eius ; sed cum ex reali concomitantia alia adsint omnia quae ei ad quod terminatur conversio sunt realiter coniuncta, totus atque integer sub utraque specie Christus exsistit..... 47^

Thesis XL1II. — Christus Deus et homo perfectus, cum tota sua quantitate dimensiva et statura naturali, tam sub tota hostia quam sub qualibet particula eius, minime quidem localiter, sed per modum suabstantiae totus continetur. Non tamen ante fractionem est pluries sub hostiae dimensionibus, sed toties post fractionem adest, quot sunt partes in quas facta est divisio sacramenti. 487

Thesis XLIV. — Etsi Christus recte dicatur moveri per accidens secundum esse quod habet in sacramento, per se tamen in eo est omnino immobiliter.....502

Thesis XLV. — Christum secundum modum quo continetur in sacramento, nullus oculus corporeus quantumvis glorificatus videre potest, nec ullus intellectus creatus ex suis naturalibus cognoscere ; sed praesentia sacramentalis, cognitione

analogica per solam revelationem attingitur, co-
>ne autem propria per solum lumen beatitudinx . . $07
IV. De unientibus remanentibus in sacramento υη
Th: XLVI. — Panis et vini accidentia collective sumpta
ulose in sacramento manent sine subtecto. Si tamen
ini- se invicem comparentur, dicendum est solam qnanti-
t «n dimensivam per omnipotentiam Dei absolute subsi-
st re, caetera vero in ea tamquam in vice substantia subiectari $11
Thesis XLVII, — Accidentia, consequenter ad miraculosam ipsorum conservationem, omnem actionem agere possunt quam agere poterant, substantia panis et vini exsistente: et similiter per alterationem ab agente naturali inductam corrumpi possunt et corrumpuntur..... jn
Thesis XLVIII. — Quotiescumque species sic corrumpuntur ut desinant esse accidentia panis et vini, cessante praesentia Christi, idem ex eis secundum rem generatur ac si nulla intercessit transubstantiatio, idque non novo miraculo, sed ex vi miraculi quod praecessit in consecratione . 525
ScHOLION I.....529
Scholion II..... . 530
Triton praecedentium quaestionum recapitulatio . . · 53l
Quaest. 78. – De forma sacramenti Eucharistiae 534
Thesis XLIX. — Verba expressiva transubstantiationis quibus Salvator in ultima coena usus est, eademque sola, sunt sacramenti Eucharistiae forma ; ad cuius essentiam probabilius non pertinent determinationes praedicati, *novi et aeterni testamenti,* etc., quae in consecratione calicis apud nos inveniuntur..... Ibid.
Thesis L. — In verbis formalibus huius sacramenti est quaedam virtus instrumentalis ad transubstantiationem efficiendam 544
Quaest. 79. — De effectibus sacramenti Eucharistiae 5)7
Thesis I.I. — Propria res Eucharistiae est spiritualis transformatio hominis in Christum per charitatem, quae inter communicandum non solum datur quantum ad habitum, sed etiam excitatur in actum ; omnemque effectum quem materialis cibus et potus agunt quoad vitam corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc operatur quoad vitam spiritualem.....
Thesis LII. — Effectus huius sacramenti, qua parte respicit actualem fervorem charitatis, impeditur per defectum actualis *recollectionis et* affectum ad venialia, sed qua parte consistit in qualicumque augmento habitualis gratiae,

nullam aliam dispositionem per se i >n praeter statum amicitiae cum Deo - - - -
Quaest. 8o. — De usu Eucharistiae
De triplici ratione hoc sanctum sacramentum accipiendi
De pravitate peccati communionis sacrilegae - - - -
De iis quibus sola lege ecclesiastica denegatur usus huius sacramenti - - - - - - - - - .....
De communione frequenti .....
De communione sub una tantum specie . - - - - . A
De adoratione debita huic sanctissimo sacramento . . . .
Quaest. 82-83. — De sacrificio missae . . . 582
De sacrificio prout est principalis actus exterior religionis ex naturalis legis dictamine praescriptus ..... Ibid.
1. *Jure naturae praescribitur aliquis actus cultus publici, specialiter significans honorem debitum soli Deo, eique ita exclusive reservatus ut nemini alteri possit deferri, quantumvis alia intentione ; hujusmodi autem cultus dicitur sacrificium, quasi sacrum factum per excellentiam . - - -* 583
i. Sacrificium secundum se est in genere signi, et licet requirat positivam institutionem, non tamen esse potest pure ad placitum, sed habere debet quandam symbolicam similitudinem cum interiori sacrificio significando, sicut per ordinem ad gratiam dictum est de sacramento.....5^6
3. *Porro singularis ille cultus qui divinitati reservatur, fuit ab initio convenientissime repositus in oblatione rei corporeae ac sensibilis per eiusdem in honorem Dei destructionem sive immolationem. Et haec offerendi ratio, formaliter qua expressiva summae quae debetur Deo adorationis. semper et ubique habita est uti sacrificalis oblationis characteristica. Habuit tamen, materialiter loquendo, modalitates valde diversas, pro diversitate sacrificiorum, diversoque praesertim statu religionis, rei ante vel post Christum, omni iam aha praeter ipsum hostia in perpetuum abrogata*.....
4. *De necessitate sacrificii est ut a persona fungente publica apud Deum legatione offeratur; quo fit ut sacrificium et sacerdotium sibi mutuo ut duo corrclativa respondeant* .....
5. *Sacrificium convenit cum sacramento quatenus quod dant sacrum signum est. Differt quatenus sacramentum est signum causarum sanctificationis nostrae, sacrificium ver› signum interioris euttus. Et hinc sequuntur aliae differ.*

...i eo consistentes, quod sacramenta nec sunt de ture /unit, nec possunt esse institutionis humanae, nec ne-esurio el semper a sacerdote conficiuntur, nec demum him habent per modum impetrationit ficui sacrifi->m. sed per modum efficientiae 593

I' li isione sacrificiorum - - - - 595

I >■ proprio sacrificio Novae Legis 59X

I> unitate vel pluralitate sacrificii Christi ex doctrina Tridentini 604

Thesis LIII. — Tum ex iis quae in Scriptura traduntur de -■K erdotio Christi, tum ex celeberrimo .Malachiae vaticinio, tum ex verbis institutionis Eucharistiae, tum denique ex ratione theologica, demonstratur veritas sacrificii novae lenis, cuius Christus ut caput corporis Ecclesiae est victima et sacerdos principalis 60S

'I hi.sis LIV. — Missa quoad essentiam in sola utriusque speciei consecratione consistit, tametsi actioni consecrativae debeat ex natura rei adiungi communio celebrantis, quae idcirco indispensabili lege praescribitur. Habet autem consecratio veram in se sacrificii rationem, formaliter et praecise secundum quod est incruenta Christi immolatio, cruentae immolationis crucis representative, per sacramentalem seu mysticam corporis a sanguine sub distinctis panis et vini speciebus separationem 624

Thesis LV. — Sacrificium missae non tantum est latreuticum atque eucharisticum, sed quatenus impetrat applicationem satisfactionum et meritorum crucis, est etiam ex opere operato vere propitiatorium. Hinc tum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, tum pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite iuxta apostolorum traditionem offertur .

Corollarium I. *Missa, etsi sit propitiatoria ex opere operato, non tamen infallibiltter obtinet quoslibet effectus tn quibuslibet personis, sed tum ex parte obtecti quod petitur, tum ex parte eorum pro quibus petitur, certae requiruntur conditiones* ..... 4#

Corollarium II. *Recte missa celebratur ad implorandum patrocinium Sanctorum per Summum Mediatorem Citristum, ut scilicet illi pro nobis intercedere dignentur m caelis, quorum memoriam agimus in terris* - - - - 050

Thisis *IAT.* — *Missa* in quantum propitiatoria est, non habet de se limitatam efficaciam, nec antecedente Dei lege ad certum valorem taxatur; sed mensura fructus accipienda

est ex modo applicationis ad divers.i personas, et ex quantitate devotionis earumdem. Hhk quod attinet ad fructum specialem qui ex propria saS iJotis intentione dependet, dicendum videtur quod missa oblata pro multis non tantumdem valet singulis, ac si peculiariter pro unoquoque offerretur..... .....

Epil o g u s .....

IMPRIMI POTEST

Romae, die 8 Dec. 1931

Adulfus MàRiOTTI
Praepositus Provinciae Romanae S. L

Nihil obstat.

Patavii, die 10 Dec. 1931.

Can.cus Doct. 1. Dal Sasso
Cens- EccL

IMPRIMATUR

Patavii, die 12 Dec. 193«

Can.cos Doct. Primus Carmignoto
Vic. Gen.